S-XIX
5930

TOTIUS PHILOSOPHIÆ

TAM VETERIS

QUAM RECENTIORIS DOGMATA

SUBTILIS MARIANIQUE DOCTORIS

JOANNIS DUNS SCOTI,

DOCTRINIS ACCOMMODATA

ET AD USUM STUDENTIUM

CAPUCCINORUM PROVINCIÆ,

UTRIUSQUE BŒTICÆ

IN BREVISSIMUM COMPENDIUM REDACTA

STUDIO ET LABORE

Adm. R. P. Fr. HIERONYMI JOSEPHI EGA-brensis, seu de Cabra, habitualis Sacræ Theologiæ Lectoris, Conventuum Hispalensis, & Cordubensis olim Guardiani, primique etiam Romani Custodis, Archiepiscopatuum Hispalensis, ac Granatensis, Episcopatuumque Cordubensis, Gadicensis, & Asturicensis Synodalis Examinatoris, Sanctæ Inquisitionis Qualificatoris, utriusque Bœticæ eorumdem Provinciæ Capuccinorum actualis iterum Ministri Provincialis, & per Catholicum nostrum Hispaniarum Regem Missionum Indiarum Occidentalium Comissarii Generalis.

BIBLIOTECA
Cádiz
PROVINCIAL

CORDUBÆ: EX TYPOGRAPH. REGIA
DOMINI JOANNIS GARCIA RODRIGUEZ DE LA TORRE,
ANNO MDCCCI.

Est enim Philosophia paucis contenta indicibus, multitudinem consultò ipsa fugiens, eique ipsi & suspecta, & invisa. Cicer. lib. 1. *Tusc. Quæst. & Zeno Citticus ad quendam dicentem, breves esse Philosophorum sententias: Vera prædicas, inquit, oportet enim & syllabas illorum, si fieri possit, esse breves. Veritas multis non eget, & firmiùs tenemus paucis verbis comprehensas. Laert. lib.* 1.

AD LECTOREM.

Certè scribendi, seù ut ait Ecclesiastes cap. 12. 12. *Faciendi plures libros nullus est finis.* »Crediderim sanè, nec inficiaberis, (in Præfat. ad Philosoph. Illmus. ajebat Ramirez) vix ullum retroactis illuxisse sæculum, quo major, quam in nostro Scriptorum colluvies ingruerit. Prodiere, necdum in dies prodire cessant copiosa in omnigena materia volumina, ac velut agmine facto qua data porta ruunt: rei praesertim Scholasticæ ætas nulla feracior." A sapientioribus verò, ac prudentioribus, in arteque docendi expertissimis undequaque Magistris pro parvulis, incipientibusvè tyronibus Cursus Philosophicus omni ex parte completus, ipsisque proportionatus desideratur & adhuc. Neque enim qui nos præcessere sapientes Philosophiæ Scriptores in tantum sese valuere, aut voluere humilliare, ut matrum instar, micis ex philosophicis incipientibus parvulis, adhucque doctrinæ solidum non valentibus portare cibum, papillas, alimentum vel facerent facilius, maximi etiam exemplo ducti Magistri, ac Doctoris Gentium in fide, & veritate, ad Corinthios Epist. 1. cap. 3. 1. dicentis: *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis.* Quod & fecit, & docuit Pauli Magister, sapientiæ dux, & sapientium emendator Dominus Jesus Christus: ac proindè Joan. 16. 12. ad novellos sic alloquebatur Discipulos: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Non igitur parvuli vixque incipientes comedere tantum, nec tam solidum quidem, quam viri, digere-

re

re valent, aut portare cibum. Errant ergo qui parvulis præbent alimenta virorum. Errantque profectò, & cum magno, maximovè doctrinæ errant certè dispendio, qui sapientiæ pabulum degustare intrantibus tot, ac tam magna Sophiæ volumina offerunt, quæ minimè portare adhuc possunt; quorumque etiam sermo latus, & altus reverà non capit in ipsos. »Quo in genere (ait Illmus. Cano lib. 9. de Loc. cap. 7.) multos etiam è nostris peccasse video: ut eas quoque quæstiones latissimè persequerentur, quibus Porphyrius abstinuit homo impius, sed in hac re prudens tamen, ut Platonis, Aristotelisque discipulum possis agnoscere. Qui nec quicquam nisi opportunis & loco, & tempore tractavere, nec quæstiones ullas persecuti sunt, quæ juvenum ingenia obruerent, non juvarent. Nostri autem Theologi, importunis vel locis, longa de his oratione disserunt, quæ nec juvenes portare possunt, nec senes ferre." His igitur, aliisque similibus de talibus Philosophiæ Scriptoribus ipse conqueritur Cano. Obliviscuntur enim Scriptores prædicti illius Horatii de arte Poetica regulæ sapientissimæ:

Quidquid præcipies, esto brevis, ut citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

Quam quidem sacer ille, canonicusque Libri secundi Machabeorum Scriptor, Judas scilicet, vel Machabeus, ut Belarmino placet, & aliis; vel Essenus, ut tenet Alapide cum Serario, & cæteris, adamusim servare neutiquam dubitavit. Propterea ibidem cap. 2. dixit: »Ab Iasone Cyreneo quinque libris comprehensa tentavimus nos uno volumine breviare. Considerantes enim multitudinem librorum, & difficultatem volen-

lentibus aggredi narrationes historiarum propter multitudinem rerum, curavimus volentibus quidem legere, ut esset animi oblectatio: studiosis verò, ut faciliùs possint memoriæ commendare: omnibus autem legentibus utilitas conferatur. Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, imò verò negotium plenum vigiliarum, & sudoris assumpsimus." Ubi ad propositum aptè & Cornelius addidit Alapide: »Magni enim laboris, & industriæ est plurima legere, eaque omnia methodicè, concinnè, clarè, & plenè paucis verbis constringere, & complecti. Sic laboravit, qui Iliadem Homeri, ita minutis litteris descripsit, ut totam cortici nucis includeret, teste Plinio lib. 7. cap. 21. & Archimedes, qui ut ait Cicero Tusc. 1. *Lunæ, solis, & quinque stellarum motus in Spheram illigavit*, idque, *divino ingenio*. Et quia pauci id facere norunt, hinc sæpè compendia, & dispendia. Paucis ergo multa complecti magni viri est, profundique ingenii, quod punctum veritatis multiplicis uno mentis cernit, & stringit in ictu. Hic Laconismus, id est breviloquentia indicium est animi silentis, meditabundi, & sapientis, ideoque illa usi sunt septem Greciæ sapientes." Illaque, fatebimur, debuissent & uti omnes, qui Philosophiam tyronibus scripsere, sapientes. Exigunt ipsam illi, proinde Euripides parvulis enuntiavit & ipsis:

O pueri, istud sapientis est viri, paucis
Plurima posse verba benè completi.

Ipsamque Philosophia exigit & ipsamet; exigitque magnoperè, Cicerone lib. 1. Tusc. Quæst. dicente sapienter: *Est enim Philosophia paucis contenta indicibus*,

bus, multitudinem consultò ipsa fugiens, eique ipsi & suspecta, & invisa. Et Zeno Citticus apud Laert. lib. 1. »ad quendam dicentem, breves esse Philosophorum sententias: Vera prædicas, inquit, oportet enim & syllabas illorum, si fieri possit, esse breves. Veritas multis non eget, & firmiùs tenemus paucis verbis comprehensas.« Ethnici hæc Philosophi: nunc audi Christianum, maximumque Ecclesiæ Doctorem Hieronymum super obitu Paulinæ scribentem ad Pammachium: »Plus debet discipulus Christi præstare, quam mundi Philosophus, gloriæ animal, & popularis auræ, atque rumorum venale mancipium. Tibi non sufficit opes contemnere, nisi Christum sequaris. Christum autem sequitur, qui peccata dimittit, & virtutum comes est. Christum scimus sapientiam. Hic thesaurus in agro Scripturarum nascitur, hæc gemma multis emitur margaritis. Sin autem adamaveris captivam mulierem, id est sapientiam sæcularem, & ejus pulchritudine captus fueris: decalva eam, & illecebras crinium, atque ornamenta verborum cum emortuis unguibus seca. Lava eam prophetali nitro; & tunc requiescens cum illa, dicito: Sinistra ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, & multos tibi fœtus captiva dabit, ac de Moabitide efficietur Israelitis.« Christianus ergo, Religiosus maximè, Christivè discipulus, quique ad Christum præ cæteris ipsum in Scripturis, scientiisque quærendum supernaturalibus, vocatur, & ducitur, Ethnici plus debet, quam Philosophi, sæcularem ipsorum decalvare sapientiam, seu Philosophiam, superfluitate expoliare crinium, verborum, ac unguium, prophetalique ipsam lavare nitro, & ad breviloquentiam reducere, seu compendium. »Scitum est illud quoque Catonis: *Sat citò, si sat be-*

benè:" idem ait Sanctus Hieronymus ibi. Unde nos his, aliisque similibus præventi, ac instructi principiis, nec totius immemores doctrinæ, quam & laudatus Cano tangit ibidem, & in suo Theatro Critico Tom. 7. Discurs. 11. 12. & 13. Rmus. docet Feijoò; illiusque etiam, etiamque præcipuè, quam Sanctus Franciscus Salesius cuidam Fuliensi Monacho Theologiam scribenti Epist. 61. sapientissimè impertivit: ubi primò ad Philosophiæ cathedram (licet immeriti) fuimus electi, continuò, nulli umquam parcentes labori, nostrorumque profectui omninò attendentes, in ipsomet lectionis tempore, ac conflictu, ex omnibus cum antiquæ, tum modernæ Philosophiæ particulis parvulis nostris Discipulis papillas, lac, facilioremvè potius potum, quam cibum, brevi, claroque in compendio, facere, ministrareque sategimus. Sic enim cursum fœliciter, Deo juvante, consummavimus; fidemque promissam illis omninò servavimus. At effectus probavit virtutem, nostramque profectò complevit spem. Minore enim ipsi, facilioreque labore, majori reverà profectu, minorique tempore, duorum scilicet annorum totam completè Philosophiam studuere. Hinc ferè omnes, qui nos successere Lectores, etiam cum labore scribendi, suis pro discipulis prædictum præelegerunt compendium: solaque scribendi excusatione laboris cæteri non fecerunt & idem. Verum cuncti deinde cœperunt conclamare omnes, præfatum ut prælo daremus Compendium. Nunquam enim talibus voluimus assentiri clamoribus: sed neque & nunc volumus. Facimus tamen, licet inviti; sinentes ab aliis nos cingi, & ferri, quo nolumus ire. Hocque præsertim, quando nostri onere officii supra modum gravati, aut supra virtutem, nec relegere, nec emendare, ne impres-

pressionem quidem valemus corrigere. Sciat hæc prudens, sapiensque Lector, et charitatis amator, ut in charitate, et per charitatem Christi, defectus, quos invenerit, charitativè dissimulet. Sicque semper manebit in Domino: nam ut inquit Joannes Epist. 1. cap. 4. 16. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ita sit, & ita semper, & in sæcula in Domino Vale. Amen.

PHILOSOPHIÆ PRÆLUDIUM.

Philosophia, sive sapientiæ studium universim considerata, aptissimè describitur à Cicerone lib. 2. de Officiis; *Est rerum divinarum, & humanarum, causarumque, quibus hæ res continentur, scientia.* Quinque autem mentis habitibus Philosophia potissimum continetur, quos Aristoteles recenset lib. 6. Ethicorum, cap. 3. suntque *Inteligentia*, quæ est *notitia primorum principiorum, quibus mens nostra ex sola terminorum aprehensione assentitur*; *Scientia*, quæ est *notitia certa, & evidens objecti necessarii per demonstrationem acquisita*; *Sapientia*, quæ est *rerum præstantissimarum, & universalium notitia*; *Prudentia*, quæ est *notitia directrix actionum humanarum, ut bonæ, ac laudabiles sint in genere moris*; & denique *Ars*, qui *est habitus cum recta ratione factivus.* De quibus postea. His vero potest addi opinio, quæ est *mentis nostræ assensus alicui veritati ex probabilibus derivatus.* Nam in Philosophia, non omnia evidenti ratione, sed plurima sola probabili conjectura tenentur.

Quatuor sunt principales Philosophiæ partes. 1. dicitur *Rationalis* nempe *Logica*, certas præscribens regulas menti nostræ in verum dirigendæ. 2. nominatur *Supernaturalis*, sivè *Metaphisica*, quod res contempletur sensibilium ordinem transcendentes. 3. appellatur *Moralis*, nimirum *Ethica*, quæ tradit regulas ad mores nostros honestè dirigendos. 4. *Naturalis*, videlicet *Phisica*, seu Rerum naturalium scientia.

Ut bonorum omnium, ita Philosophiæ primus Autor est Deus, qui Protoparenti Adamo omnium rerum scientiam, notitiamque infudit, ut postea probabimus. Sed obcæcata mente hominum per originale pec-

catum, ipsorum etiam negligentia, & temporum injuria omnis penè Philosophia deperiit. Divina tamen dirigente Providentia factum est, ut cum Viri ingeniossi naturæ efectus admirarentur, ex admiratione diligens inquisitio causæ, tum inventio multiplici experientia, & ratione confirmaretur.

Omnibus penè nationibus illuxere Philosophiæ instauratores eximii: ut Hebræis Rabini, Babiloniis, Assiriisque Chaldæi, Persis Magi, aliisque populis alii: inter quos Greci celebrantur præ cæteris; quod in singulas Philosophiæ partes diligentiùs incubuerint, & eam in quoddam veluti corpus digestam scriptis suis in posteros transmiserint. Ab istis variæ manarunt Philosophantium sectæ. Est autem *Secta*, hominum multitudo, ab aliis quodammodo secta, & divisa, determinatam doctrinæ rationem tenens sub uno duce, seu præceptore.

Prior Secta appellatur *Academica*, sic nominata ab Academia, sive à loco nemoroso in suburbio Athenarum, quem nobilis vir *Academus* nomine Philosophorum exercitationibus consecrarat. Hujus Sectæ Philosophi assensum omnem cohibebant, & nihil omnino afirmabant. Horum Principes fuere Socrates, qui dicebat: *Hoc unum scio, me nihil scire*, & Plato vir eloquentia præstantissimus, appellatusque *Divinus*, quia de Deo tractans posteros antecelluit; unde & *Platonici* dicebantur, ut & *Sceptici*, seu Inquisitores veritatis. Vocati sunt quoque *Pyrrhonici* à Pyrrhone Academico. At postquam ab hac Secta defecerunt, Dogmaticis partim adherentes, Arcesilas methodum Socratis revocavit: dicebat enim, nè posse quidem rem ullam sciri, unde novi isti Academici appellati sunt *Acataleptici*, id est: Qui nihil omnino comprehendi posse arbitrarentur. Inter quos celebratur Carneades, qui Romæ magna cum eloquentia Academicorum explicuit doctrinam.

2. Secta est *Dogmatica*, eorum nempe; qui veritatem

tem sese assecutos contendebant. Inter istos præcipuè recensentur Thales Milesius, Pythagoras, Democritus, aliique. Qui autem timidam illam Academicorum philosophandi methodum abjecere, & Dogmaticorum plures opiniones adoptaverunt in tres partiti sunt Sectas; Stoicorum, quorum dux fuit Zeno Citticus; è Cittio Cypri oppido originem ducens, qui Athenis in Stoa, seu Porticu Philosophiam magna subtilitate docuit; presertim verò partem illam, quæ ad mores pertinet; Epicureorum, qui tale sortiti sunt nomen ab Epicuro ejusdem Sectæ Patrono, qui in hortis, ubi suos conventus agebat, Democriti placita, quæ propia fecerat, explicabat; & denique Peripateticorum, sic dictorum communiter, quia disputabant ambulantes in lycæo, seu (ut vult Joannes Jonsius) quia doctrinam audiebant in loco deambulationi destinato. Horum Princeps fuit Aristoteles Platonis auditor, & Alexandri magni magister. Vir magno ingenio, & omni scientiarum genere instructus, Athenis originem dedit Sectæ suæ, ipsique Theophrastus successit, & huic alii optimi Magistri, quorum Chronologicam seriem à sæculis 20 ad nostram ferè ætatem fusè tradit, & probat P. Seraphinus Piccinardi Ord. Prædic. tom. 2. Philosophiæ Dogmaticæ.

Peripateticam methodum summa cum existimatione in Parissiensi Sacra Facultate sectati sunt plurimi viri præstantes, inter quos primas tenet *Petrus*, natione *Lombardus*, Episcopus postea Parissiensis, qui ob collectas SS. PP. circa Fidei Christianæ mysteria sententias, & in quatuor libris digestas, circa medium 12 sæculi, *Magister Sententiarum* est appellatus, & Scolasticorum Parens meritò habetur. In eadem illa Academia Parisiensi tres veluti in artes Peripatetica Secta fuit primo divissa, quarum Sequaces doctrinam Aristotelis unanimiter admitentes, sola differunt interpretatione. Horum primi sunt *Thomistæ* Angelici Præceptoris S. Thomæ Aquinatis Ord. Præd. discipuli.

Se-

Secundi sunt *Scotistæ*, qui Subtilis, Marianique Doctoris Joannis Duns Scoti, Ord. Minorum S. Francisci Conventualium, Magistro gloriantur. Tertii autem sunt *Nominales*, quorum Doctor fuit Gullielmus Okamus, Anglus, prædicti Ordinis professor, & Scoti Discipulus: quamquam in multis ab ipso dissentiat. His addi possunt alii Peripatetici, *Neoterici* appellati, qui varias adoptant sententias, ut Suaristæ, & alii.

Circa medium autem sæculi 17. duæ Recentiorum Philosophorum Sectæ prodiere: *Gasendistarum*, à Petro Gasendo Presbitero Ecclesiæ Diniensis in Gallo-Provincia Præposito; & *Cartesianorum*, à Renato Cartessio, Domino de *Perron*; qui Philosophiam Mechanicam à Democrito, & Epicuro traditam exsuscitantes, & multis in locis, prout necessitas expocebat, emendantes, novis experimentis eamdem illustrarunt. Novissimis tamen hisce temporibus viget maxime inter Recentiores altera Secta, autore Isaàco Newtono nobili Anglo, insignique Mathematico, qui tam ratiocinia Peripateticorum, quam Recentiorum hypotheses negligit, atque de internis rerum naturis, ut in se sunt, præscrutandis minimè solicitus, in solis earum affectionibus ex Mathesi deducendis, confirmandisque occupatur. Quibus sic prælibatis; sit

DISSERTATIO PROŒMIALIS

In Philosophiam universim acceptam.

QUÆSTIO PRIMA.

An Adam creatus fuerit à Deo cum omnigena rerum naturalium scientia?

Omnes utique fatentur & Deum totius esse fontem Sapientiæ, & eam primis Parentibus in eorum creatione potuisse conferre. Sed ut Philosophiæ exordium in ho-

hominibus perscutemur, quærimus, utrum de facto Deus primo Parenti Philosophiam in ipsius creatione contulerit? &

Dicimus; rerum omnium naturalium scientiam Protoparenti Adamo à Deo fuisse collatam. Hæc est communis Theologorum, ac Philosophorum sententia. Probatur 1. Ecclesiasticus cap. 17. de primis loquens parentibus, ait: *Deus cor dedit illis excogitandi, & disciplina intellectus replevit illos: creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, & mala, & bona ostendit eis*; sed ex his verbis constat, Deum contulisse Adamo Philosophiam, seu rerum omnium naturalium notitiam: ergo ita est. Probatur minor; omnes Philosophiæ partes in verbis illis videntur expresæ, nempe, *disciplina intellectus*, quæ est Logica, sive facultas dirigens operationes intellectus; *Scientia spiritus*, est Methaphisica, quæ res spirituales, & à materia abstractas contemplatur; *Sensu implevit cor illorum*, quatenus phisicas eis sensibilium notiones indidit; denique *mala, & bona ostendit eis*; quod Ethicæ summa est: ergo &c. Deinde quia ut inquit Chrisostomus hom. 14. in Genes. *Qui congruis nominibus jumenta appellare, & volatilia cœli, & alias bestias potest, quomodo non omni sapientia, & industria pollet?* Atqui primus Parens cunctis animantibus nomina imposuit, & *Omne quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus*: ergo.

Denique, Deus creavit Adamum in ætate perfecta, & omnibus corporeis perfectionibus ornatum: ergo etiam omnibus perfectionibus spiritualibus dotavit illum. Consequentia patet, tum à simili, tum, quia Adam non minus primus parens, quam primus omnium hominum erat Doctor, & Rector: sed hæc munera sine omni scientia facere non poterat: ergo &c.

Objicies 1. Ut fert commune proloquium; *Omnis peccans est ignorans*; sed primi Parentes peccaverunt: ergo ignorantes, & non sapientes fuerunt. Patet hoc;

1. quia peccavere, ut promissionem adipiscerent Serpentis, dicentis; *Eritis sicut Dii, scientes bonum, & malum*: ergo nesciebant utrumque ante peccatum. 2. Deus etiam dixit de Adamo; *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est sciens bonum, & malum*; sed hoc fuit post ejus peccatum: ergo. Respondeo, non omne peccatum ex ignorantia procedere, ut patet in malis Angelis, & in iis omnibus, qui peccant ex pura malitia. Omnis verò peccans dicitur esse ignorans, non speculativè, sed practicè, per defectum considerationis actualis in instanti peccati. Nunc ad primum textum; Primi parentes scientiam appetivere supernaturalem, seu superiorem naturali, quam habebant. Ad 2. oculi amborum fuerunt aperti, & scientia experimentali, seu experientia noverunt peccati efectus, quos antea sciebant habitu scientiæ infusso. Ironicè autem, & ex indignatione dixit Deus Adamum factum fuisse scientem post peccatum.

Objicies 2. Philosophia, & rerum naturalium scientia est habitus naturalis: ergo non potuit à Deo infundi Adamo. Consequentia probatur; Habitus supernaturales, ut sunt Fides, Spes, & Charitas, non possunt acquiri: ergo nec habitus naturalis potest infundi. Respondeo, negando consequentiam & paritatem, nam habitus supernaturalis habet esse per creationem ad quam creatura nullomodo potest concurre; at habitus naturalis ab ipsa creatura Deo cum ea concurrente acquiritur. Unde nihil obstat, quod Deus se solo producat id, quod simul cum causa secunda producit: igitur &c.

QUÆSTIO SECUNDA.

Sit ne apud nos vera Philosophia?

Negativam partem docuerunt Academici, qui *nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse ajebant*, (apud Ciceronem lib. 1. Acad. n. 12.) E contra vero Dogmatici

tici se ipsos omnia scire gloriabantur: nos tamen media via incedentes.

Dicimus, multa à nobis sciri, multa nobis certa esse & evidentia; proindeque apud nos veram Philosophiam existere. Ita post Arist. expressè docet Scotus in 1. distinct. 3. quæst. 4. Et probatur multipliciter. 1. Nam prima principia: *Impossibile est idem simul esse, & non esse: Omne totum est majus sua parte*, & similia ita certa sunt, & evidentia, ut nemo, nisi insipiens illa negare audeat: ergo. 2. Existentia corporum, quæ videmus, etiam ab omnibus conceditur, à nulloque negatur; sed nihil ostendit hac super re omnes homines falli: ergo. 3. Intimus animi nostri sensus nos certò convincit, actus mentis nostræ existere: erg. &c. Antecedens patet experientia. Nec in iis potest quisquam seipsum decipere, nam ipsa deceptio internum mentis actum ostendit: ergo tales actus certò, & evidenter noscuntur. 4. Omnes in nobis ipsis experimur innatum sciendi appetitum à Deo cum natura collatum; atqui talis appetitus in omnibus non est innutilis, *Deus, & natura* (ait commune axioma) *nil faciunt frustra*: igitur, ne sciendi appetitus reddatur frustraneus, vera in nobis debet concedi Philosophia.

Objicies 1. Mens nostra in suis cognitionibus dependet à sensibus, quia ut ait proloquium: *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu*; sed sensus fallaces sunt, & erroribus subjecti, ut experientia docet: ergo omnis etiam perceptio mentis nostræ fallax est; adeoque mens ipsa nihil potest certo cognoscere. Respondeo. Distinguo majorem; Mens nostra dependet à sensibus, *quasi à nunciis*, concedo majorem; *velut ab organis*, nego majorem; & distinguo minorem: Sensus sunt fallaces *per se*, nego minorem: *per accidens* concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque mens nostra pro statu isto pendet à sensibus, *quasi à nunciis*, quatenus omnis nostra cognitio pręviam habet sensuum operationem; non tamen dependet à sensibus, *velut ab*

or-

organis, quibus ejus intellectio eficiatur. Sensus autem falluntur non *per se*, sive ex natura sua; sed *per accidens*, aut ex rectæ dispositionis defectu, aut ex medii varietate, aut ex carentia proportionis cum objecto. Et tunc errorem sensus corrigit, seu potest corrigere intellectus. Igitur nil officit, quod sensus sint fallaces, ad hoc ut in nobis vera Philosophia adsit.

Objicies 2. Cognitio certa, & evidens exigit objectum necesarium; sed omnia, quæ videmus, non necesaria, sed contingentia sunt: ergo de istis nulla potest haberi cognitio certa, & evidens. Respondeo: Distinguo majorem: Cognitio certa, & evidens exigit objectum necesarium *quo ad essentiam*, seu *quo ad connexionem prædicatorum*, concedo: *quoad existentiam*, nego majorem; atque sic distinta minori, nego consequentiam. Licet enim solus Deus sit necesarius *quoad existentiam*, quia solus ipse necesario existit; creaturæ vero contingenter; tamen quælibet creatura ex se ita necesariò connectitur cum suis prædicatis essentialibus, ut sine ipsis, nec esse, nec intelligi possit. Et hæc necesitas, & non illa, est, quæ requiritur in objecto cujuslibet scientiæ.

QUÆSTIO TERTIA.

Quonam ex fonte hauserint Ethnici Philosophiam?

Suponit quæstio contra Academicos, Gentiles Philosophos veritates plurimas lumine naturæ comparasse; & inquirit, an solidiorem doctrinam ex Sacra Scriptura desumpserint? Negant plures Sapientes Viri, doctissimique Critici; afirmant vero antiqui Patres, & Interpretes, præcipuè Petrus Daniel Huetius Episcopus Abricensis, in præclarissimo opere Demonstrationis Evangelicæ. Cum quibus

Dicimus, plurimum probabile esse, Ethnicos Philosophos solidiora sua dogmata ex Sacris Litteris de-

promp-

prompsisse. Probatur. Veteres Scriptores testantur, Ethnicos Philosophos Sacra Scriptura usos fuisse, & plurima ex ea didicisse; sed nihil certum objici potest contra hanc Antiquorum sententiam: ergo valdè probabile est Philosophos Gentiles ex Sacris Litteris sumpsisse sua solidiora dogmata. Probatur major. Tertulianus in Apologetico, cap. 47. ait: *Quis Sophistarum, qui non omninò de Prophetarum fonte potaverit? Inde igitur & Philosophi sitim ingenii sui rigaverunt, ut quæ de nostris habent, ea nos comparent illis. Inde, opinor, & à quibusdam Philosophia quoque ejecta est.* Et relatis pluribus exemplis, quibus apparet Gentiles Philosophos imitatos fuisse Sacram Scripturam, inquit: *Unde hæc, oro vos, Philosophis tam consimilia? Non nisi de nostris sacramentis.*

Et S. Cyrillus Alexandrinus in lib. 1. contra Julianum Apostatam probat singulos Græciæ Sapientes fuisse posteriores Moyse, & ex ejus libris solidiora dogmata furasse, dicens: *Omnem, ut ita dicam, Orbem pervagati, semper discendi cupidi fuerunt, ut multa scire, aut cognoscere viderentur.... Ecqui tales viri utilia discere soliti, tam graves historias, dogmatumque, & legum antiquissimam, & accuratam explanationem* (quam Moyses tradidit) *capessere neglexissent? Pytagoras non exiguo tempore in Ægipto moratus, collectis inde, quibus imbutus fuisse perhibetur disciplinis, in Patriam reddiit, quin etiam & Solon, & Plato, uterque in Ægipto versatus, scripta Mosis admirati sunt. Quam autem Græcis Scriptoribus notissimus esset Moses, ex his, quæ ipsi scripserunt, licet cognoscere.* Idque confirmat testimonio Diodori antiquissimi rerum Ægipciacarum Scriptoris. Id ipsum tradunt S. Clemens Alexandrinus, & alii citati hic à nostro Ferrari: ergo.

Objicies 1. Citata Scriptorum veterum testimonia nihil probant, si falso nituntur fundamento; sed ita est: ergo &c. Minor probatur. Testimonia illa nituntur libro Aristææ, quo describitur historia Græcæ ver-

sionis 70. Senioribus facta; sed quæ in hoc libro continentur, & à Philone, Josepho, & aliis confirmantur, falsa esse, & à Judęis ficta videntur, ut apparet ex multis, quæ ibi dicuntur, & à nostro Ferrari citato recensentur: ergo &c. Respondeo, utique ex argumento colligi negantem opinionem esse probabilem. Nihilominus licet Aristæas plura falsa Judæorum more historiæ suæ commiscuit, non ideo omnis fides ei est deneganda, quia non omnia, quæ scripsit falsa sunt, & commentitia. Deinde Græci Philosophi Hæbream linguam discere potuerunt, & sic legere doctrinam Moysis hæbreo sermone scriptam, ut de Platone probabiliter docet S. Aug. lib. 8. de Civit. Dei cap. 11. Denique etsi concedatur non omnem Moysis doctrinam translatam fuisse Græco sermone, ante Ptolomei Philadelphi ætatem, tamen saltem aliquas Pentateuchi partes Grecè redditas fuisse probabilitate non caret, ut probat Huetius citatus.

Objicies 2. Philosophi gentiles sacrum Codicem legere non potuerunt: ergo &c. Antecedens probatur. 1. Quia ante captivitatem Babilonicam paucissima erant exemplaria Sacræ Scripturæ, ut constat ex lib. 4. Reg. cap. 22. ubi ejus inventio refertur, & Josias, qui eam postmodum evulgavit, appellatus propterea fuit Divinæ Legis Restaurator. 2. Nam Judæi ita superstitiosè sacrum Codicem custodiebant, ut eis maximum esset scelus, alienis in religione ostendere, ideoque eorum Doctores Talmudistæ dicunt: *Licere nemini verba legis docere alienigenas.* 3. Denique Judæis prohibitum fuit consortium cum Gentilibus. Hinc Joann. cap. 18. de ipsis dicit: *Non introjerunt in prætorium ut non contaminarentur, &c.*: ergo &c.

Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, nego, quod apud Judæos non essent plura Legis exemplaria, cum ipsis, ut ait Maimonides, præcepto afirmativo juberetur, ut singuli librum legis scriberent, & qui scribere nesciebant pretio emere debebant.

bant. Unde inventio, quæ 4. Reg. refertur, fuit ipsius autographi Moysis, & non alterius. Ad 2. quamvis Judæi librum legis religiossè custodirent, non ex hoc infertur, ipsorum neminem in hac parte vel ex negligentia, vel ex malitia peccasse; aut Græcos sapientes alia via librum legis habuisse. Ad 3. non omne consortium cum Gentilibus prohibitum fuit Judęis, sed solum in cultu Idolorum, prophanisque ritibus, & sacrificiis; poterantque eos in civilibus communicare; ut patet exemplo David, & Salomonis, qui cum Ethnicorum regibus amicitiam habuerunt, ut oportuna ab eis pro Templi ædificatione compararent. Igitur &c.

QUÆSTIO QUARTA.

Expediat-ne Christiano Philosopho unicam eligere Sectam philosophandi, an vagari per omnes?

Sensus quæstionis non est de singulis unius Sectę, aut Auctoris dogmatibus, sivè verbis, quasi pugnandum sit pro omnibus illis. Quod ergo quærimus, est, an magis expediat Christiano Philosopho, probata Sectę cujusdam principalia dogmata fidelitèr amplecti, an variis omnium Sectarum capitibus nomen dare. Generatim quæstio procedit, & ita debet resolvi. In qua

Dicimus, expedit Philosopho Christiano, unicam eligere philosophandi Sectam, & non vagari per omnes. Probatur breviter. Philosophia, ut ait S. Cirillus Alexandrinus lib. 1. contra Julianum, *est Cathecismus ad fidem*; & ut scribit Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromateon, *est Pædagogus ad fidem*; ergo unitas Philosophiæ aliquomodo confert ad unitatem Fidei: Atqui Christianus Philosophus media illa curare debet maximo studio, quæ deserviunt unitati Fidei: ergo curare debet unitatem Philosophiæ; atque ideo expedit illi unicam eligere sectam philosophandi, & non vagari per omnes. Et etiam quia ex unitate principiorum ad-

ve-

venit cuilibet facultati tota firmitas, & robur, ut se tueatur, & oppositas difficultates disolvat: erg. &c. Quod Seneca Epist. 95. eleganti hac declarat similitudine: *Quemadmodum folia virere per se non possunt, ramum desiderant, cui inhereant, ex quo succum trahant; sic præcepta, si sola sunt, marcent: infigi volunt Sectę.* Et ep. 2. ajebat: *Lectio multorum Auctorum, & omnis generis voluminum habet aliquid vagum, & instabile: certis ingeniis immorari, & innutriri oportet, si velis aliquid, quod in animo fideliter sedeat.*

Objicies 1. Unicam præ aliis sectam philosophandi seligere, libertatem philosophandi adimit, factionesque in Ecclesiam inducit: ergo &c. Antecedens probatur 1. quia qui Sectam unam eligit, affectu peculiari in Sectę Auctorem fertur. 2. Seneca lib. de vita beata cap. 30. inquit: *Semper illam unius sequi sententiam, non id curiæ, sed factionis est*: ergo &c. Respondeo, negando antecedens in sensu conclusionis: nos enim nollumus nec singulas opiniones, aut verba alicujus Sectę ita sequi, ut sine ratione etiam sola sufficiat auctoritas, sed loquimur de probatis principiis alicujus Sectę. Quomodo nec moderatus amor in ejus auctorem officit, nec sequitur factio, quam Seneca reprehendit; & potius, quam ipse, Cicero lib. 4. Academicarum quæstionum.

Objicies 2. Christiano Philosopho expedit magis, argumenta Hæreticorum dissolvere posse variis Sectarum principiis: ergo &c. Patet antecedens. S. August. lib. 1. de Trinit. cap. ult. ait: *Securi utamur non uno, sed quotquot reperiri potuerunt. Tanto enim fortiùs convincuntur hæretici; quanto plures exitus patent ad eorum laqueos evitandos*: & Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum cap. 4. inquit: *Philosophiam autem, non dico Stoicam, nec Platonicam, aut Epicuream, & Aristotelicam; sed quæcumque ab his Sectis rectè dicta sunt, quę docent justitiam cum pia scientia, hoc totum selectum dico Philosophiam*: igitur non uni Sectę standum est, sed divagandum per omnes. Respondeo, negando antecedens.

dens. Non tollitur Christiano Philosopho, si teneat unitatem principiorum, multiplex modus solvendi argumenta hæreticorum. Sed curare debet, ut cum aliis catholicis conveniat in ipsa principiorum unitate, ne tribuat hæreticis locum invadendi. S. ergo August. nil aliud vult, nisi quod pugnemus adversus hæreticos multiplici rationum pondere, & variis Scripturæ testimoniis. Clemens verò Alexandrinus loquitur de Sectis Philosophorum nondum ab erroribus expurgatis, quibus scatebant contra fidem; proindeque docet, nullius Sectę nisi rectè dicta esse tenenda.

QUÆSTIO QUINTA.

Quæ Philosophantium Secta sit cæteris jure præponenda?

Multi hac nostra ætate Philosophiam Peripateticam derident, & spernunt. Alii è converso Recentioris Philosophiæ novas opiniones velut catholicæ Fidei non consentaneas imperitè rejiciunt; nos verò, cum jam dixerimus expedire Christiano Philosopho unicam eligere Sectam philosophandi, quænam præ aliis eligenda sit, quærimus. Proinde quæstio hæc est comparatio quædam Sectę Aristotelicæ cum Stoica, Platonica, & Epicurea ex Veteribus, atque cum Gassendistica, Cartesiana, & Newtoniana ex Recentioribus. Et quidem iisdem procedit regulis, ac limitibus, ut quæstio præcedens: nimirum non singula hic accipiuntur dogmata unius Sectę, sed tantum ejus suprema capita, & quæ firma subsistunt ratione. Nec loquimur de vita, & moribus Aristotelis, quem impium fuisse fatemur, & æternis esse addictum tormentis: nec de ejus doctrina ut est in sese plurimis erroribus plena; sed prout expurgata nunc est studio, & labore magnorum Virorum Alexandri scilicet Alensis, Alberti Magni, S. Thomæ Aquinatis, Joannis Dunsii Scoti, aliorumque Sapien-

pientissimorum, & Catholicorum hominum.

Dicimus: Sectam Peripateticam præ aliis omnibus esse seligendam, cæterisque pręponendam. Probatur 1. Illa Secta Philosophantium est præ aliis eligenda, quæ Sapientum judicio melior cæteris judicatur; sed Secta Peripatetica Sapientum judicio melior cæteris judicatur: ergo hæc est præ aliis eligenda. Major est ita certa, ut temerarius reputaretur, qui procederet contra Sapientum commune judicium. Probatur ergo minor. Sapientes olim Aristotelem præ cæteris, ejusque Philosophiam summopere commendarunt. Ita Cicero, alioquin Platoni addictus, lib. 2. de Oratore ait: *Quis omnium doctior, quis auctior, quis in rebus, vel inveniendis, vel judicandis aptior Aristotele?* Quintilianus lib. 10. Institutionum Oratoriarum cap. 1. inquit: *Quid Aristotelem? quem dubito scientia rerum, an scriptorum copia, an eloquendi suavitate, an inventionum acumine, an veritate operum, clariorem putem.* Plinius lib. 8. historiæ naturalis cap. 16. vocat Aristotelem *summum in omni doctrina virum*, & lib. 18. cap. 34. *Virum immensæ subtilitatis.* Apulejus, lib. de Mundo illum appellat *doctissimum, & prudentissimum omnium Philosophorum.* Inde Græcis omnibus, teste S. Cirillo Alexandrino lib. 1. contra Julianum, gravitas Philosophiæ Aristotelicæ usque ad miraculum evasit. Cui consonat elogium illud: *Naturæ miraculum*: quod inscriptum fuit olim statuæ, quam viventi adhuc Aristoteli erexerant: ergo Peripatetica secta justa Sapientum judicium cæteris est pręponenda: ergo &c.

Probatur 2. Secta Peripatetica floruit semper in Ecclesia, habuit sectatores viros sanctitate, & doctrina conspicuos, eidemque orbis Academiæ, & religiosorum Ordines Cathedras, & propugnatores perpetuò consecrarunt. Immò Sacra Parisienssis Facultas anno 1521. hanc Lutheri thesim damnavit: *Philosophia Aristotelis talis est, quæ neque in populo doceri possit, nec ad Scripturæ intelligentiam utilis, quia continet dumtaxat*

por-

portenta verborum, non nisi ad contentiones conficta. Adhucque ipse Lutherus Melanctoni consentiens contrarium postea docuerit: ergo &c.

Probatur 3. Nullum adest fundamentum, sive ratio, ut rejiciatur Secta Peripatetica à Sapientibus jam pridem tam commendata: ergo sequenda est etiam nunc. Patet antecedens. Si aliqua adesset ratio, maximè quia Philosophia Recentiorum novis experimentis, & demonstrationibus veritatem esset asecuta, quam Peripatetica nullatenus assequi potuit; sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur minor: Recentiores Philosophi tanta dissensione pugnant inter se, ut Cartessiani adversentur Gassendistis, Gassendistæ Cartessianis, utrisque Newtoniani, & istis illi ambo; sed hæc tam magna dissensio Recentiorum manifestat, nullam eorum Sectam veritatem esse assecutam: ergo &c. Minor constat ex Tertuliano, dicente: *Varietas opinionum venit ex ignorantia veritatis.* Igitur &c.

Objicies 1. Sancta Scriptura, & SS. PP. rejiciunt Philosophiam Aristotelis: ergo hæc non est cæteris melior, ideoque &c. Probatur antecedens. Apostolus Ep. ad Colossenses cap. 2. inquit: *Videte, ne quis vos seducat per Philosophiam, & inanem fallaciam*; sed nomine inanis fallaciæ intelligit Philosophiam Aristotelis: ergo &c. Minor probatur. Nam Tertullianus, lib. de Præscriptione cap. 7. ait: *Misserunt Aristotelem! qui dialecticam instruxit, artificem struendi, & destruendi versipellem, in sententiis coactam, in conjecturis duram, in argumentis operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractaverit.* Idem habent plures alii PP. quos recenset Ferrarius noster, & præcipuè S. Justinus Martir, qui librum scripsit: *Confutatio Dogmatum Aristotelis*: igitur &c. Respondeo: Scripturam, & PP. rejicere Philosophiam in abutentibus ipsa, ut hæretici, non in illis, qui ea sine aliqua utuntur fallatia, ut patet ex ipsis Apost. verbis, & ex Tertuliano verbis supra relatis addente:

Vi-

Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum Christianismum protulerunt. Denique liber Confutationis Dogmatum Arist. non est germanum opus S. Justini Martiris, ut consentiunt eruditi. Igitur tenendum est cum S. Clemente Alexandrino lib. 6. quod *Sepimentum est Dialectica, ut veritas à Sophistis non proculcetur.*

Objicies 2. Synodus Parissiensis, anno 1204. damnat hæreses Almarici Carnotensis, reprobavit etiam, cremarique jussit libros Aristotelis, tamquam hæreticis faventes, ut refert Joannes Victorinus, in Memoriali historico: quam sententiam approbavit Gregorius IX. *quousque examinati fuerint, & ab omni erroris suspicione purgati*: & Robertus Corcæon Cardinalis, et in Gallia Legatus Innocentii III. ann. 1215. decretum illud confirmans, ait: *Non legantur libri Aristot. de Methaphisica, & naturali Philosophia, nec summæ de iisdem*: ergo. Deinde Philosophia Arist. deficit in necesariis, superabundat inutilibus, & superfluis; innumeri sunt in illa errores, & contradictiones, ut nititur ostendere Gassendus: ergo potius quam eligenda rejicienda est. Respondeo ad 1. concedendo antecedens: de Philosophia Arist. antequam expurgaretur à doctissimis viris Alensi, S. Thoma, Scoto, & cæteris Doctoribus, & negando illud de Philosophia Aristotelica jam expurgata, quam nos amplectimur. Ad 2. autem dicimus: Philosophiam Aristotelicam continere omnia, quę sufficiunt Philosopho; quæ vero superfluere videntur, plurimum conferunt aliis præcipuis quæstionibus aperiendis, & defendendis. Neque in illa tot inveniuntur errores, & contradictiones, quot Gassendus opponit, ut nostri Doctores ostendunt, & nos suis in locis declarabimus.

Objicies 3. Secta Platonica magis accedit Christianæ veritati, ideo Plato *Divinus* est apellatus, & veteres Ecclesiæ Patres, præsertim S. Aug. Platoni erant addicti, eumque sepissimè celebrant: ergo hæc Secta po-

potiùs, quam Aristotelica est eligenda. Respondeo permittendo antecedens, negandoque consequentiam. Non enim exquirimus in presenti *Theologi Simiam*; ut alii ex Clemente Alexandrino appellavere Platonem; sed Philosophum, qui de rebus naturalibus optimè disseruit, atque Philosophiæ partes omnes fuerit diligentèr complexus, ut fecit Aristoteles, cui certè præponendus est Plato, & quoad eloquentiam, & quoad cognitionem plurium veritatum Divinarum, quas ipse ex scriptura transcripsit. Hac proinde de causa celebratur á Patribus præcipuè à S. Aug. qui tamen in lib. de vera religione cap. 2. sic ingenuè loquitur de Platone: *Suavius ad legendum, quam potentius ad persuadendum scripsit Plato.*

Objicies 4. Philosophia Stoicorum cæteris præponenda videtur, nam S. Hieronymus in caput 11. Isaiæ scribit, Stoicos meliores fuisse cæteris Philosophis; & Seneca, Ep. 83. Stoicam Sectam appellat *Sectam fortissimam, atque sanctissimam.* Igitur &c. Respondeo: Stoicos cæteris Philosophis meliores fuisse in parte Ethica, seu quæ ad mores pertinet: quo sensu S. Hieronymus, & Seneca ipsos laudant, non verò in aliis Philosophiæ partibus, quas ipsi neglexerunt, ut ex Xenophonte optimè notat Aulus Gellius, lib. 14. cap. 3. idem scribit Cicero, lib. 1. Academicarum QQ. Iidem quoque Stoici, apud Athæneum, lib. 13. appellantur *Nugarum Mercatores, verborum arbitri, & censores*; & Plutarchus duo oposcula inscripsit; alterum, *Stoicos quam Poetas absurdiora dicere*; alterum *de Stoicorum repugnantiis.* Quapropter Seneca Arist. celebravit præ aliis, habita ratione contemplationis.

QUÆSTIO SEXTA.

Utrum Philosophia sit necessaria ad Theologiam?

Non loquimur de necessitate *absoluta*, seu *simplicitèr* tali, sine qua effectus nullatenus obtineri potest,

quomodo alimentum est ad vitam necessarium; sed de necessitate *conditionata*, sivè secundum quid, quæ ad faciliùs, breviùs, & commodiùs acquirendum finem deservit; et inquirimus, an hoc ultimo modo sit necessaria Philosophia iis, quibus incumbit Theologica dogmata docere, atque adversùs hæreticos tueri, et SS. PP. sententias evolvere?

Afirmativèque respondemus, præcipuè de Philosophia Peripatetica. Probatur 1. pars. Ea facultas utilis est, & necessaria Theologiæ, qua SS. PP. usi sunt, & quam ipsi velut utilissimam commendant; sed SS. PP. in rebus Theologicis usi sunt Philosophia, eamque ut summe utilem celebrant: ergo &c. Probatur minor: Gregorius Nazianzenus in lib. Cicneorum carminum ad Seleucum ipsum sic hortatur: *Subtilibus Philosophorum meditationibus temet exerceto, & Moysis exemplo, qui universam Ægiptiorum Sapientiam perdidicit, disciplinam ethnicarum doctrinarum, tanquam equus judex, qui fert sententiam legibus consentaneum, verorum dogmatum libertati, quemadmodum omnino fieri par est, & sapientissimæ Sacrarum litterarum contemplationi, subservire jubeto.* Idem suadet S. Basilius Concione 1. ad Adolescentes, cui titulus: *Quomodo utilitèr capienda sit doctrina ex Græcis auctoribus.* Hoc ipsum docent alii PP. præcipuè S. Hieronymus, qui Ep. 70. ad Magnum, non solum rationis, et Philosophiæ usum in rebus Theologicis commendat, verum etiam ipsius defensionem suscipit, & egregia similitudine confirmat, dicens: *In Deuteronomio Domini voce præceptum est, mulieris captivæ radendum caput, & ungues amputandas, & sic eam habendam in conjugio. ¿Quid ergo mirùm, si et ego sapientiam sæcularem propter eloquii venustatem de ancilla, atque captiva Israelitidem facere cupio?* Idque corroborat Veterum PP. *exemplo, qui omnes* (inquit) *in tantum Philosophorum doctrinis, atque sententiis suos refarciunt libros, ut nescias, quid in illis primum admirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam Scripturarum:* igitur &c.

Pro-

Probatur ergo pars 2. Peripatetica Philosophia, ut nullus ignorat, est, quæ præcipuè traddit Dialecticam, seu ratiocinandi facultatem ; sed hanc commendant SS. PP. in rebus Theologicis: ergo Philosophia, quam SS. PP. præcipuè commendant, est Peripatetica : igitur &c. Probatur minor : S. Basilius in caput 1. Isaiæ, inquit : *Facultas Dialecticæ instar muri est sacris dogmatibus, quod ea non sinit facilè diripi, & quorumlibet incursioni patere.* S. Gregorius Nazianzenus orat. 20. maximoperè laudat ipsius Basilii Dialecticam, *in qua* (ait) *adeo excelluit, ut iis, qui cum eo disputabant, facilius esset è labyrinthis sese extricare, quam argumentorum ejus laqueos effugere.* Alii SS. PP. usi sunt Dialectica ad convincendos refutandosque hæreticos, ut Basilius, et Gregorius Nissenus contra Eunomium, & S. Cyrillus Alexandrinus in Thesauris, & Dialogis. Idem prestiterunt cæteri PP. tam Græci, quam Latini. E quorum numero S. Aug. necessitatis Dialecticæ vindex extitit, & assertor adversus Cresconium Grammaticum lib. 1. cap. 13. & seq. ubi & S. Paulum Dialecticum fuisse contendit, quia *acutè disputabat* cum Stoicis dialecticis, & etiam Christum Dominum, dum Judæos compulit confiteri, tributum Cæsari esse tribuendum; & subdit : *Si Christum dixeris Dialecticum, laudabis Dialecticam, quam mihi pro crimine objeceras*: ergo Philosophia, qua usi sunt, cujusque utilitatem, et necessitatem commendant SS. PP. est, quæ tradit Dialecticam : igitur &c.

Objicies 1. Si Philosophia esset Theologiæ necessaria; hæc ex se omninò esset imbecillis, tuerique se sine Philosophia non posset ; sed hoc Theologiæ indecorum est, cujus fundamentum est fides, quæ Divino innititur testimonio: ergo Philosophia non est Theologiç necessaria. Respondeo, distinguendo majorem : Si Philosophia esset Theologiæ necessaria *absolutè*, et *simpliciter*, hæc ex se omninò esset imbecillis, tuerique se sine Philosophia non posset concedo majorem; si esset ne-

necessaria tantum *secundum quid*, seu conditionatè neg. maj. Licet enim Theologia fidei nitatur fundamento, divina, scilicèt, revelatione, quæ verissima est, tamen ut contra hæreticos, Gentilesque procedat, aliquomodo famulatu indiget Philosophiæ. Quod optimè declaravit S. Clemens Alexandrinus, dum lib. 1. Stromateon dixit: *Græca Philosophia ad doctrinam Salvatoris accedens, non potentiorem facit veritatem, sed sophisticam adversus eam impressionem imbecillem reddens, propulsansque dolosas contra veritatem insidias, congruens vineæ sepimentum, & vallum dicitur.*

Objicies 2. Sacra Scriptura, Concilia, & PP. redarguunt eos, qui Fidei dogmata ex Philosophia, & naturali ratione investigare nituntur: ergo Philosophia non est Theologiæ necessaria, nec utilis. Antecedens probatur, nam Apostolus ad Roman. cap. 8. ait: *Sapientia carnis inimica est Deo.* Et Ep. 1. ad Corinthios cap. 2. *Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis.* Concilium etiam Carthaginense IV sancivit, ut Episcopus neutiquam libros Gentilium legeret. Denique S. August. Epist. 118. reprehendit Dioscorum Episcopum, qui ab ipso petierat solutionem quarumdam quæstiuncularum ex Ciceronis Philosophia depromptarum: ergo &c. Respondeo, meritò reprehendi illos, qui Divina Mysteria ex Philosophia, & naturali ratione præscrutari nituntur; quod nil est aliud, quam Fidem subjicere rationi, & Philosophiæ, cum è contra hæ Fidei debeant famulari. Quod nos intendimus; nec contra hoc urgent prædicatæ autoritates. Nam Apostolus 1. loco *sapientiam carnis* vocat *inimicam Deo*, quæ Divinæ legi adversatur: ut illum explicat S. Aug. Serm. 7. de verbis Apostoli. In 2. afirmat se Christum anuntiare non per Rhetoricæ flosculos, aut figuras, sed *in ostensione spiritus, & virtutis.* Concilium vero libros Gentilium prohibuit Episcopis propter abusum, ne Dominici gregis curam negligerent, & ne vanitati deservirent. Eademque ratione

ne

ne reprehendit Dioscorum S. Aug. unde optimè subdit: *Quod non ideo dico: quia istæ discuntur quæstiones, sed quia tali fine discuntur*, vanitatis nempe.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Utrum liceat philosophari posthabita Sacra auctoritate?

Non defuere antiqui quidam hæretici, qui Fidem Christianam ex Philosophia, & ratione naturali definiendam esse blasfemarent. E contra verò his novissimis temporibus nefarius Christianæ Religionis hostis Benedictus Spinoza in suo tractatu Theologico-Politico docuit, neque Theologiam, hoc est Fidem rationi, neque rationem Theologiæ ancillari, sed unicuique suum esse tribuendum regnum. A quo paulo videntur recedere Recentiores aliqui, qui in Philosophicis rebus non alium ultimum judicem agnoscunt, nisi rationem naturalem, & experientiam; argumentumque ex Divinis Litteris, & Ecclesiæ auctoritate deductum rejiciunt. Contra quos omnes

Dicimus, non licere Christiano Philosopho in rebus naturalibus pro arbitrio disserere, posthabita Sacra auctoritate; sed Philosophiam huic subjectam esse, ab ejusque judicio pendere. Probatur brevitèr: Concilium Lateranense V. Ses. 8. definivit: *Omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omninò falsam esse*: ergo ut assertio Philosophica vera sit Sacræ auctoritati contraria esse non debet: igitur naturalis ratio, & Philosophia subdita est Sacræ auctoritati, velut judici, à quo corrigi potest, & erroris convinci. Unde celebre illud Augustini: *Dum Cælum, tonat ranæ taceant.* Concludendumque est cum ipso S. Doctore, Epist. 143. ad Marcellinum dicente: *Si quæ ratio contra Divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamvis acuta, sit, fallit verisimilitudine, nam vera esse non potest.* Igit. &c.

Ob-

Objicies 1. Si philosophari non liceret, posthabita Sacra Auctoritate, tolleretur libertas philosophandi; sed hoc non est dicendum: ergo nec illud. Prob. maj. Tunc non posset Philosophus illas tenere sententias, quas per rationem, & experientiam exploratas haberet; sed captivare deberet intellectum in obsequium fidei: ergo tolleretur illi philosophandi libertas. Respondeo, concedendo majorem de libertate inordinata philosophandi, non verò de ordinata: nam hæc suos habet limites, & humana ratio debet suam infirmitatem agnoscere, seque adversus supremam Dei, & Ecclesiæ auctoritatem non inflare; & illi subjici, sicut sensus subditus est intellectui, velut facultati longè perfectiori, à quo emendari, & corrigi potest. Quod revera libertati philosophandi non officit, sicut nec ad leges subjectio, ut dicebat Arist. 5. Politicorum: *Non enim vivere ad Politicam, & leges putare servitutem, sed salutem oportet.* Immò hæc est libertas, qua Christus nos liberavit, & qua gaudent naturales, & liberales scientiæ, ut inquit S. Aug. Epist. 101. ad Memorium, n. 2. dicens: *Neque enim habent congruum libertati, nisi quod habent congruum veritati.*

Objicies 2. Res Philosophicas ex fide stabilire expositum est erroribus: ergo &c. Antecedens constat; nam Veteres PP. cum S. August. lib. 16. de Civit. Dei cap. 9. Antipodas rejiciebant; & Zacharias Papa, urgente Bonifacio Episcopo Moguntino, sententiam suspensionis tulit adversus Virgilium Præsbiterum, quod Antipodas extare afirmasset: & alii PP. dicebant Cœlum, tamquam fornicem constitutum esse, cum in Sacris litteris Tabernaculum appelletur; sed hæc omnia, ut falsa rejiciuntur à Philosophis, cum ratio, & experientia doceat oppositum: ergo &c. Respondeo, negando antecedens; ad probationes concedo aliquos PP. Antipodas negasse, & cœlum ad instar fornicis esse docuisse, sed in hoc vulgarem exponebant sententiam, remque ex professò minimè tractabant. Nec Zacharias

ab-

absolutè damnavit Virgilium, sed (ut habetur in ejus Epist. 11. ad Bonifacium scripta, ann. 748.) *si clarificatum fuerit ita eum confiteri, quod alius Mundus, & alii homines sub terra sint, seu Sol, & Luna; hunc habito Concilio, ab Ecclesia pelle, Sacerdotii honore privatum.* Unde cum hos errores, ut dicebatur, Virgilius non doceret, damnatus minimè fuit; immò ad Episcopatum postea evectus, demum à Gregorio IX. Sanctorum albo adscriptus fuit. Ex quibus omnibus nil sequitur contra nos: igitur &c.

PARS PRIMA PHILOSOPHIÆ, SEU LOGICA.

PRÆFATIO.

Logica, sic dicta, à verbo græco *Logos*, quod significat rationem, & sermonem, ita definiri valet: *Facultas directiva actuum rationis.* Dicitur etiam Dialectica, à verbo græco *Dialegome*, quod ex Cicerone lib. 3. de nat. Deorum, idem est, ac probabilis disputatio. Quo in sensu definitur: *Facultas probabilitèr disputandi.* Cęterum jam sumitur communitèr pro quolibet disputandi genere. Unde ab Aug. lib. 1. de Principiis Dialect. definitur: *Scientia benè disputandi.* Logica ergo anthonomasticè sumpta est Logica Magna, & appellatur sic, quia res ad finem dirigendi intellectum conducentes longiori pertractat calamo. Quia vero materia ejus latissima est, & in ea multum temporis, & olei teritur; ideo post Petrum Hispanum omnes dialectici de his omnibus brevitèr agunt in quodam tractatu, qui communitèr nominatur: *Logica parva, Institutiones Dialecticæ, & Summulæ.*

Dicitur *Logica parva*, quia more compendii quædam sugerit præcepta ad difficilia intelligenda, de quibus

bus Logica magna agit. Nominatur verò *Institutiones Dialecticæ*, quatenus prima Logicæ principia, elementaque traddit. Denique *Summulæ* appellatur, id est summa parva, seu brevis concludens omnia, quæ in Logica magna traduntur. Ac per consequens ejus est finis proximus, mentem aptare Tyronum ad intelligenda difficiliora, quæ Logica magna docet. Remotus tamen, qui est idem cum fine ipsius Logicæ magnæ, est, operationes intellectus dirigere, ne errent in attingentia veritatis.

Quæ omnia, ut intelligas, adverte, tres esse nostri intellectus operationes. 1. Nempè *Simplex apprehensio*, quæ est, *Cognitio rei nihil de illa affirmans, vel negans*; ut cum Jesum apprehendo, nil de illo affirmando, vel negando. Ad hanc autem operationem dirigendam deservit 1. Logicæ pars, quæ ab Arist. vocatur *Categoria*, & latinè dicitur *Prædicamentum*; in qua Philosophus asignat clases, ad quas reducuntur omnia entia realia simplicia, seu incomplexa, ipsaque ordinat in ratione subjecti, & prædicati. Cui etiam adjungitur liber Porphirii de Prædicabilibus.

2. Appellatur *Judicium*, estque, *Cognitio rei aliquid de illa affirmans, vel negans*; ut in hac, *Deus est infinitus*, ubi de Deo asseritur, quod infinitus est. Et hanc dirigit 2. Logicæ pars, quæ vocatur *Perhyermenias*, seu de interpretatione, in qua agitur de enuntiatione, seu propossitione, quæ est materia proxima silogismi. 3. Denique vocatur discursus, et est, *Cognitio rei, qua ex uno aliud infertur*; ut in hac, *Christus est homo: ergo, & risibilis.* Ubi ex Christi rationalitate ejus infertur risibilitas. Cujus directioni 3. Logicæ pars deservit, quæ *Annaliticorum* dicitur; & à Philosopho in quatuor partes dividitur; scilicèt, de *priori Annalyssi*, seu de Sylogismo in communi; de *posteriori Analyssi*, aut de Sylogismo demonstrativo, *Topicos*, seu de Sylogismo probabili; *Elenchos* denique, sivè de Sylogismo sophistico. Quibus ita suppositis, sit

LI-

LIBER PRIMUS SUMMULARUM.

De veritate simplici primæ intellectus operationi respondenti.

CAPUT PRIMUM.

De Termino in Communi.

Terminus Phisicè loquendo, extremum est, rem phisicam claudens, ut muri Civitatem cingentes; Rethoricè verò idem est ac *dictio* inter Grammaticos; Logicè tamen, & prout ad præsens attinet, sic ex Scoto, & Arist. communitèr à Scotistis deffinitur: Terminus est *Extremum propositionis cathegoricæ.* In qua per ly *extremum* convenit genericè cum termino Physico, differtque à Rhetorico, ac per ly *propositionis cathegoricæ* distinguitur à terminis hypotheticæ, qui non termini, sed propositiones sunt.

In propositione ergo reperiuntur tria, ex quibus componitur: nempè *Subjectum*, & est, *id, de quo aliquid dicitur*; *Prædicatum*, estque, *id, quod dicitur de alio*; atque *unio*, seu copula, *Quæ conjungit prædicatum cum subjecto.* Ut in hac: *Caro mea verè est Cibus*, ubi ly *Caro* est subjectum de quo *Cibus* dicitur, *Cibus* verò est prædicatum, quia dicitur de *Carne*; at verbum *est* se habet ut unio, quę utrumque conjungit. Reliquæ autem dictiones (si quæ in propositione reperiuntur) ut casus obliqui, adverbia, conjunctiones, &c. se habent respectivè per modum unius cum subjecto, vel prædicato; ut ly *mea* cum subjecto *Caro*, & ly verè cum prædicato *Cibus*, facitque hunc sensum: *Caro mea est verus cibus.*

Ex quibus omnibus manifestè deduces: 1. Copulam formalitèr ut talem non esse terminum Logicum; nam

in quantum est medium uniens extrema, nequit esse extremum, ut est evidens. 2. Voces, scripturas, & conceptus extra propositionem actu esse terminos, licèt actu propositionem non componant, quia ut ait commune proloquium: *Verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem.* 3. Voces non significativas, ut *Blictiri, Sindaxus, Buf, &c.* esse formalitèr terminos; nam possunt esse propositionis extrema, ut in hac *Blictiri est trisylabum.*

Hic tamen est advertendum, Subjectum, & Prædicatum duplicitèr posse sumi, scilicèt, *ut quo, seu formalitèr*, & sunt voces, conceptus, vel scripturæ res significantes; & *ut quod, seu objectivè*, suntque res significate per voces, conceptus, vel scripturas; ut in hac, *Petrus est sanctus*, hæc scripturæ, voces, & conceptus, quos formo de Petro, & de ejus sanctitate sunt subjectum, & prædicatum, *ut quo, seu formalitèr*; ipse verò Petrus, & sanctitas, quæ in ipso est à parte rei, sunt subjectum, & prædicatum *ut quod, seu objectivè.*

DIGRESSIO BREVIS.

De Signo, & illius divissionibus.

Signum communitèr deffinitur: *Quod institutum est ad aliquid aliud à se repræsentandum potentiæ cognoscitivæ.* Pro cujus intelligentia, & quia plura signa sunt objecta, nota, *quod objectum* est *id, quod objicitur potentiæ*; & est triplex, scilicèt, *Motivum tantum*, & est: *Quod movet potentiam, non tam ad sui, quam ad alteriùs rei cognitionem*, ut imago Christi, quæ tam ad sui, quam ad Christi cognitionem potentiam movet: *Terminativum tantum*, estque, *res cognita per notitiam ab alio objecto productam*, ut ipse Christus, in quo sistit cognitio, quam, non ipse, sed ipsius excitaverat imago; & *Motivum, & terminativum simul, Quod movet potentiam ad sui ipsius cognitionem*, ut paries, quan-

quando in se ipso videtur, & cognoscitur. Horum ergo *Motivum tantum* est signum, quia solum illud aliud à se repræsentat. Nuncque facilè intelliges deffinitionem signi: in qua per ly *ad repræsentandum* convenit genericè cum objecto seipsum repræsentante, per cæterasque particulas differt ab illo.

Signum ergo potest comparari, vel ad potentiam, cui repræsentat, vel ad signatum, cujus est signum; & ex utroque capite venit dividendum. Et 1. per ordinem ad potentiam dividitur in *Formale*, *Quod absque sui prævia cognitione repræsentat*; ut species impressa, quæ reddit potentiam virtualitèr cognoscentem; vel ut species expressa, quæ reddit ipsam formalitèr cognoscentem; & etiam in *Instrumentale*, *Quod* (ut ait S. P. Aug. lib. 2. de Doctrin. Christ.) *præter speciem, quam ingerit sensibus aliquid aliud facit in cognitionem venire*; seu breviùs: *Quod priùs cognitum ducit in cognitionem alteriùs*: ut imago Christi.

Ratione verò habitudinis ad signatum dividitur signum in naturale, ad placitum, & ex consuetudine. *Naturale* est, *Quod institutum est à natura ad aliud à se repræsentandum*, sic gemitus significat dolorem, risusque lætitiam. At habet duas conditiones, alteram, quod repræsentet idem apud omnes, alteram, quod nequeat à sua significatione deponi. Proindeque ejus ratio formalis stat in conexione naturali, ac proportione, quam habet cum re significata; aptitudoque ad significandum ex hac proportione orta passio ejus dicitur.

Signum ad *Placitum* est, *Quod ex libera hominum impossitione repræsentat*, ut ramus ante domum significat vinum vendibile, & hæc vox *homo* significat hominem. Et etiam habet duas conditiones signo naturali oppositas; unam, quod non significet idem apud omnes; ista enim vox *Sed* aliud latinè, aliud hispanicè significat; alteram, quod possit à sua significatione deponi. Constituiturque formalitèr per denominationem realem extrinsecam derelictam ab actu voluntatis

pri-

primi imponentis, qui, dum non retractatur, moralitèr perseverat.

Signum tamen *ex consuetudine* est, *Quod aliquid ex usu quodam, & consuetudine repræsentat.* Ut mappæ suprà mensam significant prandium ineundum, & canis sæpè visus præcedere significat Dominum venientem. Sed hoc signum semper redducitur, vel ad naturale, si consuetudo fundatur in natura; vel ad signum ad placitum, si consuetudo in hominum arbitrio fundatur. Unde exemplum Canis redducitur ad naturale, mapparumque ad signum ad placitum.

Etiam signum instrumentale dividitur in *manifestativum tantum, seu artificiale, Quod ita repræsentat rem, ut non possit loco illius in propositione substitui*; ut imago Christi, quæ Christi loco non potest in propositione locari; & etiam in *doctrinale, seu manifestativum, & suppositivum simul, Quod ita repræsentat rem, ut possit loco illius in propositione substitui*, ut voces, quibus utimur loco rerum, cum res non possimus ad scholas adducere. Denique dividitur signum instrumentale in *Practicum, Quod causat id, quod repræsentat*, ut Sacramenta novæ Legis, quæ causant gratiam, quam repræsentant; & in *Speculativum, Quod solum repræsentat, sed non causat rem repræsentatam*, ut cætera exempla suprà relata.

CAPUT SECUNDUM.

Dividitur Terminus in mentalem, vocalem, & scriptum.

Terminus Logicus sivè sit subjicibilis, sivè sit prædicabilis prima sui divissione dividitur in *Mentalem*, qui est, *Extremum propositionis mentalis*, in *Vocalem*, qui est *Extremum propositionis vocalis*, & in *Scriptum*, qui est *Extremum propositionis scriptæ*. Deinde terminus mentalis dividitur in *Ultimatum*, & non *Ultimatum*; ille

ille est *Cognitio rei significatæ per vocem*, iste verò est *Cognitio nominis significativi*, *non cognita re significata.*

Dividitur etiam terminus mentalis, in *Directum*, qui est, *Cognitio terminata ad rem distinctam ab actu ejusdem potentiæ*; & in *Reflexum*, qui est, *Cognitio cognitionis ejusdem potentiæ.* Quod debet intelligi de cognitione ejusdem potentiæ, tam specificæ, quam numericæ. Undè actus, quo Angelus meam cognoscit cognitionem, non debet dici reflexus. Terminus tam vocalis, quam scriptus dividitur in *Significativum*, & non *Significativum*; ille est, *Extremum propositionis ad placitum significativum*, iste verò est, *Extremum propositionis nil ad placitum significans.* Ut *Blictiri*, *Sindaxus* &c.

CAPUT TERTIUM.

Dividitur terminus significativus ratione significationis, modi significandi, & rei significatæ.

Primo ratione significationis dividitur terminus, in *Cathegorematicum*, *Qui aliquid per se significat*, seu qui se solo potest subjici, vel prædicari, ut *Christus*; & in *Syncathegorematicum*, *Qui significat aliqualitèr*, sivè qui significat aliquid, quod nequit concipi, nisi ut modificatio alteriùs, ac proindè se solo nequit subjici, vel prædicari, ut Adverbia, & signa universalitatis, scilicèt, *velocitèr*, *diligentèr*, & *omnis*, *quidam*, *nullus.* Datur etiam terminus ex utroque mixtus, ut *nihil nemo*, atque ita duobus equivalet Cathegorematico, scilicèt, & Syncathegorematico. Nomina verò adjectiva, ut *albus*, *justus* sunt propiè termini cathegorematici; nam se solis possunt prædicari, ut in his: *Petrus est albus*; *Paulus est justus.*

Deinde terminus cathegorematicus dividitur in *Simplicem*, seu *incomplexum*, *Cujus rei*, *ut significatæ incomplexus in anima correspondet conceptus*, *ut homo*, &

in-

in *Compositum*, seu *complexum*, *Cujus rei, ut significatæ complexus in anima correspondet conceptus*, ut hæc vox *curro*, qua audita, mens quasi partitur ipsa in duas, scilicèt, *ego curro.* Datur etiam terminus complexus, quando duæ voces inter se conjunguntur, sivè per concordantiam, *ut homo justus*, sivè per determinationem recti, & obliqui, ut *pallium Joseph*, sivè per conjunctionem, ut *Petrus*, *& Joannes.* Tandem terminus Cathegorematicus dividitur in *Finitum*, *Qui rem determinatam significat*, ut *homo*, *Leo*; & in *Infinitum*, *Qui nihil determinatè significat*, id est, nil determinat, sed tantum denotat, quid res non sit, ut *non lapis.* Nam ly *non* applicatum subjecto, aut prædicato illa infinitat; sed cum copulam afficit, negat prædicatum, & ipsum à subjecto removet; & sic solet dici malignantis naturæ.

Ratione verò modi significandi dividitur terminus Cathegorematicus in *Concretum*, *Qui significat formam*, *ut in habente ipsam*, ut *homo*, qui ex modo significandi, ut *habens humanitatem* concipitur; & in *Abstractum*, *Qui significat formam*, *ut ab omni alio separatam*, *ut albedo*, *humanitas*, *Deitas*, quæ licèt separatæ non sint, ex modo tamen significandi, ac si essent separatæ intelliguntur. Rursus dividitur terminus in *Absolutum* (non loquimur de absoluto, ut opponitur relativo) & est, *Qui ultrà propium*, *& principale significatum*, *nihil extraneum requirit ad habendum conceptum quietativum ejus*, ut *homo*, *lapis &c.* & in *Connotativum*, *Qui ultrà propium*, *& principale significatum aliquid extraneum requirit ad habendum conceptum quietativum ejus.* Sic Cæna connotat tempus vespertinum, accidens substantiam, & forma materiam, quæ sunt extra conceptum formalem talium rerum. Præterea dividitur terminus in *Substantivum*, *Qui significat rem per modum*, *per se stantis*, ut *Jesus*, & etiam, ut *albedo*, quæ licèt in re inhæreat alteri, ex modo tamen significandi, ac si nullatenus inhærèret, concipitur; &

in

in *Adjectivum*, *Qui significat rem per modum alteri adjacentis.* Ad quod, sivè in re inhæreat, sivè non, sufficit, quod ex modo significandi per modum adjacentis significetur, ut *humanum* &c.

Tandem ratione rei significatæ dividitur terminus in *Communem*, *Qui significat plura divisim*, ut *homo*, qui convenit omnibus, & singulis hominibus, de ipsisque divisim affirmari potest; & in *Singularem*, *Qui unam tantum rem singularem significat*, *vel plura per modum unius*, ut *Civitas*, quæ licèt plures significet cives, ipsos verò per modum unius significat, de ipsisque seorsim verificari nequit. Hic autem terminus singularis dividitur in *Determinatum*, *Qui per propium nomen rem determinatam significat*, ut *Jesus*; in *Collectivum*, *Qui in singulari numero significat plura copulatim*, ut *Matritum*; in *Demonstrativum*, *Qui*, *cum sit ex se communis ratione signi particularis determinantis unum significat*, ut *hic homo*; in *ex-suppositione*, *Qui plura potens significare*, *ratione tamen alicujus suppositionis unum tantum significat*, ut *Filius Virginis*, significat Christum Dominum, supposito nullam aliam matrem præter suam fuisse Virginem; & denique in *Vagum*, *Qui unam rem*, *sed indeterminatam significat*, ut *quidam homo.*

Terminus autem communis dividitur in *Transcendentem*, & *Suprà-transcendens.* Hic est, *Qui significat tam id*, *quod est*, *quam id quod non est*, seu *Qui significat rationem communem possibili*, *& repugnanti*, & communitèr finitur in *bile*, ut *imaginabile*, *intelligibile*, & *excogitabile.* Ille verò est, *Qui significat rationem communem omni existenti*, *& possibili*, denotaturque per dictiones incipientes his litteris; R. E. V. B. A. V., id est, res, ens, verum, bonum, aliquid, unum.

Deinde terminus communis subdividitur in *Univocum*, *Æquivocum*, & *Analogum.* *Univocus* est, *Qui convenit pluribus secundum idem nomen*, *& rationem per tale nomen importatam*: ut *homo*, qui convenit Petro,

& Paulo, non solum secundum nomen, sed quia uterque est animal rationale, quæ est ratio per tale nomen importata. *Æquivocus* est, *Qui convenit pluribus secundum nomen, sed non secundum rationem per tale nomen importatam*: ut *Canis*, qui secundum diversas rationes dicitur de latrabili, marino, & de sydere cœlesti.

Dividiturque in æquivocum à *Casu*, *Qui casu, & fortuito significat plura diversa in ratione per tale nomen importata*; & hæc propissimè sunt æquivoca; & in æquivocum à *Consilio*, *Qui significat plura in ratione significata non omninò, sed aliqualitèr tantum similia*; & hæc reverà sunt Analoga, ut *Nero*, qui significat hominem crudelem propter illius similitudinem cum Nerone in crudelitate; & sanum significat animal, urinam, & medicinam propter habitudinem, quam urina per modum signi, & medicina per modum causę dicunt ad sanitatem animalis. Pro quibus observa duas regulas: 1. *Quod analogus per se sumptus stat pro famossiori significato*, & sic *homo* stat pro vero, non pro picto. 2. *In analogis talia sunt subjecta, qualia permittuntur à suis prædicatis*, ut si dicas, *homo est pictus*, ly *pictus* non permittit subjectum homo pro vero sumi.

Postremò, terminus vel est primæ intentionis, et est, *Qui significat aliquid secundum id, quod habet à parte rei*, ut *lapis*; vel secundæ intentionis, estque, *Qui significat aliquid secundum id, quod habet ab aliquo atributo rationis*, ut *genus*, *species*, &c. Quas omnes divissiones, si attentè inspicias, invenies: 1. Divissionem termini in mentalem, vocalem, & scriptum esse accidentalem, sivè accidentis in subjecta; nam ibi non datur differentia ex parte formæ, seu secundæ intentionis, sed solùm ex parte substracti. 2. Talem divissionem esse analogi in sua analogata; quia ratio termini solùm propiè in mentali reperitur, impropiè verò, & per ordinem ad mentalem, in vocali, &

scrip-

scripto. 3. Terminum *Deus* ratione modi significandi esse terminum communem, singularem verò ratione rei significatæ.

CAPUT QUARTUM.

De singulis terminorum affectionibus, seu propietatibus.

1. Termini propietas est *Suppositio*, quæ est *Positio, seu usus termini in propositione pro aliquo, de quo verificatur.* In qua positio, seu usus est genus, quo convenit cum usu vocum ad Rethoricè loquendum, & ad exercitium puræ significationis. Dicitur in *propositione*, quia termini extra propositionem non supponunt. Ponitur pro *aliquo*, & non pro alio, quia termini aliquando supponunt pro se ipsis, ut in hac; *Petrus est vox dissilaba.* Additur tamen *de quo verificatur*, id est, de quo terminus verè afirmatur.

Suppositio ergo 1. dividitur in *Materialem*, quæ est, *Positio termini pro ipsa materia vocis, ut in ista; Joannes est vox significativa*; & in *Formalem*, quæ est, *Positio termini pro re quam significat*, ut in hac *Christus est Deus.* Suppositio formalis dividitur in *Impropiam*, quæ est, *Positio termini pro re, quam impropiè, & methaphoricè significat, ut in hac; vicit Leo de tribu Judà*; & in *Propiam*, quæ est, *Positio termini pro re, quam propiè significat.* At hæc etiam dividitur in *Simplicem*, quæ est, *Positio termini pro suo immediato significato immobilitèr acepto, ut homo est species, Petrus est individuum*; & in *Personalem*, quæ est, *Positio termini tam pro mediato, quam pro immediato significato*, ut *homo est risibilis, Petrus est rationalis.* Hoc enim modo supponit terminus mobilitèr; valet utique descensus, & ascensus, dicendo: *Petrus est rationalis: ergo homo est rationalis, homo est risibilis*: ergo *Petrus est risibilis.* Quod quidem in suppositione simplici minimè

contingit; non enim valet, *homo est species*: ergo *Petrus est species*, nec, *Petrus est individuum*: ergo *homo est individuum*. Alias suppositionis divisiones, utpote parùm utiles, omitimus apud AA. videndas.

2. Termini propietas est *Appellatio*, estque, *Applicatio formalis unius termini suprà significatum alterius*, ut in hac; *Album est dulce*. Ubi dulcedo, quæ est significatum formale termini appellantis applicatur subjecto termini appellati, & reddit hunc sensum: *Subjectum habens albidinem est subjectum habens dulcedinem*. Appellatio dividitur in *Materialem*, *in qua terminus appellans applicat suum significatum formale suprà materiale termini appellati*; ut in hac: *Album ædificat*, quæ reddit hunc sensum: *Subjectum habens albedinem ædificat*; & in *Formalem*, *In qua terminus appellans applicat suum significatum formale suprà formale termini appellati*, ut in hac, *Album disgregat visum*, ubi effectus disgregandi applicatur significato formali termini appellati, scilicèt, *albedini*.

3. Termini propietas est *Status*, qui est, *Positio termini pro significatis correspondentibus copulæ de præsenti*, ut in hac, *Petrus currit*, in qua ly *Petrus* statum habere dicitur, quia stat pro præsentibus. Unde non benè aliqui statum extendunt ad quodcumque tempus per copulam importatum. Hoc enim ampliatio, et non status esset; nam in rigore logico solum præsens indicativi præ se fert statum; reliqua verò tempora dicuntur obliqua, seu casus, quia cadunt à modo propio verbi. Casus ergo, & cadere non cohærent cum stare, & statu.

4. Termini propietas est *Ampliatio*, quæ est, *Acceptio termini pro majori suppositione*, vel *Extensio termini à minori ad majorem suppositionum*; & potest esse vel quo ad tempus tantùm, ut in hac, *Petrus legebat*, quæ explicatur, *Petrus, qui vel fuit, & non est, vel fuit, & est, legebat*; vel quo ad tempus, & significata simùl, ut in hac: *Justi in perpetuum vivent*, quæ non

so-

solùm extenditur ad tempus futurum, quod per copulam importatur, sed ad justos, qui sunt, fuerunt, & erunt.

5. Denique propietas termini est *Restrictio*, estque, *Acceptio termini ad minorem significationem, quæ ex natura rei illi competebat ratione alicujus adjuncti*; & potest contingere ratione adjectivi, ut *homo albus disputat*; ubi ly *homo*, qui est terminus communis ad solum album restringitur; vel ratione appositionis inferioris ad superiùs, ut *animal homo disputat*: vel ratione obliqui; *ut equus Petri currit.* Restant adhuc 3. termini propietates parvi momenti. Nempè *Alienatio*, quæ contingit, *Quando adjectivum aliquod tolit propium, & naturalem termini significationem*, ut cum dico, *Homo pictus. Diminutio*, quæ habetur, *Quando termini significatio minuitur ob aliquam particulam adjunctam: ut si dicas, Æthiops est albus secundum dentes.* Et *Remotio*, quæ est, *Totalis distractio termini à sua significatione, ita ut ratione adjuncti non possit supponere*; ut in hac, *homo irrationalis currit*, & hæc etiam vocatur implicatio in terminis.

LIBER SECUNDUS SUMMULARUM.

De veritate composita secundæ intellectus operationi correspondenti.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, verbo, & oratione.

Nomen grammaticè aceptum est, *Vox declinata per casus*; logicè verò, & prout nostri est instituti, definitur ab Arist. *Vox significativa ad placitum sine tempore, finita, & recta, cujus nulla pars separata signi-*

fi-

ficat. Tres primæ particulæ digressione de signo manent explicatæ. Illa verò *sine tempore*, per quam differt à verbo, denotat nomen significare aliquid, non ut fluens, & egrediens, sed ut stans. Contra quod non obstat, quod significet tempus, ut mensis, annus, dies, &c. vel connotet tempus, ut Cæna; nec quod ex parte rei significatæ cum tempore significet, dummodo saltem ex parte modi significandi cum tempore non significet, ut sunt participia. Ly *finita* excludit à ratione nominis terminum infinitum, ut *non homo*. Ly *recta* denotat omnes casus obliquos ratione nominis carere. Denique per ly *cujus &c.* excluduntur à ratione nominis terminus complexus, & oratio, cujus partes idem significant separatæ, ac conjunctæ. Quia ergo Philosophus allata definitione solùm nomen vocale comprehendit, ideo in communi sic valet definiri: *Signum significans sinè tempore incomplexum, finitum, & rectum.*

Post nomen definivit Arist. verbum dicens: *Est vox significativa ad placitum cum tempore, finita, & recta, cujus nulla pars separata significat; & est semper nota eorum, quæ de altero prædicantur.* Per ly *cum tempore* differt à nomine, & denotat actionem, ut exercitam in aliqua temporis differentia. *Finita* excludit verbum infinitum, ut *non amo*, ly *non* infinitantèr accepto, & ut denotat, me facere aliquid, quod non est amare. *Recta* relegat verba obliqua; ideoque solùm præsens modi indicativi est propiè verbum. *Cujus nulla pars separata significat*, secludit verba complexa, quę sunt plura, & non unum verbum, ut *lego*, *audio*. Denique *est nota eorum &c.* tollit rationem verbi à participio, quod numquam potest esse nota, seu unio extremorum, abstrahitque à determinata differentia temporis, ac potest convenire tam præterito, quam futuro; ut *Petrus est legens*, *fuit legens*, *erit legens*.

Oratio denique sic definitur ab Arist.: *Est vox significativa ad placitum, cujus partium aliqua separata sig-*

significat, ut dictio, & non ut affirmatio, & negatio. Per tres primas particulas cum nomine, & verbo convenit. Additur, *cujus partium aliqua separata significat*, ad denotandum saltèm unam partium orationis debere esse significativam. Denique ly *ut dictio &c.* denotat, qualitèr significare debet, non precissè ut affirmatio, vel negatio. Unde ad rationem orationis non requiritur, quod partes nexu verbali uniantur, sed sufficit nexus grammaticalis, ut conjunctio, & concordantia substantivi, & adjectivi &c. Nexus ergo verbalis tantum est propius orationis enuntiativæ; ideoque Arist. consulto omissit in definitione orationis particulam *cum tempore*, quæ est propia verbi, & non orationis, ad quam verbum non est necessarium.

Oratio igitur dividitur in *Imperfectam*, *Quæ generat imperfectum sensum*, ut *si ambulavero*, & ut definitio. V. gr. *animal rationale*, quę audientem non quietat de dicto loquentis; & in *Perfectam*, *Quæ generat perfectum sensum.* Hæc alia est enunciativa, *Quæ aliquid affirmat, vel negat*, ut *Petrus est Sanctus*; & alia non enunciativa, *Quæ nihil affirmat, vel negat*: & hæc potest esse, vel imperativa, ut *Disce puer*, vel optativa, ut *Utinam disrumperes cœlos*, vel interrogativa, ut *Ubi est Deus tuus?* vel deprecativa, ut *Da mihi bibere.* Quæ omnes (ait Philosophus) ad Oratoriam, aut Poæsim pertinent, solaque enunciativa est, quæ ad presens attinet. Ideoque de illa sit

CAPUT SECUNDUM.

De Propositione, & ejus divisionibus.

Propositio est, *Oratio perfecta enunciativa unius de alio.* Per esse orationem perfectam convenit cum aliis, quæ propositiones non sunt. Ly *enunciativa &c.* ponitur loco differentiæ; nam propositio significat non utcumque, sed narrando, judicando, & sententiando

unum

unum de alio. Quæ definitio ut exacta, & essentialis ab omnibus ferè admititur. Arist. verò illam lib. 1. Prior. cap. 1. sic definit; *Est oratio aliquid affirmans, vel negans*; & 1.° Perhyerm. cap. 4. sic; *Est oratio verum, vel falsum significans.*

Hic sciendum est in propositione reperiri quatuor, nempè, materiam, formam, quantitatem, & qualitatem. Materia propositionis alia est *ex qua*, & alia *circa quam.* Illa, si partialitèr sumatur, est subjectum, quod se habet ut quid indifferens, & determinabile per unum, vel alterum prædicatum; si verò sumatur totalitèr, est subjectum, & prædicatum respectu copulæ. Ista autem, seu *circa quam* sunt objecta, de quibus formatur propositio. Forma partialis est prædicatum; forma verò totalis est copula; illud, quia determinat subjectum; ista autem, quia utrumque determinat, & unit ad hanc constituendam propositionem. Quantitas est extensio, vel restrictio propositionis ad plura, vel pauciora significata. Denique qualitas est affirmatio, & negatio, veritas, & falsitas.

Ratione ergo materiæ *circa quam* dividitur propositio in *Necesariam*, quæ fit in materia necesaria, seu quæ enunciat rem, quæ alitèr se habére non potest ut *homo est rationalis*; in *Contingentem*, quæ fit in materia contingenti, seu quæ enunciat rem, quæ alitèr se habére potest, ut *homo est albus.* Et in *Impossibilem*, quæ fit in materia impossibili, seu quæ enunciat rem, quæ sic se habére non potest, ut *homo est lapis.* Ratione etiam materiæ dividitur propositio in *Formalem*, *In qua prædicatum est forma subjecti*, sivè sit forma essentialis: ut *homo est animal*, sivè accidentalis intrinsecè inhærens; ut *Paries est albus*, sivè extrinsecè terminata, ut *Sol est visus*; & in *Identicam*, *In qua prædicatum non est forma subjecti*, *& tamen enunciatur esse idem cum illo*, & est, vel omnimodè identica, *In qua idem tam ex parte rei, quam modi significandi prædicatur de se ipso*, vel eodem nomine, ut *Petrus est Petrus*, vel

no-

nominibus synonimis, ut *Marcus est Tullius*, *Ensis est gladius*; vel non omnimodè identica, ut quando duo, quæ secundum duas rationes formales differunt, significantur esse idem inter se, sivè hæc identitas proveniat ab aliquo tertio, in quo uniuntur, ut *Rationale est animal*, sivè ratione infinitatis unius, vel utriusque extremi, ut *Sapientia infinita est bonitas.*

Deinde ratione modi, quo prædicatum convenit subjecto dividitur propositio in *Modalem*, & de *Inesse.* Illa est, *Quæ includit modum determinantem convenientiam prædicati ad subjectum*; ut *homo contingentèr disputat*: ista verò est, *Quæ absolutè significat convenientiam prædicati ad subjectum*, ut *homo est Justus.*

Ratione quantitatis dividitur propositio in *Universalem*, *Cujus subjectum est terminus communis signo universali affectus*, ut *omnis homo est animal*, *nullus homo est lapis. Particularem*, *Cujus subjectum est terminus communis signo particulari determinatus*, *ut aliquis homo disputat*; *Singularem*, *Cujus subjectum est terminus singularis*, *vel communis signo demonstrativo affectus*, ut *Petrus disputat*, vel *hic homo disputat*; & *Indefinitam*, *Cujus subjectum est terminus communis nullo signo affectus*, quæ in materia necessaria, vel impossibili æquivalet universali; nam *homo est rationalis*, æquivalet huic, *Omnis homo est rationalis*, & *homo non est leo*, idem valet ac *nullus homo est leo.*

Ratione qualitatis dividitur propositio in *Affirmativam*, *In qua prædicatum affirmatur de subjecto*, ut *Christus est homo*; *Negativam*, *In qua prædicatum negatur de subjecto*, ut *Petrus non est lapis*; *Veram*, *Quæ affirmat rem sicuti est*, ut *Deus est bonus*, & *Falsam*, *Quæ enunciat rem aliter*, *ac est*, ut *homo est lapis.*

Ratione formæ dividitur propositio in *Cathegoricam*, seu *simplicem*, & *Hypotheticam*, seu *compositam.* 1. est, *Quæ constat subjecto*, *copula*, *& prædicato*, *tamquam partibus præcipuis*, *& essentialibus suis*, sivè illæ partes sint simplices, ut in hac, *homo est*

Sanc-

Sanctus, sivè sint compositæ, ut in hac, *homo est Sanctus est vera propositio.* 2. est, *Quæ constat pluribus enunciationibus copulatis aliqua conjunctione, tamquam partibus præcipuis, & essentialibus suis*, quæ si nectitur particula *Si*, dicitur *Conditionalis*, ut *si Petrus currit movetur*; si particula *ergo*, dicitur *Rationalis*; si particula *Quia*, dicitur *Causalis*; si particula *Et*, dicitur *Copulativa*; si tamen particula *Vel*, dicitur *Disjunctiva.*

CAPUT TERTIUM.

De propietatibus Propositionum.


Prima propositionum propietas est *Oppositio*, quæ ut colligitur ex Scoto in 2. dist. 2. q. 9. n. 34. definiri potest: *Est incompossibilitas duarum propositionum inter se.* Estque quadruplex, nempè *Contradictoria*, ut quando propositiones diferunt in quantitate, & qualitate, ita ut una sit universalis affirmativa, & altera particularis negativa, ut in his, *Omnis homo est albus*; *Aliquis homo non est albus*; *Contraria*, quando duæ propositiones universales sola diferunt qualitate, ita ut una sit affirmativa, altera negativa, ut *Omnis homo est albus*; *Nullus homo est albus*; *Subalterna*, quæ contingit quoties ambæ propositiones sunt affirmativæ, vel negativæ, solaque quantitate opponuntur, quia una est universalis, alia particularis, ut *Omnis homo est albus*; *Aliquis homo est albus*; & denique *Subcontraria*, cum videlicèt duæ particulares sola qualitate sunt diversæ, quia una est affirmativa, negativa altera, ut *Aliquis homo est albus*; *Aliquis homo non est albus.*

Hic autem advertendum est. 1.° Quod contradictoriæ numquam possunt esse simùl verę, aut simùl falsæ; sed una debet esse vera, altera falsa in omni materia: alias falsificarentur illa duo axiomata Philosophorum lumine naturæ nota, scilicèt, *Quodlibet est, vel non est*; *Impossibile est, idem simùl esse, & non esse*, ut patet; ergo &c. 2.° *Contrariæ* in nulla materia possunt

es-

esse simùl veræ; in materia verò contingenti possunt esse simùl falsæ. Hoc apparet in his: *Omnis homo est albus*; *Nullus homo est albus*, quę falsę sunt; illud etiam constat, quia si essent simùl veræ, veræ essent duæ contradictoriæ, ut patet: ergo &c.

3.° Sciendum est, quod Subcontrariæ possunt esse simùl veræ in materia contingenti, nam verùm est, quod *Aliquis homo est albus*, & quod *Aliquis homo non est albus*: non possunt tamen esse simùl falsæ, alias universales contrariæ essent falsæ: nam particularis falsa reddit falsam universalem, sub qua continetur. 4.° Et ultimo est notandum, quod in Subalternis, si universalis est vera, etiam particularis est vera in omni materia; at verò si universalis est falsa, etiam particularis est falsa in materia necessaria, & impossibili, non verò in materia contingenti. Si autem particularis est falsa, est etiam falsa universalis: at particularis vera non infert universalem veram, nisi ratione materiæ necessariæ, & impossibilis, ut constat. Oppositionum ergo exemplum nunc vide.



2. Propositionis propietas est *Conversio*, & tunc habetur, quando *mutatur prædicatum in subjectum, & subjectum in prædicatum servata qualitate, & variata quandoque quantitate.* Potissimum autem, *Conversio* est duplex; nimirùm *simplex*, quando eadem quantitas, & qualitas propositionis permanent; & *per accidens*, quæ cum quantitatis variatione contingit. Utroque hoc modo propositio universalis negativa converti potest: ut cum dico, *Nullum animal est lapis*; & eam sic converto, *Nullus lapis est animal*, vel ita, *Aliquis lapis non est animal.*

Similitèr propositio particularis afirmativa suscipit conversionem simplicem; ut hæc, *Aliquod animal est rationale*, in hac mutatur, *Aliquod rationale est animal.* Universalis autem afirmativa potest solùm converti *per accidens*, ut *Omnis leo est animal*: non enim valet, *Omne animal est leo*; sed tantùm, *Aliquod animal est leo.* Pro particulari negativa ponitur conversio *per Contrapositionem*, quæ fit sola additione particulæ negantis utrique extremo propositionis; ut *Aliquis homo non est albus*, quæ convertitur, *Aliquod non album non est non homo.* Sed hac non utimur in sylogismis.

3. Denique propositionis propietas est *Æquipollentia*, vi cujus duæ propositiones oppositæ in eumdem sensum reducuntur ob negationem vario modo illarum partibus applicatam. *Sed hæc* (ait noster Ferrari) *parvi omnino momenti sunt.*

LI-

LIBER TERTIUS SUMMULARUM.

De Veritate mediata, seu illativa tertiæ intellectus operationi respondenti.

CAPUT PRIMUM.

De Modo sciendi in communi.

Modus sciendi est *Oratio ignòti manifestativa. Oratio* ponitur loco generis: ly *ignòti manifestativa*, ponitur loco differentiæ, excluditque propositionem, quę estò ignotum manifestet, solùm est narrativè, enuntiativè, & significativè, dicendo, *quod est*; non autem explicativè, seu declarando *quid est*, ut facit modus sciendi, qui ignòtum antea involutum, & implicatum evolvit, & quasi expandit, omniumque oculis distintè, & explicitè proponit; quod non faciunt nomina, voces, aut propositio, quia rem confussè solùm, & indistintè manifestant. Dividitur ergo modus sciendi adæquatè in *Definitionem*, *Divisionem*, & *Argumentationem*. De quibus.

CAPUT SECUNDUM.

De Definitione.

Definitio est *Oratio explicans essentiam rei*; seu ut ait Arist. 2. Post. cap. 10. *Oratio quidquid esse rei significans*. Ly *Oratio* ponitur loco generis. Ly *explicans essentiam rei* est differentia à cæteris modis sciendi; nam divisio in rectò solùm denotat partes rei, & si explicat essentiam ejus tantùm est in obliquo; argumentatio autem non explicat naturam rei, sed unum ex alio deducit. Sola ergo definitio explicat rei essentiam.

Quia

Quia verò hæc multiplicitèr explicari potest; ideo multiplex quoque est definitio.

Et 1.° dividitur in *essentialem*, seu *quidditativam*, & *accidentalem*, seu *descriptivam*. Essentialis est, *Quæ datur per partes essentiales*, & hæc est duplex, una methaphisica, *Quæ datur per propium genus, & per propiam differentiam methaphisicam*; ut cum definitur homo per hoc, quod sit *animal rationale*. Alia est phisica, *Quæ explicat essentiam rei per partes phisicas ipsam constituentes*; talis est hæc: *Homo est constans corpore, & anima rationali*. Utraque ergo est propiè quidditativa, quia datur per ea, quæ sunt de intrinseca quidditate definiti absque admixtione alicujus extranei. Alia est quidditativa per additamentum, *In qua ultra partes essentiales definiti, ponitur aliquid extraneum, seu connotatum, ad quod dicit ordinem saltem transcendentalem*. Et sic definiuntur entitates incompletæ, ut materia in ordine ad formam, forma in ordine ad materiam, accidens in ordine ad subjectum.

Definitio accidentalis, seu descriptiva est, *Quæ explicat essentiam rei per aliquid, quod est extra rationem, & conceptum quidditativum ejus*, & etiam est duplex, alia propiè descriptiva, *Quæ datur per accidentia propia definiti*, ut si dicas, *Homo est animal risibile, vel politicum, vel disciplinabile*. Alia impropiè descriptiva, seu puræ accidentalis, *Quæ datur per accidentia, communia quidem, si sumantur seorsim, sed propia, si sumantur conjunctim*, ut *Homo est animal implume, bipes, habens caput erectum*. Cui adjungi potest definitio data per causas extrinsecas, scilicèt, eficientem, & finalem, v. gr. *Homo est creatus à Deo propter beatitudinem*.

Præcipuæ conditiones bonæ definitionis sunt tres. 1. *Quod definitio sit clarior suo definito*. Nam omnis explicatio debet esse clarior re explicata, alias ignotum per æquè ignotum explicaretur, quod est absurdum: ac per consequens definitum non debet ingredi defini-

nitionem ; alias idem esset notius, & ignotius se ipso. 2. *Definitio debet constare genere, & differentia*, vel propiè sumptis, si definitio est quidditativa methaphisica, vel impropiè si definitio est alteriùs ordinis. Ubi etiam adverte, quod genus debet esse, non remotum, sed proximum, seu in quo definitum ultimo conveniat cum aliis. Unde malè definiretur homo per *substantiam rationalem.*

3. Conditio est: *Quod definitio sit æqualis cum suo definito.* Id est, quod definitio, & definitum objectivè dicantur ad convertentiam, tam afirmativè, quam negativè. V. gr. *Est animal rationale: ergo est homo: est homo: ergo est animal rationale. Non est animal rationale: ergo non est homo: non est homo: ergo non est animal rationale.* Unde definitio non debet esse diminuta, nec redundans, id est, quod nec plus, nec minus contineat, quam quod dicit essentia definiti ; alias non dicerentur ad convertentiam.

Definitum etiam, quod est, *id, cujus essentia per definitionem explicatur*, quatuor requirit conditiones, ut definiri valeat. 1. est, *Quod sit ens per se unum*; nam ens per accidens constat pluribus essentiis completis, quæ unica definitione nequeunt definiri. 2. est, *Quod res definibilis debet esse universalis* ; proindeque singularia definiri non valent, quia naturæ specificæ nil essentiale addit singularitas; & quia res in singulari sunt variabiles, & corruptibiles, definitio verò debet esse certa, necessaria, & infalibilis.

3. *Res definibilis debet constare genere, & differentia* ; id est, debet esse resolubilis in plures conceptus. Undè transcendentia, & ultimæ differentiæ, cæteraque in plures conceptus irresolubilia propiè definiri non possunt. 4. Tamen est, *Quod definitum debet esse univocum* ; hoc est, debet habére unam rationem, in qua omnia inferiora conveniant, quæ per definitionem explicetur. Et hinc emanavit illud commune proloquium: *Æquivoca priùs sunt dividenda, quam definienda.*

Et

Et hæc omnia ad solam rigorosam definitionem requiruntur, non verò ad impropiam, seu quid nominis.

CAPUT TERTIUM.

De Divisione.

Divisio logica (sic methaphoricè dicta à phisica divisione, quæ est separatio partium anteà unitarum, ut cum lignum in suas partes secatur) est *Oratio totum in suas partes distribuens*; id est, distribuendo manifestans multiplicitatem totius. *Oratio* ponitur loco generis. Reliquæ particulæ loco differentiæ per ipsasque distinguitur à cæteris modis sciendi: nam definitio explicat, *Quid sit res*, argumentatio, *Qualis sit res*, divisio verò *quanta sit res*. Itaque in omni divisione datur totum, seu illud, quod dividitur, & vocatur *divisum*, & partes, in quas dividitur, & dicuntur *membra dividentia*, & denique oratio, media qua hoc fit, & hæc appellatur divisio.

Quæ supremè dividitur in Divisionem nominis, *Qua terminus per suas significationes dividitur*, ut cum dicitur hæc vox *Canis* significat latrabilem, marinum, & Sydus; & in Divisionem rei, *Qua totum in suas partes distribuitur*. Hæc autem alia est *per se*, *Quæ distribuit totum in partes per se*, *& substantialitèr unitas*; & alia *per accidens*, *Quæ totum distribuit in partes accidentalitèr unitas*. Item, cum totum per se sit duplex, aliud *actuale*, *quod actu continet partes*, *ex quibus componitur*, & aliud *potentiale*, & est *ratio communis continens sub se inferiora*, *seu partes subjectivas*, *de quibus prædicari potest*; ideò Divisio alia est *actualis*, *Qua totum dividitur in partes*, *ex quibus actu componitur*; & alia *potentialis*, *Qua universale dividitur in inferiora*, *quæ potestativè continet*, ut genus in species, & species in individua. Ad quam etiam reducitur divisio generis per differentias.

Rur-

Rursus, Divisio actualis, alia est *Essentialis*, *Qua totum dividitur in partes, quarum singulæ sunt de essentia divisi*, ut cum homo dividitur phisicè per corpus, & animam, & metaphisicè, per animalitatem, & rationalitatem; & alia *Integralis*, *Qua totum materiale dividitur in partes, quæ, & si non sint de essentia rei materialis; pertinent tamen ad integritatem ejus*: & hæc vel est homogenea, cum partes sunt homogeneæ, seu ejusdem rationis, ut gutæ aquæ, micæ panis; vel etherogenea, cum partes sunt etherogeneæ, seu diversæ rationis, ut in homine, ossa, nervi, caput, manus &c.

Tandem ex parte totius per accidens, alia est *subjecti in accidentia*, ut homo alius niger, alius albus &c. Hujusmodi est divisio vocis in varias significationes. Alia est Divisio *accidentis in subjecta*, ut albedo, alia nivis, alia lactis. Tertia *accidentis in accidentia*, ut cum *album* dividitur in *dulce*, & *amarum*. Et hæc non distinguitur à cæteris; sed vel est totius potentialis, ut cum dividitur *coloratum* in *album*, & *nigrum*; vel *subjecti in accidentia*, ut in exemplo allato, in quo subjectum *album* dividitur in *dulce*, & *amarum*, quæ sibi accidunt.

Pro bona divisione sequentes leges assignari solent. 1. Quod singula membra dividentia sint inferiora, seu minora diviso, id est, nullum membrum adæquet divisum; quia ut ait commune axioma: *Omne totum est majus sua parte*; & consequentèr nulla pars est æqualis toti. 2. Omnia membra dividentia simùl sumpta adæquare, & exhaurire totum divisum; nam in toto syncathegorematicè sumpto nil est aliud, quam omnes partes simùl sumptæ. 3. Membra dividentia debent habére aliquam oppositionem; seu inter se re, vel saltem ratione distingui. Ultima: Divisio non debet esse prolixa, sed brevis quantum fieri potest. Undè cum membra dividentia sunt plura, priùs debet fieri divisio per aliquas rationes communes proximas, & postea hæc per alias minus communes.

Hic

Hic tamen sciendum est. 1.° Quod à diviso ad omnia membra dividentia, simùl sumpta, & ab istis simùl sumptis ad divisum tam afirmativè, quam negativè valet consequentia. V. gr. *Est animal: ergo rationale, vel irrationale: non est rationale, nec irrationale; ergo non est animal: est rationale, vel irrationale; ergo animal: non est animal: ergo nec rationale, nec irrationale.* 2.° A negatione cujuslibet membri dividentis, ad negationem divisi non valet: ut *non est rationale: ergo non est animal*; afirmativè autem valet: ut *est rationale: ergo animal.* 3.° A diviso ad quodlibet membrum dividens negativè valet: v. gr. *Non est animal: ergo non est rationale*; afirmativè autem neutiquam: ut *est animal: ergo rationale.*

4.° A diviso cum negatione unius membri, vel plurium ad aliud, vel ad alia membra, quæ restant, benè arguitur; ut si dicas: *Est animal, & non rationale: ergo irrationale: Est elementum, & non terra, vel aqua: ergo ignis, vel aër.* 5.° A positione unius membri dividentis ad negationem alteriùs est bona consequentia; ut *est homo: ergo non est brutum.* Quæ omnia de toto potentiali intelligenda sunt, non verò de aliis.

CAPUT QUARTUM.

De Argumentatione.

Argumentatio est *Oratio, in qua unum ex alio consequi denotatur. Oratio* ponitur loco generis, per quod convenit cum aliis modis sciendi; reliquæ verò particulæ habent locum differentiæ, & denotant, unum, nempè consequens inferri ex antecedenti. Undè constat, tria ad argumentationem requiri. Scilicèt, *antecedens*, & est illa propositio, ex qua aliquid sequitur; *Consequens*, & est illa propositio, quæ sequitur ex alia; & *nota illationis*, quæ est particula *ergo*, vel *igitur*, aut alia similis.

Ar-

Argumentatio ergo dividitur in bonam, seu rectam, *In qua consequens benè infertur ex antecedenti*, ut hæc, *homo currit: ergo movetur*; & in malam, seù vitiosam, *In qua consequens non infertur ex antecedenti etsi appareat inferri.* Hæc autem solùm dicitur argumentatio abusivè, & quantum ad apparientiam: ideoque illa ommissa, dividitur argumentatio bona in *Materialem*, *Quæ solùm est bona ratione materiæ*; v. gr. *Homo est animal: ergo omnis homo est animal*, quæ solùm concludit ratione materię naturalis, in qua indefinita ęquivalet universali, sed in alia materia non est bona: ut *homo est albus: ergo omnis homo est albus*; & in *Formalem*, *Quæ tenet ratione formæ*, *& dispositionis syllogisticæ*; atque ita in omni materia semper concludit, estò sit in materia impossibili: v.gr. *Omne animal est lapis; omnis homo est animal: ergo omnis homo est lapis.*

Deindè argumentatio dividitur in *Conditionalem*, *In qua illatio denotatur per particulam si*, ut *si homo currit, movetur*; in *Causalem*, *In qua illatio denotatur per particulam quia*, ut *quia homo currit, movetur*; & in *Rationalem*, *In qua illatio exprimitur per ly ergo, vel igitur*, ut *homo currit: ergo movetur.* Hæc tamen dividitur in *Sylogismum*, *Enthymema*, *Inductionem*, *Exemplum*, & *Dilemma.* Enthymema ergo (nam de sylogismo postea dicemus) est *Sylogismus truncatus duabus constans propositionibus, quarum una ex alia inferri denotatur.* V. gr. *Omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis*, quibus si istam subjungeres; *Omne rationale est risibile*, integrum sylogismum conficeres.

Inductio est *Illatio propositionis universalis ex suis inferioribus suficienter enumeratis, ut hic ignis calefacit, & ille, & ille, &c.: ergo omnis ignis calefacit.* Qui etiam arguendi modus tenet ab omnibus partibus ad totum, ut *caput dolet, sthomacus, & cætera membra: ergo totum corpus dolet.* Inductio ergo vocatur *Ascensus*, quia per eam ab inferioribus ascendimus ad pro-

bationem superioris. Cui reducitur *Descensus*, quo à superiori ad inferiora progreditur, ut *Omnis homo currit: ergo & hic homo, & ille, & ille currit &c.* ideo solet dici *reductio*, seu *deductio.*

Exemplum est *Argumentatio ab uno, vel pluribus singularibus ad alterum, vel altera propter aliquam similitudinem.* V. gr. *Deus pepercit Paulo pœnitenti; ergo & mihi parcet, si pœnitentiam egero.* Undè in hoc genere argumentationis debet exprimi ratio similitudinis, alias nil valeret, ut si dicas: *Deus pepercit Paulo penitenti: ergo & mihi*, quia non explicatur in consequenti pœnitentia, quæ est ratio similitudinis.

Dilemma est *Argumentatio bicornis, seù cornuta, in qua duæ partes ita disponuntur, ut omnino præcludatur fuga respondenti:* id est necessario cogitur aliquid contra se admitere, vel negare. V. gr. Si vellem Petrum in ocasione voluntaria peccandi positum temeritatis arguere, sic dicerem: *Aut times Deum, aut non? Si non times, temerarius es, cum Deus summe timendus sit; si times, etiam temerarius es, quia amas periculum offendendi, quem times.*

Pro bona argumentatione sequentes leges solent assiguari. 1. *In bona consequentia ex antecedenti vero, semper sequitur consequens verum, ex necessario necessarium, & ex posibili posibile.* Nam consequens habet necessariam connexionem cum antecedenti, ac proindè tale debet esse, quale est antecedens. 2. *Ex antecedenti falso, in bona consequentia, sequitur falsum; ex imposibili imposibile; & ex contingenti contingens.* Exemplum 1. & 2. *Homo est leo: ergo est rugibilis.* Exemplum 3. *Petrus currit: ergo movetur.* Quandoque tamen *ex falso potest sequi verum, ex imposibili posibile, & ex contingenti necessarium*, & hoc solùm ex viformæ, ut patet in his; *Homo est equus: ergo est animal: homo est equus: ergo currit: homo intelligit: ergo est rationalis.*

3. *In bona consequentia posito antecedenti, ponitur con-*

consequens, non è contra; valet enim: *est homo: ergo est animal*, non è converso. Item ablato consequenti, aufertur antecedens, non è contra, v. gr. valet: *non est animal: ergo non est homo*, non tamen è converso. Quod debet intelligi quando argumentum est inter terminos superiores, & inferiores, seù non convertibiles, non verò quando est inter æqualitèr communes, seù convertibiles. 4. *In bona consequentia quidquid sequitur ad consequens essentialitèr sumptum, & absolutè suponens sequitur etiam ad antecedens.* V. gr. *Est homo: ergo est animal*: ergo est vivens, substantia, corpus, & cætera, quæ de animali possunt dici, & hæc debet intelligi sicut præcedens.

5. *Quando ex antecedenti sequitur consequens, ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis*, ut in hac; *est homo: ergo est animal*; si enim animali repugnat insensibilitas, incorporitas &c. etiam homini repugnat, non tamen è converso, nisi in terminis convertibilibus, ut diximus. 6. *Ex imposibili sequitur quodlibet*; nam ex antedenti, *leo legit*, sequitur: *ergo leo est vivens*, quod est necessarium; sequitur etiam: *ergo est rationalis*, quod est imposibile; & denique sequitur; *ergo existit*, quod est contingens.

CAPUT QUINTUM.

De Sylogismo.

Sylogismus est *Oratio, in qua ex duabus propositionibus constitutis, certoque ordine dispositis, alia infertur, velut illarum effectus*, sivè ut ait Aristotel. 1. Priorum. cap. 1. *Est Oratio, in qua quibusdam positis alterum quid appositis necessario sequitur.* Nimirum quia duabus prioribus propositionibus concessis, debet intellectus tertiam admitere, sivè approbare. Exemplum Sylogismi, *Omne animal est vivens; omnis homo est animal: ergo omnis homo est vivens.*

In

In quo tres tantùm propositiones reperiuntur, quarum 1. dicitur *Major*, 2. *Minor*, 3. *Conclusio*, quæ etiam materia proxima sylogismi nominantur. Materia autem remota sunt termini, qui etiam sunt tres, scilicèt, *Major extremitas*, & est terminus, qui ponitur in majori unitus cum medio; *Minor extremitas*, estque qui in minori præmissa simùl cum medio collocatur; & *Medium*, quod est terminus, qui bis ponitur in præmissis, & in conclusione non collocatur. Ubi nomine termini intelligitur quidquid gerit vices extremi propositionis, sivè sit incomplexum quid, sivè complexum.

Forma sylogismi est *Debita dispositio materiæ ad concludendum apta.* Et quia materia est duplex, ideo duplex datur forma, altera correspondens materiæ remotæ; & est *Debita dispositio terminorum pœnes subjectionem, & prædicationem*, vocaturque *figura sylogismi*: altera correspondens materiæ proximæ, estque *Debita dispositio propositionum secundum quantitatem, & qualitatem*, seù secundum universalitatem, & particularitatem, affirmationemque, & negationem, atque appellatur *Modus sylogismi.*

Figura sylogismi est triplex, eo quod termini, medium scilicèt, & extremitates triplicitèr possunt disponi; nam medium, vel subjicitur in una, & prædicatur in alia, & constituitur 1. figura; vel in utraque prædicatur, & habetur 2., vel in utraque subjicitur, & habetur 3. Unde versus:

Sub, præ prima; secunda bis præ; tertia bis sub.

Modus ergo sylogismi totuplex esse potest, quotuplex dispositio, & combinatio propositionum secundum universalitatem, & particularitatem. Et licèt hæc sexdecim modis in qualibet figura posset fieri, utilitèr tamen reducuntur ad novemdecim in omnibus figuris; novem scilicèt primi pertinent ad primam, quatuor sequentes ad secundam, & sex ultimi ad tertiam. Qui omnes his continentur in versibus.

Bar-

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,
Cessare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,
Felapton, Dissamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Quæ ut intelligas nota 1.° in prædictis dictionibus quatuor vocales reperiri, scilicèt A, E, I, O; A significat universalem affirmativam. E, universalem negativam. I, particularem affirmativam. O, particularem negativam. Unde versus.

Asserit A, negat E, sunt universalitèr ambo.
Asserit I, negat O, sunt particularitèr ambo.

Ex his quatuor vocalibus tantùm tres in qualibet dictione reperiuntur; quarum prima denotat quantitatem, & qualitatem majoris, secunda minoris, & tertia conclusionis. Et licèt Baralipton, & Frisesomorum plusquam tres vocales contineant, solas tamen tres primas excipe, cæteras omite, quia solùm pro integritate carminis appositæ sunt.

Nota 2.° ex his modis novem priores in 1.° & 2.° carmine contentos ad primam figuram pertinere, quatuor sequentes ad secundam, reliquos tandem ad tertiam. Nota 3.° quod ex novem modis primæ figuræ, quatuor priores sunt perfecti, cæteri verò omnes tàm hujus, quàm aliarum figurarum sunt imperfecti, indigentque reduci ad quatuor perfectos, ut bonitas appareat consequentiæ. Nota 4.° omnes modos, excèptis quinque ultimis primæ figuræ, *directè concludere*: quod contingit, quando major extremitas prædicatur de minori in conclusione; illi verò quinque *concludunt indirectè*, nam minor extremitas prædicatur in conclusione. Quæ omnia sequentibus apparent exemplis.

Pro modis directis primæ figuræ.

Bar..... Omne animal est corpus:
ba..... Omnis equus est animal:
ra..... Ergo omnis equus est corpus.

Ce...

Ce..... Nullum animal est lapis:
la..... Omnis homo est animal:
rent..... Ergo nullus homo est lapis.

Da..... Omnis leo est rugibilis:
ri..... Aliquod corpus est leo:
i..... Ergo aliquod corpus est rugibile.

Fe..... Nullus lapis est homo;
ri..... Aliquid insensibile est lapis:
o..... Ergo aliquid insensibile non est homo.

Pro indirectis ejusdem figuræ.

Ba..... Omnis equus est animal:
ra..... Omne inhibile est equus:
lip..... Ergo aliquod animal est inhibile.

Ce..... Nullus leo est homo:
lan..... Omne rugibile est leo:
tes..... Ergo nullus homo est rugibilis.

Da..... Omnis vitis est planta:
bi..... Aliquod vegetabile est vitis:
tis..... Ergo aliqua planta est vegetabilis.

Fa..... Omne crystallum est lucidum:
pes..... Nullum elementum est crystallum:
mo..... Ergo aliquid lucidum non est elementum.

Fri..... Aliqua virtus est honesta:
se..... Nullum vitium est virtus:
so..... Ergo aliquod honestum non est vitium.

Pro modis secundæ figuræ.

Ces..... Nullum animal est insensibile:
sa..... Omnis lapis est insensibilis:
re..... Ergo nullus lapis est animal.

Ca..... Omne vitium est turpe:
mes..... Nulla virtus est turpis:
tres..... Ergo nulla virtus est vitium.

Fes...

Fes..... Nulla nix est callida:
ti..... Aliquis ignis est callidus:
no..... Ergo aliquis ignis non est nix.

Ba..... Omne elementum est simplex:
ro..... Aliqua substantia non est simplex:
co..... Ergo aliqua substantia non est elementum.

Pro modis tertiæ figuræ.

Da..... Omnis anima rationalis est immortalis:
rap..... Omnis anima rationalis est spiritus:
ti..... Ergo aliquis spiritus est immortalis.

Fe..... Nulla scientia est error:
lap..... Omnis scientia est qualitas:
ton..... Ergo aliqua qualitas non est error.

Di..... Aliquis homo currit:
sa..... Omnis homo est rationalis:
mis..... Ergo aliquod rationale currit.

Da..... Omnis quantitas est accidens:
ti..... Aliqua quantitas est impenetrabilis:
si..... Ergo aliquid impenetrabile est accidens.

Bo..... Aliquod animal non est rationale:
car..... Omne animal est sensibile:
do..... Ergo aliquod sensibile non est rationale.

Fe..... Nullus color est substantia:
ri..... Aliquis color est albedo:
son..... Ergo aliqua albedo non est substantia.

CAPUT SEXTUM.

De regulis Sylogismorum.

Inter prima principia ex quibus vis sylogistica oritur, præcipuum obtinet locum regula hæc; *Quę sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Et sensus est, quod extrema, quæ identificantur cum aliquo tertio, identifican-

cantur etiam inter se. V. gr. *Omne rationale est risibile*; *omnis homo est rationalis*: *ergo omnis homo est risibilis*; in cujus conclusione *homo*, & *risibile* identificantur, quia in præmissis identificata erant cum *rationale*, quod erat medium, seù tertium utriusque. Adverte tamen, quod extrema sunt eadem inter se in ea linea solùm, in qua sunt eadem cum tertio. Undè in hoc sylogismo, *hic Deus est Pater*, *Filius est hic Deus*: *ergo Filius est Pater*, consequens est verum in linea, in qua *Filius*, & *Pater* sunt *hic Deus*, nempè in essentia, non verò in relatione.

Prædicta regula valet pro sylogismis affirmativis, & ex illa immediatè sequitur hæc pro negativis, scilicèt; *Illa*, *quorum unum est idem cum tertio*, *cum quo alterum non est idem*, *non possunt esse eadem inter se*, ut patet in hoc: *Petrus non est justus*; *Petrus est nobilis*: *ergo nobilis non est justus*. Ubi prædicatum *nobilis*, quod est idem cum *Petro*, non est idem cum ly *Justus*, quod etiam cum *Petro*, idem non est. Tertium principium est: *Dici de omni*, *& dici de nullo*. Cujus 1. pars regulat sylogismos affirmativos, & reddit hunc sensum; *Quidquid universalitèr affirmatur de subjecto absolutè suponente*, *debet etiam dici de quocumque contento sub illo*. Ut quod affirmatur de animali etiam affirmari debet de homine. 2. Verò pars reddit hunc sensum; *Quidquid universalitèr negatur de subjecto*, *negari etiam debet de omni contento sub illo*. V. gr. Quod de animali negatur, etiam de homine negatur, et bruto.

Ex quibus principiis oriuntur aliquæ regulæ. 1. *In sylogismo debent servari omnes propietates logicales*, *seù terminorum*; si enim varietur suppositio, appellatio, &c. non fit sylogismus, sed paralogysmus. 2. *Medium non potest ingredi conclusionem*, ut patet ex dictis. 3. *Ex puris negativis nihil sequitur*; quod debet intelligi de negativis tàm tacitis, quàm expressis. 4. *Ex puris particularibus ratione formæ nihil sequitur*. 5. *Conclusio semper sequitur debiliorem partem*; ita ut sit negativa,

vel

vel particularis, si aliqua ex præmissis est negativa, vel particularis.

CAPUT SEPTIMUM.

De Divisione Syllogismi.

Diviso jam Syllogismo ratione formæ, nunc etiam ratione materiæ venit dividendus. Et 1.° ratione materiæ proximæ dividitur 1.° in *Cathegoricum*, *Qui constat propositionibus cathegoricis*; & in *Hypotheticum*, *Qui componitur ex propositionibus hypotheticis.* 2.° Dividitur in *Simplicem*, *Cujus utraque præmissa est propositio de in esse*; & in *Modalem*, *Cujus utraque*, *vel altera tantùm est propositio modalis.* 3.° In *Affirmativum*, *Cujus utraque præmissa est affirmativa*; & in *Negativum*, *Cujus altera præmissa est negativa.*

Ex parte materiæ remotæ dividitur syllogismus in Communem, & Singularem, seu Expositorium. *Communis* est, *Cujus medium est terminus communis. Expositorius*, seù *singularis* est, *Cujus medium est terminus singularis singularitèr*, *& univocè tentus.* Vocaturque expositorius, aut quia rem apertè oculis exponit, aut quia proponit clarè medium commune per medium singulare, ut *Paulus est vas electionis*; *sed Paulus est Tarsensis*: *ergo aliquis Tarsensis est vas electionis.*

Tandem ratione materiæ *circa quam* dividitur syllogismus in Demonstrativum, Topicum, & Sophisticum. *Demonstrativus* est, *Qui ex præmissis necessariis*, *& evidentibus*, *necessariam*, *atque evidentem infert conclusionem*, ut *Omne animal rationale est risibile*; *Omnis homo est animal rationale*: *ergo omnis homo est risibilis.* Et hic alter dicitur Demonstratio *à priori*, *In qua effectus demonstratur per causam*, seù passio per essentiam, ut patet in præ alegato syllogismo. Alter verò demonstratio *à posteriori* vocatur, estque, *In qua causa demonstratur per ejus effectus*, ut cum ex existentia

Creaturarum Dei convincimus existentiam. Demonstratio tamen vel est *Ostensiva*, *Quæ veritatem*, *quam inquirimus*, *clarè*, *distintèque manifestat*: vel *Redarguitiva*, *Quæ contrarium sentientes ad absona*, *& imposibilia deducit.*

Syllogismus verò *Topicus* est, *Qui ex præmissis probabilibus probabilem infert conclusionem.* V. gr. *Omnis homo diligit filium suum*; *Omnis mater est homo*: *ergo omnis mater diligit filium suum*; qui Syllogismus non habet conclusionem evidentem, sed probabilem; quia una ex præmissis probabilis est. Ubi adverte, quod propositio probabilis est, quæ, vel fundatur in authoritate probatorum virorum asserentium ita esse, & sic est extrinsecè probabilis; vel fundatur in ipsis terminis, quando, scilicèt, pro utraque parte sunt rationes probantes rem ita esse, quarum neutra est evidens, seù convincens, & ita est intrinsecè probabilis.

Denique syllogismus *Sophisticus* est, *Qui ex præmissis apparentibus falsam infert conclusionem*; ut *Omnis Leo rugit*; *Sydus est Leo*: *ergo Sydus rugit.* Hujus Syllogismi fallaciæ possunt provenire, vel ex parte formæ, cum, scilicèt, non fit in modo, & figura, de quo satis diximus; vel ex parte materiæ, & hoc duplicitèr, *in dictione*, scilicèt, & *extra dictionem.* Falaciæ *in dictione*, seù vocis æquivocatione, amphibologia, accentu, &c. provenientes, adeò claræ sunt, ut Grammaticæ regulis imbutis liquidò pateant: ac proindè in ipsis explicandis non immoramur.

Falaciæ verò *extra dictionem* sunt, quæ se tenent ex parte rei significatæ per dictionem. Harum 1. est *ignoratio Elenchi*, & contingit *quando aliud probatur*, *quam quod est in quæstione*, ut cum probatur contra adversarium quod ab eo non negatur; vel concluditur contradictio, quæ reverà non est; ut si diceret: *Pater generat Filium*, *& non generat Spiritum Sanctum*: *ergo generat*, *& non generat.* 2. Est *petitio principii*; nimirùm, *id supponere quod est in quæstione*; aut *ignòtum*

ali-

aliquod per æquè ignòtum manifestare. V. gr. *Simia non potest ridere: ergo non est risibilis.*

3. Est *non caussa pro caussa*, sivè caussam assignare, quæ caussa non est. V. gr. *Vinum caussat ebrietatem; ebrietas est mala: ergo vinum est malum.* Vinum enim non est caussa ebrietatis, sed immoderatus vini usus. 4. Est *imperfecta enumeratio*; quoties nempè quibusdam tantùm enumeratis caussis, infertur conclusio, quæ ab aliis caussis omisis falsa ostenderetur. V. gr. *Titius capite damnatus est, vel sua culpa, vel judicum pravitate.* Hæc est enumeratio imperfecta. Potuit utique damnari ob malorum hominum testimonio, vel aliis de caussis.

5. Dicitur *accidentis*; sivè de re pronunciare ex eo, quod illi tantummodo convenit per accidens. Ut si dicas: *Id malum est, quod malum caussat; sed ex Logica multi mala collegerunt: ergo Logica est mala.* 6. Appellatur *consequentis*, & contingit, quando ex affirmatione superioris colligimus inferiorem, vel ex negatione inferioris negamus etiam superiorem; ut si diceres: *Est animal: ergo est homo, vel non est homo: ergo non est animal.*

7. Est *compositionis*, & *divisionis*; nempè argumentari à sensu diviso ad sensum compositum; vel à sensu composito ad sensum divisum; ut *Sedens potest currere; sed Petrus sedet: ergo Petrus sedens potest currere*; vel ita *Imposibile est album esse nigrum; paries est albus: ergo imposibile est parietem esse nigrum.* 8. *A secundum quid ad simpliciter*; ut *Ethiops est albus secundum dentes: ergo est albus.*

LOGICA MAGNA.

Disputatio 1.ª proëmialis de natura Logicæ.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Logica.

Non loquimur hic de Logica naturali, quæ est ipsum naturale intellectus lumen nobis congenitum dictans modum rectè apprehendendi, judicandi, & discurrendi; sed de Logica artificiali, quæ est facultas ab ipsa ratione distinta, in eaque residens, quæque studio comparatur, & instruit intellectum, ne in suis operationibus erret; at definitur; *Facultas rationalis directiva actuum rationis.* Hæc primo dividitur in *Universalem, Quæ tradit præcepta omnibus scientiis communia*, ut quod demonstratio constet ex necessariis &c. & in *Particularem, Quæ tradit præcepta determinata ad talem scientiam*, ut quod definitio in Metaphisica detur per genus, & differentiam, & in Phisica per materiam, & formam.

2.° Dividitur in *Docentem, Quæ tradit regulas ad quodlibet artificium logicale efficiendum*; & in *Utentem, Quæ utitur regulis à Logica docente traditis.* Illam vocant Græci à rebus avulsam, istam verò rebus concretam, seù conjunctam. Utraque tamen est vel actualis, vel habitualis. Actualis est actus, vel docendi regulas Logicæ, vel utendi ipsis. Habitualis verò est quædam facilitas, seù habitus ex repetitione illorum actuum generatus.

Hic denique est advertendum, utramque Logicam docentem scilicèt, & utentem reperiri in omni parte Logicæ tàm in materia propia, quàm in materia aliarum scientiarum. Et quidem de Logica docente nullus ne-

negat ; de utente verò sic probatur contra Thomistas. Ubi datur usus regularum, quas tradit Logica ut *docens*, ibi reperitur Logica ut *utens* ; sed in parte demonstrativa, topica, & sophistica tàm intra, quàm extra materiam Logicæ datur usus regularum, quas tradit Logica ut *docens* : ergo in parte demonstrativa, topica, & sophistica tàm intra, quàm extra materiam Logicæ reperitur Logica ut *utens*.

Objicies cum Complutensibus: Si Logica esset utens in parte demonstrativa, vel esset in materia propia, vel in materia aliarum scientiarum ; sed in neutra utens est : ergo. Prob. min. Quo ad primam partem; usus debet esse distintus à doctrina, ita ut per ipsum formalitèr non doceat ; sed in materia demonstrativa Logicæ non distinguitur usus à doctrina, quia per talem usum formalitèr docemur: ergo. Quo ad secundam partem probatur; quælibet scientia eficit suas demonstrationes per directionem Logicam, & tales demonstrationes ab ipsis scientiis, & non à Logica procedunt; nam si Logica omnes demonstrationes eficeret ipsa sola esset scientia : ergo &c.

Resp. neg. min. Quo ad utramque partem. Ad probationem primæ dist. maj. usus activè debet esse distinctus à doctrina concedo, usus passivè neg. maj.; & dist. min. eisdem terminis. Certum enim est Logicam demonstratione docere, in cujus constructione invenitur usus activus, seù elicitibus formæ demonstrationis à doctrina distinctus, & per hunc non docemur ; reperitur etiam usus passivus, seù doctrina usitata, quæ est materia talis demonstrationis per cujus assensum reverà docemur ; ex quo nil contra nos. Ad secundam verò partem concedo quamlibet scientiam suas efficere demonstrationes; sed hoc solùm est quo ad materiam; quo ad formam autem elicitivè procedunt à Logica utente. En quomodo in omni materia reperitur Logica utens in nominativo.

QUÆS-

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrum, & quomodo Logica docens, & utens distinguantur?

Supponimus contra quendam Martinum Logicam docentem, & utentem actualem, seù actus utriusque distingui realitèr non solùm numericè, sed etiam specificè. Quæstio igitur solùm procedit de distinctione inter Logicam docentem, & utentem habitualem. In qua omnes ferè Thomistæ, & plures ex nostratibus asserunt utramque Logicam nullatenus à parte rei distingui, nisi solum per intellectum. Aliqui etiam Scotistæ tenent tales habitus solùm dissingui ex natura rei formalitèr, seù Scoticè. Alii denique ut Tataretus, Mauritius, & Mastrius cum aliquibus extraneis docent utrumque habitum realitèr distingui. Cum quibus,

Dicimus, habitum Logicæ docentis esse realitèr distinctum ab habitu Logicæ utentis. Prob. brev. Separabilitas (ut cum Subt. D. omnes fatentur) est signum evidens distinctionis realis; sed habitus Logicæ docentis, & utentis separabiles sunt, & de facto separantur: ergo realitèr inter se distinguntur. Prob. min. Tyrones optimè scientes regulas Logicæ habent habitum, seù facilitatem docentem, & adhuc non habent facilitatem, seù habitum utendi illis regulis in conficiendis syllogismis; ut experientia constat: ergo habitus docens est separabilis, & separatur ab habitu utente.

Deinde, illa, quorum unum potest augeri sine alio, distinguntur realitèr; sed habitus Logicæ utentis potest augeri, & augetur, non aucto habitu Logicæ docentis: ergo. Prob. min. In provectibus augetur habitus utens, non aucto docente; habent enim maximam facilitatem conficiendi syllogismos, & solent minus retinere regulas, quam aliqui Tyrones: ergo &c. Denique, habitus specificantur ab actibus, ex quorum repetitione generantur; sed actus Logicæ docentis, & utentis

rea-

realitèr specificè inter se distinguntur: ergo & habitus.

Objicies 1.° Ex D. S. Quæst. 1. univ. dicente: *Logica dupliciter consideratur uno modo in quantum est docens; & sic ex necessariis, & propiis principiis procedit ad necessarias conclusiones; & sic est scientia. Alio modo in quantum utimur ea applicando eam ad illa, in quibus est usus; & sic non ex propiis, sed ex communibus, nec sic est scientia*: ergo Logica docens, & utens, non realitèr, sed solùm per aliquam reduplicationem distinguntur, ut v.gr. homo in quantum animal distinguitur à se ipso ut rationalis. Resp. D. S. loqui de Logica utente passivè sumpta, quo sensu solùm penes connotata distinguitur à se ipsa ut docente. Vel alitèr, & meliùs; per Logicam docentem intelligere habitum procedentem ex necessariis, qui est scientia, & per utentem habitum procedentem ex probabilibus, qui non est scientia, sed opinio; quæ revera specificè distinguntur. Et habemus intentum.

Objicies 2.° Ex duobus incipientibus audire Logicam promptius, & facilius conficit primum syllogismum ille, cui mellius explicatus est modus conficiendi illum, quam ille, cui minus benè fuit explicatus: ergo difficultas in applicatione vincitur explicatione, & doctrina. Confirmatur: quia adolescens lentè procedens in constructione syllogismi, pergit auspiciis Magistri dicentis; hic medium, ibi majorem extremitatem colloca, nunc medium repete, jam ut concludas directè majorem de minori prædica extremitatem: ergo difficultas in usu vincitur instructione.

Resp. ad argum. dist. antec. Ille promptius, & faciliùs conficit primum syllogismum, promptitudine, seù facilitate directiva, seù morali, quæ est Logicæ docentis, conc. antec. promtitudine, & facilitate efectiva, & formali, neg. antec. Itaque duplex est difficultas in tyronibus altera circa regulas addiscendas, quæ est Logicæ docentis; altera circa usum talium regularum,

& hæc est Logicæ utentis. Qui ergo scit optimè regulas, & non habet usum, minorem habet difficultatem, quàm ille, qui neutrum habet. Et eisdem terminis dist. conseq. confirmationis; ergo difficultas in usu vincitur instructione moralitèr, seù directivè concedo; eliciti-vè, & formalitèr, nego consequentiam.

QUÆSTIO TERTIA.

Quodnam sit objectum Logicæ?

Objectum, seù materia circa quàm scientia versatur, est *subjectum*, *cujus passiones*, *& propietates in scientia demonstrantur*. Dividitur ergo in *Totale*, seù *Adequatum* (quod propiè dicitur objectum attributionis) estque, *Quod totam adequat scientiam*; quia nihil scientia contemplatur, quod non reducatur ad ipsum; & in *partiale*, sivè *inadequatum*, *Quod totam non adequat scientiam*, seù species aliqua sub totali objecto contenta; quæ, si est nobilior cæteris, dicitur objectum *principale*, cæteræque species non adeo nobiles sunt objectum *minus principale*.

Præcipua tamen divisio objecti scientiæ est in *Materiale*, & *Formale*. *Materiale* est *res illa*, *quæ atingitur*, *& consideratur à scientia*. *Formale* verò est *ratio illa sub qua objectum à scientia consideratur*. Illud dicitur materiale, quia se habet indiferenter ad plures scientias, sicut materia ad plures formas; istud verò dicitur formale, quia objectum materiale determinat, ut ab una sola scientia consideretur, sicut forma determinat materiam ad unum tantum constituendum compositum. V. gr. Homo se habet ut objectum materiale respectu Phisicæ, & Medicinæ; determinatur vero ad illam per rationem naturalitatis, & per rationem sanabilitatis ad istam.

Dicimus ergo 1.° Voces adhuc ut significantes instrumenta sciendi non sunt per se objectum materiale

Lo-

Logicæ, sed merè per accidens. Est communis inter Scotistas contra Nominales, pluresque Thomistas, & prob. Objectum, quo præciso, aut sublato, integra persisteret scientia, nequit non esse objectum merè per accidens illius; sed præcissis, aut repugnantibus vocibus, Logica integra, & adæquata subsisteret, ut patet in Angelis, anima separata, & in Adamo, cui fuit infusa, at etiam in nobis, in quibus daretur Logica, quamvis voces essent imposibiles: ergo voces non sunt objectum per se Logicæ, sed merè per accidens. Idem etiam, & propter eamdem rationem, dici debet de secundis intentionibus, sub quarum terminis Logica docetur, & traditur.

Dicimus 2.° Objectum materiale Logicæ est modus sciendi objectivus ut sic, prout est ratio communis definitioni, divisioni, & argumentationi. Ita S. D. 1. Prior. Quæst. 2. conc. 2. dicens: *Modus sciendi est objectum totius Logicæ: syllogismus non est objectum in tota Logica*; estque communis inter Scotistas, quos sequuntur aliqui Thomistæ, & alii. Prob. ratione; id est objectum materiale per se alicujus scientiæ, de quo talis scientia per se agit; sed Logica per se agit de modo sciendi objectivo, ut sic; ergo hic est objectum materiale per se Logicæ. Probat. min. Logica demonstrat passiones, & propietates modi sciendi objectivè sumpti, ut quod definitio debet esse clarior suo definito, quod membra dividentia simùl sumpta sint adequata diviso, &c.: ergo &c.

Confirmatur; esse rationem formalem objectivam, esse medium in syllogismo, majorem extremitatem identificari cum minori, & medium non distingui realitèr ab extremis convenit tantùm modo sciendi objectivo; nam objectum est, quod cognoscitur, & risibile identificatur cum rationali, & homo cum utroque; sed Logica considerat, & demonstrat hæc omnia: ergo modus sciendi objectivus est objectum materiale Logicæ.

Objicies; Finis Logicæ est dirigere operationes intellectus, ne errent in cognitione veritatis: ergo operationes intellectus quatenus dirigibiles erunt ejus objectum. Patet conseq. Objectum scientiæ directivæ debet esse capax directionis; sed operationes intellectus, & non eorum objecta sunt directionis capaces: ergo &c. Resp. dist. antec. Finis extrinsecus, & remotus Logicę est dirigere operationes intellectus, conc. antec. finis intrinsecus, & immediatus Logicæ neg. antec. & conseq. Sicut finis proximus Frænefactoriæ est frænum, quod est instrumentum rectè equitandi; finis verò remotus est recta equitatio, quæ nullatenus est objectum, sed finis extrinsecus; ita paritèr finis proximus Logicæ, qui cum objecto coincidit, sunt instrumenta sciendi objectiva, quæ instrumenta ulterius ordinantur ad veritatem, & rectitudinem actuum intellectus; ideoque rectitudo talium actuum est finis remotus Logicæ. Per quod etiam patet ad probationem; nam objectum scientiæ directivæ debet esse capax directionis, vel activæ, si est instrumentum ad dirigendum, ut frænum suprà relatum, vel passivæ, si est illud, quod dirigitur. Objectum ergo Logicæ est capax directionis primo modo sumptæ.

Dicimus 3.° Ratio formalis sub qua Logica attingit modum sciendi, est, *ut tale*, nempè, ut habet vim radicalem dirigendi intellectum, & faciendi scire. Probatur; ratio formalis sub qua scientia attingit objectum materiale est illa, media qua demonstrat passiones de tali objecto; sed ratio modi sciendi, ut explicat radicem dirigendi, & faciendi scire, ut instrumentum, est media qua Logica demonstrat passiones de modo sciendi: ergo Prob. min. Nam media tali ratione demonstrat Logica directibilitatem in ordine ad operationes intellectus, quæ est propia passio modi sciendi: ergo.

Confirmatur; sicut datur scientia, quæ contemplatur *corpus naturale*, ut tale, quæ est Phisica, & quæ con-

contemplatur *ens*, *ut ens*, ita debet dari scientia, quæ contempletur modum sciendi, *ut tale*; sed nulla alia assignari potest quæ de tali objecto, sub tali ratione disputet nisi Logica: ergo Logica agit de modo sciendi sub ratione talis.

Dicimus 4.° Objectum attributionis Logicæ est *modus sciendi objectivus ut talis*. Est Scoti, & Scotistarum cum DD. supra citatis conc. 2. Et probat. Modus sciendi, ut sic, habet omnes conditiones requisitas ad objectum attributionis: ergo est. Prob. antec. In primis modus sciendi est id, quod per se intenditur, & consideratur in Logica, quia finis intrinsecus Logicæ est docere omnia instrumenta sciendi. Deinde modus sciendi est id, ad quod reducuntur omnia, quæ considerantur in Logica, ipse verò non ordinatur ad aliud, saltèm in esse scibilis. Denique habet suam primariam, & adęquatam passionem, quæ est esse directivum operationum intellectus; hancque demonstrat Logica per ejus definitionem, & habet partes subjectivas, nempè definitionem, divisionem, & argumentationem: ergo habet omnes conditiones ad objectum attributionis.

Objicies 1.° Id est objectum attributionis, ad quod omnia alia reducuntur: sed ad operationes intellectus, ut dirigibiles reducuntur instrumenta sciendi objectiva, non è contra: ergo operationes intellectus, ut dirigibiles sunt objectum attributionis. Prob. min. Instrumenta sunt proptèr operationes, non è converso; nam media reducuntur ad finem, non finis ad media: ergo &c. Resp. dist. min. & antec. prob. eisdem terminis; ad operationes reducuntur instrumenta in esse rei phisico, conc.: In esse scibili, neg. Sic enim operationes sunt proptèr instrumenta. Quod patet in lib. Post. ubi demonstratio, quæ in esse phisico est proptèr scientiam, ponitur objectum, & non scientia; quæ in esse scibili reducitur ibi ad demonstrationem; nam scientia solùm consideratur in illis libris, ut rectè conficiatur instrumentum generativum illius, quod est demonstratio.

Ob-

Objic. 2.° Sola demonstratio est propiè modus sciendi : ergo sola demonstratio est objectum attributionis Logicæ. Patet antec. per solam demonstrationem habetur scientia : ergo sola demonstratio &c. Resp. neg. antec. Nam modus sciendi, si sumitur propiè, tunc definitio, divisio, & argumentatio est modus sciendi ; & si sumitur propissimè adhuc non sola de nonstratio, sed etiam quilibet syllogismus est modus sciendi: igitur ex argumento nil sequitur contra nos.

Dicimus 5.° Objectum principalitatis in Logica est Demonstratio. Est communis inter nostrates. Et patet; quia species nobilior objecti adęquati est objectum principalitatis in scientia; sed demonstratio est species nobilior objecti adęquati in Logica : ergo &c. Prob. min. Objectum adęquatum in Logica est modus sciendi ; sed demonstratio est species nobilior modi sciendi : ergo demonstratio est especies nobilior objecti adæquati in Logica ; at per consequens ejus objectum principalitatis.

Objic. Definitio est nobilius instrumentum sciendi: ergo ipsa est objectum principalitatis in Logica, & non demonstratio. Prob. antec. Illud est nobilius instrumentum, quod versatur circa perfectius objectum: sed definitio versatur circa quidditatem, & substantiam rei, demonstratio verò circa accidentia : ergo illa est nobilior ista. Resp. neg. antec. ad prob. dist. maj. Illud est nobilior instrumentum *in ratione cognitionis*, quod versatur circa perfectius objectum conc. maj. illud est nobilius instrumentum *in ratione instrumenti*, quod &c. Neg. maj. & concesa min. dist. consequens eisdem terminis. Siquidem definitio *in ratione cognitionis*, utpotè habens nobilius objectum, essentiam nempè, est perfectior demonstratione, cujus objectum est passio; at verò hæc est illa perfectior *in ratione instrumenti* facientis scire; nam per ipsam, & non per definitionem, scientificè cognocimus : igitur &c.

QUÆS-

QUÆSTIO QUARTA.

Utrùm objectum formale Logicæ sit ens reale, vel rationis?

Ens reale dicimus, *quod de se potest existere independentèr ab intellectu fingente*, ut homo, Leo, & alia hujusmodi; ens verò rationis, *quod nullo modo valet existere sine nostri intellectus fictione*, v. gr. hycocervus, 4. persona Sanctissimæ Trinitatis, &c. Et inquirimus, an illa ratio formalis sub qua Logica suum attingit objectum, sit quid independens à nostri fictione intellectus, vel non? Negant omnes ferè Thomistæ, & plures Scotistæ; affirmant tamen Mast. Ponc. Josephinus, & plurimi extranei. Cum quibus

Dicimus, objectum formale, seù ratio formalis objecti Logicæ est ens reale. Probat. Non potest esse objectum formale id, sine quo scientia potest esse, seù existere; sed Logica potest existere, quamvis quodlibet ens rationis esset imposibile: ergo objectum formale Logicæ non est ens rationis. Min. prob. Etiam si nullum ens rationis esset posibile, adhuc intellectus noster posset operari, apprehendendo, judicando, & discurrendo; & tales operationes possent dirigi, & regulari per aliqua præcepta; sed scientia tradens hujusmodi regulas, & præcepta esset Logica: ergo &c. Maj. prob. Quia nec intellectus, nec ejus operatio pendent ab aliquo ente rationis: ergo intellectus posset operari, & dirigi, etiam si nullum ens rationis esset posibile.

Respondent Thomistæ, regulas Logicæ non posse tradi nisi per terminos secundarum intentionum; ac proindè regulæ Logicæ repugnarent, repugnantibus secundis intentionibus. Sed contra: præcepta Logicalia possunt tradi per terminos primæ intentionis: ergo. Patet ant. 1.° Quia sicut dicitur: *genus prædicatur de specie, species de individuis*, potest dici; *natura communis semper includitur in inferioribus*; sed hæc regula es-

esset per terminos primæ intentionis: ergo. 2.° Quia non minus est instituta Ethica ad dirigendas operationes voluntatis, quam Logica ad operationes intellectus; sed Ethica per terminos primæ intentionis potest dirigere operationes voluntatis: ergo & Logica per terminos primæ intentionis poterit dirigere operationes intellectus.

Objic. 1.° Objectum formale Logicæ est ordinatio illa terminorum, vel propositionum ratione cujus sunt instrumenta sciendi; sed hæc ordinatio est ens rationis: ergo objectum formale Logicæ est ens rationis. Prob. min. Tunc actus judicii est rectè ordinatus, quando unum concipitur, ut subjectum, & aliud ut prædicatum; sed esse subjectum, vel prædicatum sunt entia rationis, quia nihil reale ponit in rebus, sed totum id oritur ex negotiatione intellectus: ergo dispositio, vel ordo ille in quolibet instrumento sciendi est ens rationis.

Resp. dist. maj. Objectum formale Logicæ est ordinatio illa terminorum &c. facta per actum directum, seù primo intentionalitèr accepta conc. maj. facta per actum reflexum, seù secundo intentionalitèr accepta, neg. maj. & dist. min. eisdem terminis, & similitèr ejus probationem. Nam termini, propositiones, &c. In 1.° sensu coordinantur per actum rectum intellectus ad unum de alio affirmandum, vel negandum, ad unum de alio inferendum, &c. & in hoc sensu ordo ille est ens reale relativum: importat enim, unum verè affirmari de alio, unum ex alio reverà inferri; quod totum verè datur à parte rei, & non per fictionem intellectus. In 2.° sensu consideratur terminorum ordinatio, ut ponit res ipsas sub denominatione secundarum intentionum, quæ fiunt per actum reflexum suprà primum, ratione cujus subeunt denominationes subjecti, prædicati, &c. quæ sunt entia rationis, & de per accidens se habent ad illam ordinationem realem, in qua stat objectum formale Logicæ.

Ob-

Objic. 2.° Ex Scotistis: Omnia, quæ traduntur in Logica, quam docuerunt Arist. D. Thomas, S. Bonav. & Scotus sunt formalitèr entia rationis: ergo ratio *sub qua* illius est ens rationis. Prob. ant. Nam omnia, quæ tradit Logica, illa docet sub notione, & terminis secundarum intentionum, ut genus, species, subjectum, prædicatum, &c. sed secundæ intentiones Logicales sunt entia rationis: ergo.

Resp. neg. ant. & dist. maj. probat. Omnia, quæ tradit Logica, illa docet sub notione, & terminis secundarum intentionu n, tamquam ratione formali *sub qua* neg. tamquam ratione formali denominativa, & extrinseca, seù per accidens, conc. maj. Certum est, Logicam, quæ nunc traditur à DD. omnia tradere per terminos secundarum intentionum; sed termini, quibus docetur scientia non sunt ratio formalis intrinseca, *sub qua* ipsa suum attingit objectum, sed merè per accidens se habent, saltèm si scientia, seù Logica specificativè sumitur. Si autem sumatur Logica reduplicativè, nempè, ut sub talibus terminis tradita, tunc termini erunt ratio formalis specificativa illius. Et sic intelligendus est D. S. cum docet objectum Logicæ esse ens rationis. Ex quo nil sequitur contra nos, qui loquimur de Logica specificativè accepta, non verò prout tradita sub secundis intentionibus.

QUÆSTIO QUINTA.

Utrùm Logica sit scientia?

Scientia ex Arist. 1. post. cap. 1. est *cognitio certa, & evidens rei necessariæ, per demonstrationem acquisita.* Ex qua quatuor requiruntur conditiones ad scientiam propriè dictam. 1. Quod sit *cognitio certa*, non certitudine se tenente ex parte potentiæ alicui veritati, aut falsitati firmitèr adhærentis, quæ dicitur extrinseca; sed certitudine se habente ex parte objecti, quod nec di-

divinitus potest aliter se habere, ut hæc, *homo est rationalis*. 2. Quod sit *evidens*. Evidentia est *claritas, seù quasi videntia objecti*; quæ, si provenit ex auctoritate virorum prudentum, & probatæ virtutis, dicitur *Moralis*; quomodo evidens est, esse Romam, fuissequè Carthaginem. Si verò ex quo objectum non potest aliter se habere naturalitèr, benè verò supernaturalitèr, appellatur *Phisica*; & sic est evidens accidentia esse in subjecto, ignemque cremare, quorum opposita visa sunt per miraculum in fornace Babilonica, & in Eucharistia. Si tamen provenit ex quo objectum non possit aliter se habere adhuc supernaturalitèr, vocatur *Methaphisica*; & hæc requiritur ad scientiam præsertim perfectissimam.

3. Quod sit de *objecto necessario*, non necessitate simplici, seù existentiæ, quomodo solus Deus necessarius est, sed necessitate complexa, seù prædicatorum, quæ nec de potentia Dei absoluta aliter se habere non possunt; sic homo habet necessariam connexionem cum suis prædicatis essentialibus, rationalitatis, risibilitatis, &c. 4. Quod sit *per demonstrationem acquisita*; nam scientia non est cognitio quæcumque, sed illativa, & discursiva, seù cognitio rei per causam.

Ars verò (ut ait Arist. 6. Ethic. cap. 4.) *est habitus cum recta ratione factivus*, id est, directivus, aùt rectificativus potentiæ, cujus est operari secundum artem. Et est duplex, alia liberalis, quæ exercetur per potentias animæ; & alia mechanica, quæ exercetur per facultates corporis; utraque tamen ad quatuordecim reducitur differentias, quæ his versibus continentur.

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Astra.
Rus, Nemus, Arma, Faber, Vulnera, Lana, Rates.

Lingua significat Grammaticam, *Tropus* Rethoricam, *Ratio* Dialecticam, *Numerus* Arithmeticam, *Tonus* Musicam, *Angulus* Geometriam, & *Astra* Astrologiam,

quæ

quæ omnes liberales sunt. Deinde *Rus* denotat Agriculturam, *Nemus* Venatoriam, *Arma* artem Militarem, *Faber* artem Fabrilem, *Vulnera* Chirurgiam, *Lana* artem Textoriam, *Ratesque* artem Nauticam; & hęc sunt mechanicæ. Quibus de scientia, & arte sic prælibatis;

Dicimus 1.° Logica docens tàm actualis, quàm habitualis, quo ad omnes suas partes est scientia. Ita S. D. Quæst. 1. Univ. §. *dicendum*: & prob. Scientia est notitia certa, & evidens objecti necessarii per demonstrationem acquisita; sed Logica docens secundum omnes suas partes est hujusmodi: ergo est verè, & propiè scientia. Prob. min. In primis enim in parte demonstrativa, hæc est cognitio certa, & evidens, objectique necessarii, & per necessarias præmissas, scilicèt: *Omnis syllogismus constans ex præmissis veris, necessariis, certis, &c. generat scientiam; sed talis est syllogismus demonstrativus: ergo syllogismus demonstrativus generat scientiam.*

Deinde etiam in parte Topica hæc est evidens cognitio, nempè; *Syllogismus constans ex præmissis probabilibus generat opinionem; talis est syllogismus topicus: ergo generat opinionem.* Denique in parte Sophistica similitèr est evidens assensus conclusionis causatę ex his præmissis; *Syllogismus constans ex præmissis apparentibus generat errorem; sed syllogismus sophisticus constat ex præmissis apparentibus: ergo generat errorem.* Modo sic; sed cognitio istarum conclusionum est Logica docens actualis, ut admitunt omnes: ergo Logica docens actualis est scientia, quo ad omnes suas partes; ac proinde habitus ex his actibus generatus scientia quoque est; consequentèrque Logica docens non est ars; cum ratio artis repugnet scientiæ.

Dicimus 2.° Logica utens tàm actualis, quàm habitualis non est scientia, sed ars. Prob. Scientia est, quæ demonstrat passiones de suo objecto; sed Logica utens de nullo objecto passiones demonstrat: ergo non est scientia. Prob. min. Demonstrare passiones de aliquo

objecto est præbere assensum conclusionibus, quæ demonstrantur de tali objecto; sed Logica utens non præbet assensum conclusionibus, quæ de aliquo demonstrentur objecto: ergo. Min. patet. Quia Sphera Logicæ utentis tantùm est constructio, quæ ex se assensus non est; hic enim pertinet ad habitum præstantem materiam: ergo &c.

Quod verò sit ars ostenditur; nam habitus, qui versatur circa singularia, & circa res à nobis operabiles est ars; sed Logica utens versatur circa singularia, & res à nobis operabiles: ergo est ars. Min. patet. Quia Logica utens versatur circa constructionem instrumentorum sciendi, constructioque, seù productio est singularium: ergo versatur circa singularia à nobis operabilia; ac per consequens, non erit scientia, sed ars. Cum verò non efficiat opera externa, sed interna, nequit esse ars mechanica, sed liberalis, quæ verè, & simplicitèr non est ars, sed similitudinariè, & secundum quid.

Objic. contra primam conclusionem 1. plures auctoritates Arist. Nam 1. Reth. cap. 1. ait: *Si quis Dialecticam, & Rethoricam, ut scientias, & non ut facultates pertractet, imprudens est, & earum naturam subvertit.* Et 2. Methaph. cap. 3. dicit: *Absurdum esse simùl quærere scientiam, & modum sciendi.* Item 4. Methaph. inquit: *Logicam non tractare de re aliqua determinata*; sed hoc est contra rationem scientiæ: ergo. Denique 6. Methaph. cap. 1. enumerans scientias, nullam mentionem Logicæ facit: ergo Logica docens non est scientia.

Respond. ad primum Philosophum negare Logicæ rationem scientiæ cum intra proprium objectum dialecticè, topicè, seù probabilitèr arguit; non verò cum de Syllogismo dialectico, seù topico propietates demonstrat: quod nos etiam dicimus. Ad secundum concedimus, quod est absurdum, quærere alias scientias simùl cum Logica, ad quæ ipsa est janua; hocque docet Arist.

non

non verò quod sit absurdum quærere scientiam Logicam simùl cum Logica, ut patet. Ad tertium dicimus, Logicam quantùm ad doctrinam esse de re determinata, nempè de modo sciendi, sed quantùm ad usum versari circa omnia indeterminatè, quia omnibus scientiis applicatur; ideoque dicitur scientia communis. Ad ultimum, præter quam quod ab auctoritate negativa nihil sequitur, Philosophus ibi non divissit scientiam in omnia sua membra, sed in principaliora, non meminitque Logicæ, quæ omnium scientiarum est ministra. Tamen 1. Topic. cap. 12. admitit divisionem problematum in Naturale, Morale, & Logicum; & scientiæ in Naturalem, Moralem, & Logicam.

Objic. 2.° Scientia acquiritur per demonstrationem; sed Logica non acquiritur per demonstrationem: ergo non est scientia. Prob. min. Logica docet facere demonstrationem: ergo ipsa non acquiritur per demonstrationem. Resp. dist. maj. Scientia acquiritur per demonstrationem vel *naturalem*, vel *artificialem* conc. maj. *præcissè artificialem*, neg. maj. & dist. min. Logica non acquiritur per demonstrationem *artificialem* conc. per *naturalem*, neg. min. Atque dist. ant. prob. eisdem terminis. Nam certùm est primam cognitionem scientificam Logicæ non haberi per demonstrationem artificialem, quàm Logica construere docet; sed per naturalem, seù lumine naturæ factam; quod sufficit, ut sit verè scientia.

Objic. contra secundum hoc unicum argumentum, quod est Aguirre, & aliquorum Scotistarum Acchiles. Actualis constructio demonstrationis est actualis scientia; sed Logica utens actualis in parte demonstrativa est actualis constructio demonstrationis: ergo Logica utens actualis in parte demonstrativa est actualis scientia. In primis instatur argum. Actualis constructio demonstrationis est actualis scientia; sed Logica utens actualis in parte topica, & sophistica est actualis constructio demonstrationis, quia Logica, quo ad omnes

par-

partes per vos est scientia: ergo non solùm in parte demonstrativa, sed etiam in parte topica, & sophistica Logica utens est scientia.

Resp. ergo in forma dist. maj. Actualis constructio demonstrationis quantùm ad materiam, vel assensum, seù substantiam actus, est actualis scientia conc. maj. quantùm ad formam artificiossam neg. maj. & dis. min. est actualis constructio, quo ad formam artificiossam conc. min. quantùm ad assensum, materiam, seù substantiam actus, neg. min. & conseq. Usus ergo constructivus syllogismi demonstrativi duo importat, & formam artificiossam, quæ non est scientia, sed conditio ad scientiam, & materiam, seù substantiam artificii, quæ in præmissis est causa scientiæ applicata per formam, tanquam conditionem, & in conclusione est ipsa scientia causata ex præmissis per formam artificiossam dispositis.

QUÆSTIO SEXTA.

An Logica sit scientia practica, vel speculativa.

Omnes fatentur Philosophi, scientiam illam esse *Speculativam, quæ sistit in contemplatione sui objecti: Practicam* verò, *quæ dirigit praxim.* Quid autem sit praxis declaravit S. D. Quæst. 4. Prolog. §. *ad istas quæstiones, ℣. dico igitur*, n. 3. dicens: *Praxis est actus alteriùs potentiæ, quam intellectus, naturalitèr posterior intellectione, natus elici conformitèr rectæ rationi, ad hoc ut sit actus rectus.* Quæ definitio ab omnibus ferè admititur. Ex qua tres conditiones requiruntur ad praxim. 1. Quod sit *actus alteriùs potentiæ quam intellectus.* 2. Quod sit *naturalitèr posterior intellectione*, utpotè ab illa regulatus, & mensuratus. 3. Quod sit *natus elici conformitèr rectæ rationi*; nam actiones incapaces directionis, ut vegetandi, nutriendi, &c. non sunt praxis. Quibus ita suppositis.

Dicimus, Logica est simplicitèr speculativa, & solùm

lùm practica similitudinariè, secundum quid, & analogicè. Est S. Thomæ, & Scoti cum suis; & probat. 1. pars; Scientia practica est illa, quæ dirigit praxim; sed Logica non dirigit praxim: ergo non est practica. Prob. min. Praxis est actus alteriùs potentiæ quam intellectus &c.; sed Logica non dirigit actus alteriùs potentiæ, quam intellectus: ergo Logica non dirigit praxim. Prob. min. Nam Syllogismus, & reliqua instrumenta sciendi sunt opus soliùs intellectus: ergo Logica non dirigit actus alteriùs potentiæ quam intellectus, consequentèrque nec dirigit praxim, nec est scientia practica.

2. Pars etiam prob. nam scientia practica impropiè, & latè sumpta est illa, quæ non est purè speculativa sui objecti, sed dirigit illius effectionem: sed Logica non tantùm contemplatur naturam modi sciendi, sed etiam ejus effectionem regulat, estò intra lineam speculativi, & veri: ergo Logica impropiè, & similitudinariè practica dici potest.

Objic. 1.° Illa scientia est practica, quæ habet pro objecto rem operabilem, ut operabilis est; sed Logica habet pro objecto modum sciendi, qui est res operabilis ab ipsa Logica: ergo Logica est practica. Prob. min. Ex Philosopho 1. Rethor. cap. 1. dum ait, Dialecticam esse inventam ad dirigenda opera, quæ benè, vel malè fieri possunt: ergo. Resp. dist. maj. Quæ habet pro objecto rem operabilem extra intellectum conc. maj. intra intellectum neg. maj. & dist. min. qui est res operabilis intra intellectum conc. min. extra intellectum, neg. min. per quod etiam patet ad Arist. cit. Siquidem ut scientia sit practica opus dirigere debet alteriùs potentiæ, quam intellectus, ut cum Scoto notavimus.

Objic. 2.° Etsi prudentia dirigat operationes aliquas intellectus, quæ ad virtutes pertinent, adhuc est habitus practicus: ergo licet Logica dirigat actus intellectus erit practica. Resp. dist. a tec. Etsi prudentia dirigat operationes aliquas intellectus, ut imperatas, seù

di-

dirigat imperium in illis, quæ &c. conc. antec. dirigat non quo ad imperium, sed quo ad rectitudinem ad veritatem indagandam, neg. suppositum, & conseq. Logica enim solùm dirigit operationes intellectus in genere speculativi, & veri, quod est proprium habitus speculativi: prudentia autem dirigit aliquas operationes intellectus, ut à voluntate imperatas, seù ut bonę fiant in genere moris, & sic per accidens sunt praxis, scilicèt, quatenus imperatæ.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Sit ne Logica simplex, vel composita qualitas?

De qualibet scientia potest præsens exagitari dificultas; proindequè quod hic de Logica dixerimus, de quacumque alia scientia totali intelligendum esse volumus. Inquirimus ergo, an in Logica idem unicus habitus producat actus circa syllogismum, definitionem, divisionem, &c. per quos actus magis ipse habitus intendatur, & sic erit qualitas simplex? An verò requiratur unus habitus producens actus circa syllogismum, alius circa definitionem, & sic de reliquis, atque ita erit composita, seù multiplex? Undè quæstio est de Logica habituali, non verò de actuali. In qua plures Thomistæ docent Logicam esse unicum simplicem habitum; at Scotistæ omnes cum Subt. Doctore oppositum sustinent. Cum quibus

Dicimus, habitus Logicæ (idem dic de aliis scientiis) non est simplex, sed composita qualitas ex pluribus habitibus specie distinctis. Prob. 1. ex S. Thoma, 1. 2. Quæst. 54. art. 2. ad 2. dicente: *Tota autem virtus demonstrationis dependet ex medio, & ideo diversa media sunt sicut, diversa principia activa, secundum quæ habitus scientiarum diversificantur*: sed scientia, Logica, v. gr. ad concludendas o versas veritates procedit per diversa media, & principia: ergo in Logica, non uni-

unicus, sed plures habitus diversi debent admiti.

Nec valet respondère cum Bayona, illa principia esse tantùm materialitèr distincta, non formalitèr, quod requirebatur ad distinctionem specificam habitus, & ita debère intelligi D. Thom. Non inquam valet; nam ad demonstrandas passiones definitionis, divisionis, & argumentationis procêdit Logica per media, & principia specie distincta: ergo. Prob. ant. Procêdit per definitiones definitionis, divisionis, & argumentationis; sed tales definitiones sunt formalitèr, & specificè distinctę; ut patet: ergo. Confirmat hoc S. Thomas Q. 8. *de Veritate*, art. 16. dicens: *Una tota scientia comprehendit sub se diversas scientias particulares, quibus conclusiones diversæ cognoscuntur.*

Prob. 2.° Habitus scientificus est facilitas in potentia; sed in Logica dantur plures facilitates specie distinctę: ergo in Logica dantur plures habitus specie distincti. Prob. min. facilitas circa definitionem v. gr. distinguitur à facilitate circa divisionem: ergo. Ant. constat experientia; nam postquam intellectus est facilis circa definitionem potest habere dificultatem; immò omninò ignorare leges, & naturam divisionis: ergo si adest nova dificultas vincenda, debet poni distinctus habitus facilitans intellectum circa talem veritatem. Confirmatur ex Arist. 2. Ethicor. cap. 1. 2. & 4. dicente: *Quales sunt habitus, tales actus reddunt, & quales sunt actus, tales habitus causant*; sed actus definiendi, dividendi, &c. specie distinguntur: ergo & habitus causati per tales actus.

Objic. 1.° Ideo in Logica darentur plures habitus, quia dantur plures passiones demonstrabiles de particularibus objectis, & ad quamlibet passionem requiritur ratio motiva specie distincta; sed unica ratio formalis motiva sufficit ad demonstrandas plures passiones: ergo ruit nostrum fundamentum. Prob. min. unica definitio hominis v. gr. est ratio motiva demonstrandi de illo plures passiones, scilicèt, risibilitatem, flebilitatem &c.: ergo &c.

Resp.

Resp. dist. maj. Ideo in Logica darentur plures habitus, quia dantur plures passiones de particularibus objectis specie distinctis conc. maj. solo numero distinctis neg. maj. & dist. min. unica ratio formalis motiva sufficit ad demonstrandas plures passiones de eodem specificè objecto conc. min. de eodem genericè objecto neg. min. & conc. ant. prob. neg. conseq. Unica definitio hominis sufficit ad demonstrandas omnes passiones hominis; quia omnium illarum est fons, & origo; unica definitio modi sciendi non sufficit ad demonstrandas passiones omnium modorum sciendi, qui inter se differunt specie; & quilibet habet propietates sibi proportionatas.

Objic. 2.° Habitus scientificus acquisitus per unam demonstrationem est facilitas ad omnes alias similes specie athomè; sed omnes conclusiones in Logica, seù in qualibet alia scientia sunt similes specie athomè: ergo unicus habitus ad omnes conclusiones facilitat in Logica. Prob. min. Omnes conclusiones Logicæ sunt similes specie athomè, si habent motivum formale unicum specie athomè; sed in Logica ratio modi sciendi est unicum motivum specie athomè respectu cujus differentiæ speciales modi sciendi de materiali se habent: ergo. Probat. min. Illud enim de materiali se habet, quod potest adesse, & abesse, salvo motivo assensus scientifici; sed sivè adsit, sivè dessit quælibet species determinata modi sciendi, dum modus sciendi non dessit, salvatur motivum formale assensus Logici: ergo &c.

Resp. neg. 1. & 2. min. & dist. 3. Salvatur motivum formale respectu habitus particularis agentis de modo sciendi, ut sic, conc. min. Salvatur motivum formale respectu habituum cujuslibet modi sciendi in speciali neg. min. & conseq. In Logica sicut dantur plures habitus, ita etiam plura formalia motiva illis proportionata. Unde datur habitus circa modum sciendi in communi habens hoc formale motivum; & dantur

alii

alii habitus circa modos sciendi in speciali habentes pro motivo rationes speciales modi sciendi. Quare, his deficientibus, non deficeret Logica quo ad primum habitum; deficeret tamen quo ad istos.

Dubitabis hic; Quam unitatem habeat tota Logica ex partialibus habitibus integrata? Resp. Quod Methaphisicè loquendo solùm habet unitatem genericam; Phisicè verò loquendo habet unitatem ordinis, seù habitudinis plurium ad unum, ut exercitus militum. Prob. 1. pars; Quæ specie differunt inter se solùm possunt habere unitatem genericam; sed habitus, ex quibus Logica coalescit, specie differunt inter se, ut diximus supra: ergo solùm possunt habere unitatem genericam.

Prob. 2. pars; Quia tales habitus non uniuntur phisicè inter se, nec sicut materia, & forma, nec sicut subjectum, & accidens; aliàs unus esset subjectum, alterque esset forma; nec unitate indivisibilitatis, seù simplicitatis, ut ex dictis patet. Nec denique habent solam unitatem agregationis, ut lapides in cumulo, qui indiscriminatim, et quasi fortuitò copulantur: ergo solùm restat, quod habeant unitatem artificialem, seù ordinis, sivè attributionis ad unum.

Dices: Si scientia totalis solùm haberet unitatem attributionis, seù ordinis, esset formalitèr relatio; nam relatio est ordo aliquorum inter se; sed scientia nequit esse relatio, quia est de genere qualitatis: ergo &c. Resp. instand. argum. In exercitu militum, ubi quilibet homo est substantia; & tamen ordo ille, quo formalitèr exercitum componunt, relatio est. Dicimus ergo, habitus partiales materialitèr, & entitativè non esse relationes, sed qualitates scientificas, formalitèr verò, & ut cadunt sub attributione, & ordine ad unum, esse relationes, vel relatos. Scientia autem totalis non sumitur communitèr pro illo ordine, sed vel pro habitibus partialibus, vel pro habitu generico continente partiales, & in hoc sensu relatio non est.

QUÆSTIO OCTAVA.

Quodnam sit specificativum tribuens Logicæ distinctionem, & unitatem?

Sicut præcedens, ita & hæc quæstio de qualibet scientia exagitari potest. Et non quærimus de specificativo intrinseco, quod habet Logica, seù scientia à sua entitate, & differentia intrinseca; sed de specificativo extrinseco, seù objectivo, ratione cujus objectum ejus materiale potiùs ab ipsa, quam ab alia scientia attingitur. In qua Thomistæ communitèr docent, unitatem, & specificationem tàm Logicæ, quàm cæterarum scientiarum ex diversa immaterialitate, seù abstractione à materia desumi. At Scotistæ omnes cum S. D. 6. Methaph. Quæst. 1. in fine addition. tenent objectum formale esse specificativum Logicæ, aliarumque scientiarum.

Et hæc est nostra firmitèr defensanda conclusio. Prob. brev. Tàm de Logica, quàm de aliis scientiis in communi; Quælibet scientia desumit suam unitatem, & specificationem ab illo, à quo accipit suam entitatem; sed scientia accipit suam entitatem ab objecto formali; nam ab objecto, & potentia paritur notitia: ergo ab objecto formali accipit scientia suam unitatem, & specificationem. Prob. min. Objectum materiale indifferens est ad plures scientias specie distinctas, objectum verò formale solùm cadit sub consideratione illius scientiæ ab aliis condistinctæ: ergo illud formale, aut illa ratio est origo unica specificationis, & unitatis scientiarum. Argumenta, quæ hic fieri possunt (ait Villa-Castin) levissima sunt; & quia ex dictis solvi possunt, ea ommittimus.

QUÆSTIO NONA.

Utrùm, & quomodo sit necessaria Logica ad alias scientias acquirendas?

De necessitate Philosophiæ ad Theologiam jam diximus aliqua in præliminaribus ad ipsam; nunc verò quærimus de Logicæ necessitate respectu cujuscumque scientiæ tunc naturalis, tunc supernaturalis, seù Theologicæ. Et suppositis, quæ de necessitate simplicitèr, & secundum quid in citato notavimus loco.

Dicimus, Logicam non esse simplicitèr necessariam ad alias scientias acquirendas, sed tantùm secundum quid. Est communior inter nostrates contra Thomistas quamplures. Et prob. ex Scoto in 1. dist. 17. Quæst. 2. n. 12. Habitus acquisiti non dantur ad simplicitèr operandum, sed ad faciliùs; sed Logica est habitus acquisitus: ergo non dat simplicitèr posse acquirere alias scientias, sed solùm faciliùs illas posse consequi. Maj. est certa; per hoc enim distinguntur habitus acquisiti ab habitibus per se infussis, & potentiis; quod istæ dant simplicitèr posse, illi faciliùs posse. Min. à nullo negatur. Unde conseq. est legitima.

Deinde, quia ante Arist. qui syllogisticæ artis fuit inventor, floruere multi viri sapientissimi, ut Socrates in Philosophia morali, Hypocrates in Medicina, Plato in supernaturali Philosophia, aliique permulti: & etiam nunc inveniuntur non pauci in Mathematicis, & Juribus eruditissimi, quin Logicam addiscerint: ergo Logica non est simplicitèr necessaria ad alias scientias acquirendas; cum quo tamen stat, quod sit necessaria *secundum quid*, seù ad faciliùs, breviùs, & commodiùs illas adipiscendas; quod nullus negat.

Objic. 1.° Nulla scientia potest acquiri nisi per demonstrationem; sed à sola Logica fit demonstratio: ergo nulla scientia potest acquiri, nisi per Logicam. Min. patet, quia sola Logica docet facere demonstratio-

tiones: ergo. Resp. dist. maj. Nulla scientia potest acquiri, nisi per demonstrationem, sivè naturalem, sivè artificialem, conc. maj. præcissè artificialem, neg. maj. & dist. min. à sola Logica fit demonstratio artificialis conc. min. naturalis, neg. min. per quod etiam patet ad probationem. Certùm est, quod sine Logica nequit haberi demonstratio artificialis, & quam ipsa facere docet; sed potest haberi demonstratio naturalis, solo lumine naturæ facta; & hæc est necessaria, & sufficiens ad scientiam, non verò illa: aliàs ad primam demonstrationem scientificam Logicæ, esset necessaria alia Logica, & ad hanc alia, & sic in infinitum.

Objic. 2.° D. Aug. lib. 3. contra Academ. cap. 13. de Logica disserens, ait; *Si quis verò eam nescit, non pertinet ad sapientiam ejus cognitio*: & lib. 2. de Ord. cap. 13. inquit: *Hæc docet docere, hæc docet discere, sola hæc scientes facere potest*: ergo. Denique alii Patres, & multi Philosophi Logicam passim commendant; dicunt enim, Rethoricam languere sine Logica, Poësim, & Historiam, nec honestatem habere, nec decentiam; Medicinam totam à Logica pendère; ad Sacram Scripturam esse necessariam, non minus, quam ad decem prædicamenta; efficasissimam esse ad hæreses extirpandas, immò, & ipse Arist. sepè testatur veteres Philosophos ob Dialecticæ ignorantiam in multos errores fuisse prolapsos: ergo &c.

Resp. S. Aug. loqui de sapientia, & scientia artificialitèr, seù per demonstrationem artificialem acquisita, ad quam nos non negamus Logicam esse necessariam; sed solùm loquimur de scientia lumine naturæ, & primorum principiorum consequta, ad quam Logica necessaria non est. Commendatio Cæterorum Patrum, Philosophorumquè laudatio solùm probat utilitatem Logicæ, seù necessitatem secundum quid; non verò necessitatem simplicitèr. Errores denique antiquorum Philosophorum, non præcissè ex deffectu Logicæ orti sunt, sed maximè ex nostri intellectus limitatione, &

etiam

etiam ex obcecatione mentis, quàm patimur in pœnam originalis peccati. Qua ratione etiam ipse Aristot. in Logica doctissimus docuit errores non paucos. Igit. &c.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Ente rationis.

QUÆSTIO PRIMA.

An, quid, & quotuplex sit ens rationis?

Ens rationis triplicitèr sumi potest; scilicèt *effectivè*, & est *omne id, quod ab intellectu producitur*; ut actus; & habitus illius; *Subjectivè*, estque, *quidquid in intellectu existit tamquam in subjecto*; ut sunt actus, & habitus illius, & species intelligibiles; & *objectivè*, & est *quidquid intellectui objicitur, & terminat illius actum*: & hoc est duplex, vel quod præter esse objectivum ab intellectu præstitum habet suum esse independentèr à ratione, ut lapis, homo &c. Vel quod nullum esse habet nisi objectivum, hocque est propriè ens rationis, de quo procedit quæstio. In qua

Dicimus 1.° Dantur entia rationis. Ita omnes ferè Philosophi. Prob. Ens rationis est illud, quod præter esse, quod habet in intellectu, nullum aliud esse habet, nec habere potest à parte rei; sed plura dantur, quæ præter esse, quod habent in intellectu, nullum aliud habent, nec habere possunt à parte rei: ergo dantur plura entia rationis. Prob. min. Quarta persona Sanctissimæ Trinitatis, Angelus corporeus, hyrcocervus, & alia plura habent omnimodam repugnantiam, ut existant à parte rei, sed hæc cognoscuntur ab intellectu: ergo dantur plura, quæ nullum esse habere possunt à parte rei, præter illud, quod habent in intellectu, quando illa cognoscit.

Dicimus 2.° Ens rationis consistit formalitèr in

quo-

quodam esse objectivo imposibili realitèr ad modum veri entis concepto. Est utriusque DD. Ang. & Subtil. cum discipulis, & aliis innumeris. Prob. Id est constitutivum alicujus rei, per quod distinguitur ab omni alio, quod non est ipsa; sed per asignatam rationem distinguitur ens rationis ab omni alio, quod non est ipsum: ergo. Prob. min. In primis distinguitur ab ente reali, quod non habet esse purè objectivè, sed re ipsa habet aliud esse existens, aut posibile. Deinde distinguitur à negatione reali, quæ absque fictione intellectus datur à parte rei; nullo enim cogitante intellectu, homo cæcus habet privationem visus, &c. Denique etiam distinguitur à puro nihilo, seù negatione amplissimè sumpta; hæc enim nullum habet esse nec reale, nec objectivum; ens verò rationis habet esse positivum saltem in intellectu considerante. Unde definitur ab omnibus; ens rationis est, *quod solum habet esse objectivum in intellectu.*

Dicimus 3.° Ens rationis formalitèr ut tale, dividendum esse in omnia illa suprema genera, in quæ dividitur ens reale, ad cujus instar efingitur. Sic Mastrius, & Villacast. cum Doct. Quæst. 6. univer. ad 4. ubi ait: *Quod in esse rationis sunt multi gradus, sicut in esse naturæ.* Ex quo prob. quotiescumque habet esse objectivè in intellectu aliquid imposibile, & repugnans, efficitur ens rationis; sed potest habere esse tantùm objectivè in intellectu aliquid imposibile, & repugnans de linea, & genere cujuslibet prædicamenti; ut patet: ergo possunt dari entia rationis efformata justa divisionem prædicamentorum. Quæ omnia entia, vel possunt esse merè fictitia, & sine fundamento in re, ut hyrcocervus, vel cum fundamento in re, ut sunt omnes secundæ intentiones Logicales, subjecti, prædicati, generis, differentiæ, &c.

Objicies contra primam 1.° Omne, quod non est Deus, eo modo quo est, habet causam sui productivam; sed ens rationis non habet causam productivam sui: er-

ergo non datur ens rationis. Prob. min. Si aliqua potest asignari causa maximè intellectus ; sed hic non potest esse causa: ergo. Prob. min. Causa realis cum causat producit effectum realem, & non rationis; sed intellectus est causa realis: ergo cum causat producit effectum realem , & non ens rationis. 2.° Nihil est in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu ; sed ens rationis non priùs fuit in sensu, quia sensus solùm percipit sensibilia in re existentia: ergo. 3.° Intelligibilitas est propia passio entis realis : ergo ens rationis non est intelligibile; ac per consequens nequit in intellectu objectivè esse.

Resp. ad 1. neg. primam, & secundam min. Ad hujus probationem dist. maj. Causa realis cum causat *per actionem realem* producit effectum realem, & non rationis conc. maj. cum causat *per influxum methaphoricum*, neg. & conc. min. dist. consequens eisdem terminis ; Intellectus habet duplicem actionem ; unam propriè talem , quæ appellatur *dictio*, qua producit intellectionem, quę est ens reale; & alteram methaphoricam, quæ est ipsa intellectio producta , & hæc nec est vera actio productiva , sed operativa ; nec habet effectum realem ; sed tantùm tribuit quoddam esse objectivum; ac proindè si objectum est quid repugnans , erit ens rationis , & ejus productio erit actio secundum quid.

Ad secundũ explicatur axioma: nihil est in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu *formalitèr*, vel *ocasionalitèr*, conc. maj. *præcissè formalitèr* neg. maj. & dist. min. eodem modo , neg. conseq. Ens rationis , antequam cognoscatur, non fuit in sensu per se formalitèr, seù per propriam speciem, quam reverà non habet; fuit tamen per aliud, per ens reale nempè, à quo intellectus dessumit ocasionem ad illud fingendum. Quod sufficit , ut cognoscatur. Ad 3. dicimus ens rationis non habere intelligibilitatem motivam; non enim potest ad sui cognitionem movere intellectum; cæterum habet intelligibilitatem terminativam, quæ sufficit , ut sit terminus actus intellectus.

Ob-

Objicies contra secundam; datur aliquod ens rationis, quod consistat in mera negatione: ergo non omne ens rationis consistit in aliquo positivo etiam ficto. Antec. patet; qui concipit negationem Dei, ut insipiens, qui dicebat in corde suo: *Non est Deus*, vel negat quodlibet objectum necessarium, facit ens rationis, cum concipiat aliquid repugnans; sed negatio Dei est mera negatio: ergo. Resp. neg. antec. & probat. Negatio Dei, vel cujuslibet objecti necessarii non est ens rationis, sed negatio rationis, quod non est idem, sicut negatio realis non est idem, ac ens reale. Nos ergo loquimur in conclusione de ente rationis, non verò de negatione rationis. Contra tertiam conclusionem nil speciale objicitur à substinentibus, ens rationis dividi in negationem, privationem, & relationem. Quare

Hic est ultimo sciendum, quod sicut intellectus fingit essentiam entis rationis ad instar entis realis, ita etiam potest fingere à tali essentia dimanare passiones similes illis, quas videt in ente reali; hocque in sensu ens rationis in communi habet propietates, quæ conveniunt enti reali in communi, ut esse unum, verum, bonum, quæ sunt propietates simplices; & similitèr esse contingens, necessarium, idem, diversum &c. quæ sunt propietates disjunctæ. Et paritèr ens rationis in particulari habet suo modo passiones illius entis particularis, ad cujus instar effingitur. De quibus non est specialis difficultas.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quænam potentiæ possint efficere entia rationis?

Certum est apud omnes, intellectum nostrum posse ens rationis fabricare: dubium ergo est de cæteris potentiis. Et quærimus, an, sicut intellectus potest præbere esse objectivum repugnanti, idem etiam valeant sensus externi, potentiæ internæ, & voluntas? Et

Di-

Dicimus 1.° Potentias corporeas, & externas non posse entia rationis efficere. Est ferè communis inter Authores, & probatur; nulla potentia extendi potest ad percipiendum, vel efficiendum id, quod est omninò extra spheram sui objecti adæquati; sed ens rationis est omninò extra spheram objecti adæquati cujuslibet sensus externi: ergo nullus sensus externus facit ens rationis. Prob. min. Objectum adæquatum cujuslibet sensus externi est aliquid corporeum sensibile, sicut voluntatis volibile, & intellectus intelligibile; sed entia rationis sunt omninò extra spheram objecti materialis, & sensibilis, cum careant omni realitate: ergo & sunt extra spheram objecti adæquati cujuslibet sensus externi; & consequentèr nullus sensus externus potest efficere ens rationis.

Dicimus 2.° Sensus interni non possunt entia rationis efficere. Est in utraque scola communior. Probat. Sola illa potentia valet entia rationis eformare, quæ ita valet præstare esse objectivum rei in se ipsa, ut extra illam nec sit, nec existere possit; sed nulla potentia sensitiva interna potest præstare esse objectivum, quod extra ipsam repugnet: ergo nulla talis potest efficere ens rationis. Prob. min. Prædictæ potentiæ non percipiunt essentiam, & substantiam rerum, sed tantùm accidentia, & qualitates externas, quæ reverà sunt sensibiles; sed solùm in essentiis rerum est omnimoda repugnantia ad identitatem, non verò in accidentibus, quæ naturalitèr, vel saltim supernaturalitèr conjugi possunt: ergo prædictæ potentiæ nequeunt præbere esse objectivum repugnanti: ergo &c.

Dicimus 3.° Voluntas potest facere entia rationis. Est contra Thomistas, & multos Scotistas. Prob. ergo 1. ex D. S. in 1. dist. 1. Quæst. 1. §. *De tertio articulo*, n. 5. ubi ait: *Triplicem esse finem, scilicèt, finis verus, seù ex natura rei, finis apparens, qui, scilicèt, ostenditur à ratione errante; & finis præstitutus, quem, scilicèt, voluntas ex libertate sua vult.* Et probat statim, hoc posse fieri à voluntate. Deinde in 3. dist. 26. Quæst. unic. num. 13.

℣. *Si dicatur*, sic ait: *Omnis enim potentia collativa potest objectum suum comparare ad aliud, & in eo sic comparato causare respectum rationis, qui non inest ex natura rei, sed ex actu potentiæ, & ita sicut ratio comparando objectum suum, potest causare in eo respectum rationis, sic, & voluntas.* Denique in 4. dist. 16. Quæst. 2. concl. 2. ℣. *Ex hoc potest probari*, n. 11. ita loquitur: *Sed quia nullum ens rationis est novum, nisi per novum actum voluntatis, vel intellectus, &c.*

Ne dicas cum Pontio Doctorem loqui de ente rationis fundamentali, & derelicto, non verò formali, & fabricato. Nam si Scotus intelligeretur in sensu fundamentali præcissè, & non in formali, non solùm intellectus, & voluntas, sed etiam quælibet alia potentia vitalis efficeret ens rationis novum; sed ait D. S. solam voluntatem, & intellectum efficere ens rationis novum: ergo non est intelligendus in sensu fundamentali, sed in formali. Sequela maj. est certa, quia justa omnes quælibet potentia vitalis præbet fundamentum ad ens rationis efformandum: ergo &c.

Prob. 2. ratione; efficere ens rationis est præbere esse objectivum rei aliàs repugnanti; sed voluntas potest præbere esse objectivum rei aliàs repugnanti: ergo potest efficere ens rationis. Probat. min. Voluntas potest præstituere sibi finem ultimum in creatura, cui ratio ultimi finis repugnat: ergo potest præbere esse objectivum repugnanti. Antec. patet; Voluntas ex libertate sua potes amare, ut finem ultimum aliquam creaturam, etiamsi ab intellectu, ut finis ultimus non præponatur: ergo. Prob. antec. Dum voluntas peccat ex pura malitia, tunc intellectus non judicat creaturam esse ultimum finem nostrum; sed adhuc in tali casu voluntas amat creaturam, ut finem ultimum: ergo voluntas potest amare aliquam creaturam, ut finem ultimum, etiamsi ab intellectu, ut finis ultimus non proponatur: ergo &c.

Objicies contra primam conclusionem aliquas experientias. Nam gustus infirmi percipit amaritudinem in cibo, in quo vera amaritudo non est; visus percipit co-

lo-

lores in Iride, in vitro triangulari, seù perspicilio rotundo, concavitates in picturis, lucem duplicatam comprimendo supercilia oculorum ex parte inferiori, vel superiori; item parvitatem in Sole, & Stellis, &c.; sed hæc omnia, & alia hujusmodi ita non sunt à parte rei: ergo sensus externi percipiunt res aliter ac sunt à parte rei: ergo &c. Resp. 1.° Quod licèt sensus percipiat aliquid sensibile quod reverà non sit, numquam tamen percipere posset, quod nec sit, nec esse possit, seù repugnet; quod etiam requiritur ad ens rationis efficiendum.

Deinde singilatim resp. ad omnes experientias. Nam infirmus percipit veram amaritudinem, non quæ sit in cibo, sed in lingua infecta humore cholerico regurgitante ex evaporatione fellis, quæ amaritudo vehementer percipitur humiditate, & calore cibi. Oculi autem vident prædicta, ut sunt à parte rei, non secundum esse reale, sed secundum esse intentionale representabile, quod variatur justa variam specierum, vel ipsius organi immutationem. Ex quibus nil contra nos.

Objicies etiam contra secundam alias experientias: nam si pars intestinorum lupi cooperiatur terra, ita boves, & equi pertiment, ut nulla vi possint agi, ut progrediantur ultra; sed hoc est quia apprehendunt Lupum, cum tamen ibi non sit: ergo. Item passeres videntes plumas accipitris fugiunt ab hortorum consitis; quia apprehendunt ibi esse verum accipitrem. Similitèr canis videns columnam, aut umbram hominis latrat, putans esse verum hominem. Paritèr canis venaticus in somnis latrat, apprehendens feram, aut leporem. Denique imaginativa potest apprehendere hyrcocervum, montem aureum, mare vitreum, & plura similia: ergo &c.

Respondeo, boves, & oves apprehendere in 1.° casu accidentia lupi per odoratum, sub quibus accidentibus lupum esse non repugnat. Idem est dicendum cum passeres vident plumas accipitris, & existimant ibi esse verum accipitrem, quod est possibile. Canis autem in umbra videt tantùm lumen refflexum quod format hominis similitudinem, non verò umbram, quæ est privatio;

tio; latrat verò, quia quotidie videt, quod ubi est hominis umbra, ibi est homo. Canis etiam venaticus latrat in somnis, quia tunc representantur species veræ, & reales, quas habet in phantasia ex objectis antea visis. Denique phantasia cum percipit hæc omnia, nil impossibile apprehendit, sed solùm colores, & accidentia rerum, quæ etiam in pictura possunt depingi (ut nullus dubitat) quin hoc sit ens rationis: igitur &c.

Objicies contra tertiam 1.° facere ens rationis est reddere existens objectivè in potentia, quod à parte rei repugnat; sed voluntas nihil potest reddere objectivè existens: ergo non potest facere ens rationis. Prob. min. Reddere objectum existens objectivè est illud trahere ad se; sed voluntas non trahit ad se objectum, sed potiùs fertur in objectum: ergo. Resp. neg. utramque min. Omnis enim potentia vitalis cum tendit in objectum reddit illud objectivè præsens; hoc autem nil est aliud, quàm objectum ipsum objici potentiæ. Cum verò dicitur voluntatem non trahere ad se objecta, sicut intellectus, quia amor dicitur pondus, & amans esse in amato, hoc totum intelligitur metaphoricè, non phisicè, & verè; nam ita benè dicitur objectum esse in voluntate, sicut in intellectu, quando ipsis objicitur.

Objic. 2.° Voluntas non potest tendere in aliquod ens rationis, nisi illud sibi ab intellectu proponatur, quia *nihil volitum, quin præcognitum*; sed hoc ipso non potest efficere ens rationis, cum illud supponat jam factum ab intellectu: ergo voluntas nullum ens rationis facit, sed illud jam factum ab intellectu supponit. Resp. 1.° instando arg. Intellectus non potest tendere in aliquod ens rationis, nisi illud sibi à sensibus præponatur, quia *nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu, &c.*: ergo &c.

Resp. 2.° dist. maj. Nisi illud *formalitèr*, vel *occasionalitèr* sibi ab intellectu proponatur, conc. maj. *semper formalitèr* neg. maj. Licèt enim quando voluntas tendit in bonum apparens, peccando ex ignorantia, intellectus tribuat objecto primum esse intentionale, &

fic-

fictio se teneat ex parte intellectus ; tamen quando amat bonum præfixum peccando ex mera malitia fictio se tenet totalitèr ex parte voluntatis amantis ut bonum, quod non ut bonum, sed ut malum sibi proposuerat intellectus, & hic est casus in quo facit ens rationis. Immò etiam cum objectum apparens ab intellectu propositum, amat, etiam facit ens rationis ; quia tribuit novum esse objectivum repugnanti; nam licèt illud non attingat alitèr, ac est in intellectu, illud attingit alitèr ac est in se, scilicèt, attingit ut amabile, quod in se amabile esse non potest.

QUÆSTIO TERTIA.

Per quos actus intellectus fiat ens rationis?

Dicimus 1.° ens rationis potest fieri per quamlibet intellectus operationem, per actum rectum, & reflexum, per absolutum, & comparativum, per actum verum, & falsum. Prob. brevitèr de omnibus. Tunc fit ens rationis, quando per modum entis concipitur id, quod nullam entitatem habet, nec habere potest; sed per omnes actus jam relatos potest concipi per modum entis id, quod in re nullam entitatem habet, nec habere potest: ergo per omnes illos actus potest fieri ens rationis. Prob. & explicatur min. Nam per simplicem apprehensionem concipimus alium Deum, chimæram, hyrcocervum, & similia repugnantia: per judicium affirmamus, quod imposibile est, & negamus, quod necessarium est; ut cum dicimus: *homo est lapis*, *homo non est rationalis*: & per discursum deducimus ex antecedenti consequens, quod ex illo sequi non potest. V. gr. *Homo intelligit*: *ergo homo est Deus*, quæ illatio reverà repugnat.

Item per actum absolutum concipimus hominem equum, in quo nulla intervenit comparatio: per comparativum concipimus dominium Dei tamquam relationem ad creaturam, & similia. Deinde per actum directum fiunt plura entia rationis, ut patet: & etiam per refflexum, ut cum concipimus denominationes resultan-

tes

tes ex priori cognitione ad modum alicujus formæ intrinsecæ, aut relationis ad potentiam. Denique per actum falsum nullus dubitat fieri plura entia rationis; & etiam per actum verum, ut cum dicimus *animal est genus*, *homo est species*: ergo per omnes hos actus potest fieri ens rationis.

Dicimus 2.° Per actum dissensus, quo negatur de subjecto aliquod prædicatum necessarium, sivè subjectum sit reale, sivè rationis, fit ens rationis (vel potiùs negatio rationis). Probatur; nam certum est, fieri ens rationis per actum, quo dicimus, *homo non est rationalis*, *non est Deus*; & Arius, cum dicebat: *Filius non est consubstantialis Patri*, certum est, fecisse ens rationis. Similitèr cum dicimus: *Hyrcocervus non est ens rationis*, *Chymæra non est repugnans*, *&c.*: ergo per dissensum in qualibet materia necessaria fit ens rationis.

Dicimus 3.° Per dissensum circa materiam impossibilem, sivè materia sit realis, sivè rationis, non potest fieri ens rationis. Et patet; in his enim propositionibus, *homo non est lapis*, *Chymæra non est existens*, cognoscitur id, quod reverà datur à parte rei; sed per cognitionem, qua attingitur id, quod datur à parte rei, non fit ens rationis: ergo. Prob. maj. Prædicti dissensus attingunt negationem identitatis realis hominis cum lapide, & Chymæræ cum existentia reali; talis negatio datur à parte rei; nullo enim cogitante intellectu, *homo non est lapis*, *& Chymæra non est existens*, seù *non est ens reale*: ergo.

Objicies contra primam; Ens rationis debet fieri per actum falsum, scilicèt, per actum, quo concipitur res alitèr, ac est in se: sed in 1. operatione numquam datur falsitas: ergo per primam intellectus operationem nequit fieri ens rationis. Confirmatur: si ens rationis fit per primam operationem intellectus non potest fieri per secundam, & tertiam: ergo. Prob. antec. Quod præsupponitur factum, nequit iterum fieri: ergo ens rationis factum per primam operationem non potest fieri per secundam, & tertiam.

Resp.

Resp. ad argum. neg. maj. & dist. prob. implicitam; ens rationis fit per actum, quo res concipitur alitèr, ac est in se connotativè conc. positivè, seù entitativè, neg. Non enim est idem cognoscere aliquid ad modum alteriùs, seù per similitudinem ad illud; ac cognoscere, ac si esset positivè, & entitativè illud. Ad primum non requiritur falsitas, sed sufficit cognoscere aliquid per speciem alteriùs; ad secundum verò requiritur actus falsus, quo judicetur, unum reverà esse aliud; sed hoc non requiritur ad efficiendum ens rationis, cum sufficiat illud. Ad confirmationem neg. conseq. Non enim repugnat enti rationis semel, & iterum fieri saltim sub diverso modo, & quo ad aliud explicitum. Præterquam quod distinta entia rationis fiunt per unam operationem, ac per aliam, scilicèt, per secundam identitas ficta explicata per est, & per tertiam connexio extremitatum cum medio; quæ omnia non attingebat prima operatio, ut est evidens.

Objicies etiam contra primam; Actus refflexus supponit ens rationis jam factum per cognitionem directam. ergo. Deinde, ad efficentiam entis rationis semper supponitur cognitio entis realis, ad cujus instar efficitur: ergo non fit per cognitionem directam, sed per refflexam. Denique, ens rationis fit per actum, quo concipitur ad modum entis realis: ergo semper fit per actum comparativum. Patet conseq. Quia actus comparativus est ille, quo unum concipitur in ordine ad aliud: ergo.

Ad primum resp. dist. antec. Aliquis actus refflexus conc. antec. omnis actus refflexus neg. ant. Actus enim qui refflectit suprà actum directum entis rationis factivum, reverà non facit illud; actus verò, qui refflectit suprà actum non factivum entis rationis, v. gr. suprà objectum cognitum fingendo in ipso relationem ad potentiam, certè est factivus entis rationis. Ad secundum conc. antec. & neg. conseq. Non enim omnis cognitio, quæ aliam supponit refflexa est; sed quæ suprà præcedentem refflectit, quod non requiritur ad ens rationis efficiendum; proindequè actus, quo fit, non semper est

ref-

refflexus, nisi impropriè ; quatenùs aliam supponit cognitionem, quod non est ad rem. Ad tertium resp. conc. antec. & neg. conseq. Licèt enim in actu effectivo entis rationis detur aliqualis comparatio, non tamen rigorosa, & propria ; per illam concipimus cæcitatem in oculo ad modum formæ positivæ, quæ non est stricta comparatio, sed quædam imitatio ; & per istam concipimus illam, ut relatam ad formam positivam, quæ est vera comparatio ; & hæc non semper requiritur ad ens rationis fabricandum, sed illa tantùm.

Objicies contra tertiam ex Obiedo : per actum quo dico *Chymæra non est existens*, non solùm cognoscitur repugnantia Chymærę, seù non esse Chymærę, sed etiam ipsa Chymęra, cujus est negatio : ergo ex vi hujus judicii, est objectivè in intellectu duplex objectum, scilicèt, Chymæra, & negatio chymæræ ; sed ex his chymæra nullum habet esse præter objectivum in intellectu : ergo ex vi hujus judici efficitur ens rationis.

Resp. 1.° neg. omnes propositiones præter min. subsumpt. ut enim scitè advertit Mast. hic num. 75. judicium illud, cum sit una simplex qualitas, solùm attingit copulam extremorum, non verò subjectum, & prædicatum, quæ attinguntur per actus apprehensionis judicium præcedentes, & illi coexistentes. Unde fit, quod Chymæra in casu assignato est objectivè in intellectu per apprehensionem præcedentem actum, quo dicitur *Chymæra non est existens* ; consequenterquè per illum fiet ens rationis ; non verò per istum, qui solùm attingit Chymæræ negationem. Resp. 2.° dist. antec. Cognocitur Chymæra, & ejus negatio simùl conc. antec. seorsim neg. antec. & conseq. Unde Chymæra est objectivè in intellectu, non utcumque, sed objectivè negata, sicut est à parte rei, & ita non est ens rationis.

QUÆS-

An intellectus Divinus cognoscat, & efficiat entia rationis?

Dicimus 1.° Deum cognoscere entia rationis indirectè, seù in ordine ad intellectum creatum illa facientem. Est communis contra Vazquez, Alarcon, & alios. Prob. ex Sacra Scriptura, Sap. 8. 8. *Scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum: signa, & monstra scit, antequam fiant.* Sed dissolutiones argumentorum quandoque sunt in materia de ente rationis, ad quod necesse est cognoscere ipsam materiam, ut patet: ergo. Deinde: quia, certùm est, Deum cognoscere peccata hominum; cum enim sit summe Sapiens, & justus judex non posset benè judicare, si delicta non cognosceret; sed quandoque homines peccant fingendo entia rationis, ut Arius, & alii hæretici, qui de Deitate aliquid falsum, & de Trinitate plura sentiebant indigna: ergo. Denique: absurdum est dicere, Deum ignorare rem, de qua disputamus; sed disputamus de ente rationis: ergo &c.

Dicimus 2.° Deum cognoscere entia rationis directè, seù sinè ordine ad intellectum creatum. Ita Villa-Castin cum Mast. contra plures Scotistas, & alios. Et probat. quia quamvis non esset posibilis aliquis intellectus creatus, tamen esset verum, quod Chymæra esset quid imposibile, & repugnans; sed hoc cognosceretur à Deo: ergo. Prob. min. Implicat esse aliquam veritatem objectivam, quæ subterfugiat Divinum intellectum: ergo si Chymæram esse imposibilem, est aliqua veritas objectiva, necessariò debet cognosci à Deo. Confirmatur; quia Deus independentèr, & pro priori ad omnem creaturam possibilem, cognoscit seipsum utpotè objectum primarium sui intellectus: ergo independentèr ab intellectu creato possibili cognoscit etiam dualitatem repugnare suæ unitati, & quaternitatem suæ Trinitati; sed dualitas in essentia Divina, & quarta Trinitatis persona sunt entia rationis: ergo &c.

Dicimus 3.° Intellectum Divinum entia rationis non fabricare. Est contra plures Thomistas, & Scotistas; at tenent eam nostri Vulpes, Merinero, Brizeño, & alii; videturque conformior Scoto; nam in 1. dist. 8. Quæst. 4. §. *Alia est*, ℣. *Præterea intellectus*, n. 15. tenet, Deum non posse causare relationem rationis, nec concipere ut distincta, quæ à parte rei distincta non sunt, quia omnia cognoscit intuitivè, & sicuti sunt in se. Et tandèm concludit in hæc formalia verba: *Igitur intellectus Divinus causabit aliquam intentionem in essentia, ut relationem rationis:: quod est absurdum.* Ex quo hæc efformatur ratio.

Efficentia entis rationis oritur præsertim ex nostro imperfecto, & inadæquato concipiendi modo, quo sæpè concipimus, quæ non sunt distincta, ut distincta; quæ non sunt relata, ut relata; quæ sunt negativa, & privativa, ut positiva; & quæ sunt imposibilia, ut possibilia, quod est cognoscere res, non ut sunt, sed extraneo modo; sed intellectus Divinus nequit cognoscere res, nisi ut sunt in se, quia est intuitivus, & comprehensivus omnium rerum: ergo intellectus Divinus non potest efficere ens rationis.

Prob. 2.° ratione: efficere ens rationis est cognoscere, quod non est, nec potest esse ad modum entis; sed Deus non potest cognoscere, non ens ad modum entis: ergo non potest efficere ens rationis. Maj. constat ex dictis suprà; prob. verò minor; cognoscere quod non est, nec potest esse ad modum entis importat deffectum cognitionis, seù inadæquationem ejus cum re cognita; sed cognitio Divina, quæ summè recta est in cognoscendo omnia ut sunt, non potest deffectum, aut inadæquationem pati: ergo. Maj. prob. Cognoscere quod non est, nec potest esse ad modum entis, est, attingere in re cognita modum illi repugnantem; ut cognoscere tenebras ad modum positivi, quod repugnat ipsis; sed hoc est deffectus, aut inadæquatio quædam in cognoscente, aut in modo cognitionis: ergo cognoscere, quod non est, nec esse potest ad modum entis importat deffectum

cog-

cognitionis, seù inadæquationem ejus cum re cognita; sed hoc repugnat Deo: ergo & efficientia entis rationis.

Objicies contra primam: Si Deus cognosceret entia rationis facta, vel factibilia ab intellectu creato, cognosceret rem alitèr, ac est; sed hæc est imperfectio, Deoque repugnans: ergo nequit Deus hoc modo cognoscere entia rationis. Prob. Sequela; tunc cognosceret Deus objectum intellectus creati eo modo, quo est objectum illius; sed est objectum iliius alitèr, ac est in se: ergo cognosceret Deus rem alitèr, ac est in se. Resp. dist. Sequel. Cognosceret Deus rem esse à parte rei alitèr, ac est, nego: Cognosceret Deus, rem esse cognitam, vel cognoscibilem ab intellectu creato alitèr, ac est à parte rei, concedo; sed in hoc nulla est imperfectio, quia nil est aliud, quam cognoscere, intellectum creatum cognoscere, vel posse cognoscere rem alitèr, ac est in se à parte rei, quod, absque dubio, verum est.

Objicies contra secundam: Si Deus cognosceret ens rationis directè, & sinè ordine ad intellectum creatum, efficeret illud; sed hoc est contra tertiam conclusionem; ergo Deus non cognoscit ens rationis directè. Prob. Seq. Si Deus cognosceret ens rationis independentèr ab intellectu creato, tunc ens rationis non supponeretur cum aliquo esse primo practico ab alio intellectu: ergo in tali cognitione reciperet esse primum practicum ab intellectu Divino; & consequentèr per talem cognitionem Deus efficeret ens rationis. Respond. dist. maj. Si Deus cognitione inadæquata, seù ad modum entis realis cognosceret ens rationis directè, efficeret illud, conc. maj. Si Deus cognosceret ens rationis directè cognitione adæquata, seù ad modum entis rationis efficeret illud, neg. maj. Etenim quando Deus cognoscit ens rationis directè, seù sinè ordine ad intellectum creatum, non cognoscit illud inadæquatè, seù ad modum entis realis, in quo stat fictio, & efficientia illius, sed cognitione adæquata, seù ad modum entis rationis; quæ cognitio non est practica, sed merè speculativa, solùmque denominat illud extrinsecè cognitum, & tribuit esse objecti, non effectus;

quod

quod est commune enti reali, & rationis: igitur &c.

Objic. 1.° contra tertiam plures D. S. authoritates. Nam in 1. dist. 30. Quæst. 2. §. *Respondeo igitur*, ℣. *Hoc etiam*, num. 10. ait: *Essentia Divina licèt possit comparari ad creaturam, & hoc tàm per actus intellectus creati, quàm increati, & sic in ea causare relationem rationis.* Et dist. 35. Quæst. unic. §. *Potest dici ad quæstionem*, ℣. *Hic potest poni*, n. 10. ponit quatuor instantia cognitionis Divinæ, & ait: *In tertio instanti fortè intellectus Divinus potest comparare suam intellectionem ad quodcumque intelligibile::: Et tunc comparando se ad lapidem intellectum potest causare in se relationem rationis.* Et dist. 36. Quæst. unic. §. *Contra ista*, ℣. *Præterea*, ait: *Non causat autem idæas* (Deus) *nisi in esse rationis, & non in aliquo esse reali.* Et alibi sæpè: ergo justa D. S. Deus efficit entia rationis.

Resp. 1.° Doctorum nostrum hac in re esse problematicum, & licère Scotistis utramque, vel alteram partem defendere, ut facit Mastrius. Resp. 2.° explicando verba Doctoris. In prima enim authoritate non loquitur assertivè, ut patet ex his verbis: *licèt possit*, quæ potius permissionem, quàm assertionem denotant. In secunda loquitur dubitativè, ut constat ex illis verbis; *fortè intellectus &c.* In tertia denique sumit esse rationis pro esse diminuto, & cognito, non pro esse rationis stricto, & rigoroso, illudque, & non istud concedit creaturis ab æterno. Quod certè non est contra nos, qui de stricto esse rationis loquimur.

Objic. 2.° Deus utpotè causa prima concurrit cum secunda ad omnia, quæ causa secunda potest efficere; sed intellectus creatus efficit ens rationis: ergo Deus concurrit cum illo ad efficiendum ens rationis; & consequentèr se solo potest producere illud; nam Deus potest se solo facere, quod facit mediis causis secundis. Resp. dist. maj. Ad omnia, quæ causa secunda potest efficere per influxum phisicum efficientem, conced. maj. per influxum metaphoricum, vel defficientem, neg. maj. & dist. min. efficit ens rationis impropriè, metaphoricè,

&

& concursu deffectivo, conc. min. propriè, & concursu effectivo, neg. min. & conseq. Creatura ergo est 1. & unica causa in defficiendo, cum ipsaque non concurrit Deus, nisi ad materiale actionis, aliàs concurret Deus ad peccatum, & ad mendacium formalitèr sumptum. Quod nullus somniavit: ergo &c.

Objic. 3.° Cognoscere ens rationis ad modum entis realis est imperffectio se tenens non ex parte cognoscentis, sed ex parte ipsius entis rationis: ergo non repugnat Deo illud ita cognoscere; & per consequens nec efficere. Conseq. patet; ideo enim sinè imperffectione producit Deus quasdam creaturas vilissimas, ut formicas, vermes, pullices &c., quia illæ ex se petunt ita produci, & tota imperffectio se tenet ex parte creaturarum. Antec. autem prob. Ens rationis caret cognoscibilitate propria: ergo debet cognosci per ens reale. Et consequentèr &c. Resp. neg. primum ant. conc. secundum, & dist. conseq. debet cognosci per ens reale judicio divissivo, quomodo cognoscuntur tenebræ, & cæcitas, quando attingitur non esse lucem in aëre, nec potentiam vissivam in oculo, conc. conseq. judicio conjunctivo, & quasi confundendo ens reale cum ente rationis, neg. conseq. Primo modo cognoscitur à Deo ens rationis, percipiendo, scilicèt, illud esse fictum, & non esse ens reale. Secundo modo cognoscitur à nobis ad modum entis realis, cum ob imperffectionem nostram malè apprehendimus, & deficienter judicamus. Itaque ens rationis ex se petit cognosci per ens reale, & non ad modum entis realis.

QUÆSTIO QUINTA.

An denominationes extrinsecæ sint entia rationis?

Denominatio est *effectus formalis præstitus ab aliqua forma communicata subjecto ratione cujus dicitur tale*; & est duplex. *Intrinseca, quæ provenit à forma, quæ intrinsecè reperitur in re denominata*, sivè per identitatem, ut humanitas in homine, sivè per unionem accidentalem,

ut

ut albedo in pariete; & *extrinseca, quæ provenit à forma extrinseca rei, seù subjecto denominato*, ut esse cognitum, esse amatum, &c. quod provenit à forma intrinseca quidem cognoscenti, & amanti, sed extrinseca cognito, & amato, solùmque per adhæsionem unita cum ipsis, ut docet Doct. Quodlib. 13. art. 4. n.6. Quibus ita explicatis:

Dicimus, omnes denominationes extrinsecæ provenientes à formis realibus sunt reales, non verò entia rationis. Consulto diximus; *provenientes à formis realibus*; quando enim proveniunt à forma rationis sunt entia rationis; talis est denominatio Logicæ Arist. quæ denominatur rationalis extrinsecè, quia agit de ente rationis. Conclusio sic explicata probatur sequenti ratione.

Id, quod habet esse independentèr à quacumque fictione, non est ens rationis, sed reale; at denominationes extrinsecæ habent esse à parte rei, independentèr à qualibet fictione: ergo non sunt entia rationis. Probat. min. Præcissa quacumque fictione intellectus, paries v.gr. denominatur visus à visione, intellectus ab intellectione, &c. ergo. Prob. antec. Posita visione in oculo, cognitione in intellectu, & amore in voluntate, illæ potentiæ formalitèr à parte rei dicuntur formalitèr, videns, intelligens, & amans aliquid; sed hoc non potest contingere, nisi à parte rei aliquid dicatur formalitèr visum, cognitum, & amatum: ergo præcissa quacumque fictione intellectus, denominatur paries visus à visione, intellectus ab intellectione, & amatus ab amore.

Objic. 1.° Datur aliqua denominatio proveniens à forma reali, quæ est ens rationis: ergo non omnis denominatio extrinseca realis est. Probat. ant. Cognitio illa practica, qua fit ens rationis, est forma realis denominans ens rationis cognitum; sed illud esse cognitum est formalitèr aliquid rationis, cum repugnet à parte rei: ergo datur denominatio rationis proveniens à forma reali. Resp. neg. antec. & concessa maj. prob. dist. min. Illud esse cognitum specificativè, & materialitèr est ens rationis, conc. min. reduplicativè, & ut dicit extrinsecè

for-

formam, neg. min. & conseq. Formalitas ergo entis rationis consistit solùm in illo esse ficto, quod se habet, ut terminus actionis metaphoricæ, & ut objectum cognitionis; denominatio verò realis est, quia est realis terminatio cognitionis ad ipsum ens rationis; terminus enim, vel effectus non constituitur formalitèr per actionem, aut formam, sed per id, quod ex actione resultat, & per formam denominatur.

Objic. 2.° Non potest fieri transitus à contradictorio in contradictorium sinè aliqua mutatione; sed paries v. gr. transit de non esse visum ad esse visum: ergo debet habère in se aliquam mutationem; & consequentèr denominatio visi aliquid intrinsecum ponit in parietè. Respond. dist. maj. Sinè aliqua mutatione intrinseca, vel extrinseca conc. maj. præcissè intrinseca neg. maj. Et dist. min. paries transit extrinsecè conc. min. intrinsecè, neg. min. & conseq. Siquidem contradictio talem petit formam, qualis ipsa est; intrinseca intrinsecam, & extrinseca extrinsecam. Quia verò est hujusmodi allata in argumento, ideo solùm extrinsecam petit formam.

QUÆSTIO SEXTA.

An secundæ intentiones sint entia rationis?

Intentio propriè, & rigorosè sumpta significat actum quemdam voluntatis, quo ipsa tendit in finem. Aliquando etiam sumitur pro ipso fine intento; ut cum dicimus, mea intentio in jejunando est placere Deo, & satisfacere pro peccatis, ubi placentia Dei, & satisfactio, quæ sunt objecta, & fines intenti, dicuntur intentiones. Hic autem non sumitur intentio ita rigorosè, sed latè pro qualibet tendentia intellectus in rem cognitam. Hæc ergo intentio dividitur in formalem, & objectivam, & utraque in primam, & secundam.

Intentio prima formalis est *actus intellectus cognoscens rem secundum esse, quod in se habet, sivè reale, sivè rationis.* Prima intentio objectiva est *res cognita secundum*

dum tale esse. Secunda intentio objectiva est *res cognita secundum illud esse, quod habet ab opere intellectus negotiantis.* Secunda verò intentio formalis est *actus intellectus rem ita cognoscens.* Undè constat, quod prima intentio formalis, & etiam secunda, quia sunt actus intellectus, semper sunt entia realia. Intentio autem prima objectiva, quandoque est ens reale, & quandoque est ens rationis. Nam ut tenet communis sententia, & ex ejus constat definitione, constituitur formalitèr per ipsa prędicata, quæ habet res in suo ordine, sivè reali, sivè rationis. Ac proindè solùm procedit quæstio de secundis intentionibus objectivis. In qua

Dicimus; Secunda intentio objectiva fundamentalitèr, & quasi incompletè consistit in quadam denominatione extrinseca passivè derelicta in objecto ex terminatione actus comparativi intellectus; formalitèr verò, & quasi completè, & ultimatè consistit in ipsa comparatione passiva cognita per modum relationis mutuæ intrinsecè inherentis inter extrema comparata. Infertur ex Scoto in 1.° dist. 23. Quæst. unic. pro qua stat Mauritius Quæst. 3. univ. à num. 11. ubi eruditè hanc materiam tractat. Videant. etiam Mastrius, & Sarnanus hic.

Prob. 1. pars; Per illum actum comparativum, quo duo objecta invicem comparantur in aliquo atributo, sivè reali, sivè rationis, tantùm habetur cognitio illa extrinseca, & passivè terminata; non verò percipitur per hunc actum ipsa denominatio passiva, ut quid relativum intrinsecum in objecto: ergo ex vi talis actus solùm derelinquitur, & fundatur, seù quasi in esse incompleto ponitur secunda intentio objectiva: & consequenter in illo signo non apparet secunda intentio, nisi præcissè derelicta, & fundata. Antec. constat; ille enim actus comparativus cognoscit quidem objectum secundum esse proprium objecti, non verò secundum esse à se derelictum; nullus enim actus attingit seipsum, aut terminationem sui passivam, licèt ipsam derelinquat: ergo ille actus ponit passivam terminationem, non tamen attingit illam, ut correllationem ad aliud extremum.

Se-

Secunda verò pars ostenditur; Quia non habetur formalitèr, & completè secunda intentio objectiva quo usque res attingitur omninò extra suum ordinem; sed res solùm attingitur adæquatè, & totalitèr extra suum ordinem, quando illæ comparationes passivæ concipiuntur ad modum relationis intrinsecæ, & mutuæ inter extrema comparata: ergo secunda intentio formalitèr, & completè consistit in illo esse relativo ad modum cujusdam intrinseci inter extrema concepto. Prob. min. Quando comparationes illæ passivæ attinguntur per modum relationis intrinsecæ, & mutuæ inter extrema, concipiuntur, ut fundatæ in ipsa negotiatione, & operè intellectus positivè terminati; sed hoc ipso concipiuntur omninò extra suum ordinem, cum fundamentum illud sit adventitium, & ab extrinseco intellectu præstitum: ergo tunc formalitèr, & completè concipitur res extra suum ordinem, & habetur formalitèr secunda intentio objectiva.

Undè, ut quæstionem solvas, manifestè inferes secundas intentiones objectivas esse formalitèr entia rationis. Quod facilè probatur ex dictis: secunda intentio objectiva completè, & formalitèr non consurgit, quousque extrema comparata concipiuntur ut relata ad invicem; sed talis relatio formalitèr est ens rationis, cum solùm habeat esse objectivè in intellectu, & repugnet esse à parte rei in extremis: ergo. Nec contra hoc obstat Scotus, Quæst. 4. Univers. dicens: *Ad tertium dico, quod universale est ab intellectu, & cum dicitur: ergo est figmentum; dico, quod non sequitur.* Non obstat utique; nam S. D. non negat universale esse ens rationis cum fundamento, sed solùm esse ens rationis fictitium, chymæricum, & prohibitum, quod nos etiam fatemur.

Inferes tamen, secundam intentionem objectivam fieri fundamentalitèr, seù potiùs derelinqui per actum intellectus comparativum, qui semper terminatur ad aliquid primæ intentionis, sivè illud sit reale, sivè rationis justa qualitatem extremorum, quæ comparat; formalitèr verò, & completè semper fieri per simplicem apprehensionem attingentem relationem mutuam utriusque

objecti comparati, ut quid intrinsecum in ipsis; atque ita sola hæc apprehensio refflexa attingens denominationes passivas derelictas terminatur ad atributum rationis, comparatque objecta, ut cognita ad invicem relata. Et de his dicta sufficiant, ut ad utiliora transeamus.

LIBER PRIMUS LOGICÆ MAGNÆ.

DISPUTATIO PRIMA.

De idoneo Veritatis Criterio.

QUÆSTIO UNICA.

Quodnam sit legitimum Veritatis dijudicandæ medium, seù Criterium?

Conveniunt omnes, legitimum veritatis Criterium regulam debere esse infallibilem, quæ verum à falso apertè distinguat. At in tali asignanda regula minimè concordant. Epicurus illam constituit in sensibus; solùmque reputat verum, quod demonstratur, vel cui non repugnat evidentia sensuum, quos ipse fatetur infallibiles. Et hæc est sententia Gassendi. Cartesius autem *ad cognoscendam rerum incognitarum veritatem*, docet in prima Meditatione, *semèl in vita de rebus etiam certis, & manifestis dubitandum esse.* Hinc de omnibus dubitat, omniaque negat præter hanc, *se cogitantem existere*, quoniam in idea cogitantis clarè, distinctèque relucet idea existentis. Quod veritatis criterium his verbis explicant Cartesiani: *Quidquid in idea clara, & distincta rei alicujus comprehenditur, id de ea re certissimè potest affirmari.* Nos tamen cum omnibus Peripateticis.

Dicimus, nec sensum, nec generalem dubitationem, nec ideam claram, & distinctam constitui posse ut legitimum veritatis criterium, sed id convenire solis regulis logicalibus, præsertim verò tribus modis sciendi,

De-

Deffinitioni, scilicèt, Divisioni, & Argumentationi. Prob. 1. pars; Criterium veritatis debet esse regula quædam generalis, certa, & infallibilis; sed sensus non est infallibilis: ergo sensus non est legitimum veritatis criterium. Maj. est certa; prob. min. quamplurimis constat experimentis sensus nostros falli, & rem alitèr, ac est, representare: ergo.

Respondent Epicurei, in sensu non semper esse veritatem judicii, quæ soli convenit intellectui, in eo tamen esse semper veritatem existentiæ, qua simplex sensuum apprehensio est conformis cum specie objecti representati. Quod sufficit, ut sensus dicatur veritatis criterium. Sed contra est, quia etsi falsitas judicii, seù complexa soli conveniat intellectui; tamen sensus capax est veritatis, & falsitatis incomplexæ: veritatis quidem, dum rem proponit, ut est in se; falsitatis verò dum eam representat alitèr, ac est in se: ergo sensus semper est capax erroribus, nostrumque reddit argumentum.

Prob. 2. pars; Generalis Cartesiana dubitatio imposibilis est, & inutilis: ergo non est criterium veritatis. Prob. antec. quo ad primam partem; nam quod est certissimum, & infallibilissimum, nequit in dubium revocari; talis est rerum sensibilium existentia; ut patet ex generali experientia, quæ ita est indubitata, ut neminem decipiat, ac per hoc ab experientia particulari distinguitur: ergo &c. Prob. antec. quo ad 2. partem; quia talis Cartesiana dubitatio sinè sufficienti ratione adstruitur, & post ambages, ac circuitus, deveniendum est denique, ut Dei, & corporum existentia, cæteraque de quibus dubitare nos vult Cartesius, vera esse credantur: ergo &c.

Prob. 3. pars; Plures extant ideæ in nostro intellectu, quæ licèt videantur claræ, & distinctæ, sunt tamen falsæ: ergo regula illa ex claris, distinctisque ideis desumpta, nequit esse verum veritatis criterium. Probat. antec. Ex historiis constat, viros aliquos prudentes vitam exposuisè pro opinionibus contradicentibus, quarum una falsa necessariò erat; sed vir prudens non effu-

de-

deret vitam, & sanguinem, nisi ab idea clara, & distincta suæ opinionis fuisset permotus: ergo aliqua saltim ex his ideis, à quibus movebantur, falsa necessariò erat, licèt ipsis videretur clara, & distincta. Maj. est evidens legenti Antiquorum bella, & contentiones pro juris alicujus deffensione, &c.: ergo &c. Denique in nobis sunt ideæ falsæ, quæ claræ, & distinctę nobis videntur, ut cum montem aureum, hyppocentaurum, & similia concipimus: ergo.

Respondent Cartesiani, plurima à nobis percipi sola phantasia, quæ reverà possunt esse falsa; plura autem intellectu cognosci; & hæc quidem semper vera esse; ad illa (ajunt) pertinent exempla à nobis alata, quæ ideæ claræ, & distinctę esse non possunt, nam quæ est hujusmodi, propria est intellectus, falsaque esse non potest. Sed contra: Ex communi hominum consensu intellectus spiritualia, & materialia percipit: ergo non est aliquod rerum genus, quod à sola phantasia percipiatur, voluntariaque est Cartesianorum responsio. Denique vel nos intellectu percipimus res materiales, vel sola phantasia? Si primum: ergo exempla à nobis alata correspondent ideis intellectus. Si secundum: ergo inepta est argumentatio Cartesii, qui de re materiali loquens prima parte principiorum, ait: *Idæam habeo spatii, seù extensionis extra Cœlos. Quidquid in idæa clara, & distincta comprehenditur, id verum est. Ergo existit reverà spatium illud, & extensio, sivè corpus extra Cœlos.* Igit. &c.

En quomodo hoc in argumento fallitur Cartesius, credens idæam claram, & distinctam habère spatii fictitii, seù imaginati. Ne ergo nos etiam fallamur cum ipso, solas regulas Logicæ, presertimque tres supradictos modos sciendi, Deffinitionem, scilicèt, Divisionem, & Argumentationem Criterium veritatis esse dicamus.

Objic. ergo pro 1. parte. Si sensus esset capax erroris, intellectus nullatenus posset verum cognoscere; sed hoc est falsum: ergo. Maj. sic probat Gassendus; intellectus noster ita dependet à sensu, ut quidquid cognoscit, interventu sensus cognoscat, unde dicunt Peripa-

te-

tetici: *Nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu*: ergo si sensus est fallax, non poterit intellectus verum certò cognoscere. Resp. dist. maj. Si sensus esset *per se* capax erroris conced. maj. Si *per accidens tantùm*, neg. maj. & dist. antec. Intellectus noster dependet à sensu veluti à *nuntio*, concedo, tamquam ab *organo*, aut causa suæ cognitionis, neg. antec. & conseq. Itaque sensus nostri non per se sunt fallaces, sed quandoque ex indebita proportione objecti falluntur. Quorum error potest corrigere intellectus, quia ab ipsis solùm tanquam à nuntiis, seù conditionibus ad intelligendum præviis, pendet, non autem tanquàm à causis suæ intellectionis.

Objic. pro 2. parte. Multi decepti sunt in iis etiam, quæ nos certa tenemus; sed hoc ita fuit, quia methodum istam Cartesianæ dubitationis non admisserunt: ergo admitenda est &c. Min. videtur docere tùm Arist. qui sæpè laudavit dubitare, ut ediscamus, præcipuè l. 2. Metaph. tùm etiam D. Aug. lib. 6. de Musica cap. 11. ubi ait: *Sequuntur nonnulli phantasmata sua tam præcipites, ut nulla sit alia materies falsarum opinionum, quam habere phantasias, vel phantasmata pro cognitis.* Resp. dist. maj. Multi decepti sunt in iis, quæ particulari experientia, & ratione certa tenemus conc. maj. In iis, quę generali experientia, & ratione certa tenemus, neg. maj. & min. cui nec favet Arist. nec Aug. Nam ille loco cit. solùm scribit assensum esse cohibendum, ubi pro utraque parte rationes nos movent; hic verò unicè intendit judicia nostra non esse prçcipitanter ferenda, omnesque circunstantias diligentissimè esse ponderandas, nec assensum temère phantasmatibus præstandum; non autem quod dubitemus de omnibus etiam de iis, quæ generali comperta sunt experientia, ut corporum existentia &c.

Objic. pro 3. parte. Omnis perceptio clara, & distincta Deum habet auctorem: ergo est vera. Patet conseq. Si idea illa posset esse falsa, Deus diceretur causa positiva falsitatis: ergo &c. Prob. antec. Deus dedisset homini ideas fallacès: ergo esset causa positiva falsitatis. Quod etiam dici posset, si Deus dedisset homini potentiam

tiam ab intrinseco fallibilem. Resp. argumentum falsis inniti suppositionibus; supponit enim ideas nostras esse ingenitas, & à Deo inditas; quod est falsum, ut dicemus in Methaphisica. Supponit etiam in nobis extare ideas claras, & distinctas, quod nos numquam concedimus. Et ideo negamus antecedens, & ipsius probationem. Concedimus autem Deum dedisse homini potentiam ab intrinseco fallibilem, sed non ideo est causa positiva falsitatis. Nam Deus bonitate sua fecit hominem rectum; at homo ipse per peccatum infinitis se immiscuit quæstionibus. Quamobrem, si fallitur, seipsum, & originale peccatum, quod causa est omnis deffectus, accusare debet. Ita sanè Theologi optimè respondent Calvino blasfemanti, Deum esse causam peccati, quia dedit nobis libertatem, qua possumus operari bonum, vel malum.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Natura communi.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrùm à parte rei præter singularia dentur naturæ communes, seù universales metaphisicæ.

Multiplicitèr accipi valet universale, vel *in significando*, ut hæc vox *homo*, quæ omnes homines significat; vel *in causando*, & est illud, quod plures effectus specie diversos valet producere, aut se solo, ut *Deus*, aut simul cum aliis causis, ut *Sol*; vel *in essendo*, estque natura aliqua apta ad essendum in multis, ut *natura humana*, quæ in se una reperitur in omnibus hominibus; vel denique *in prædicando*, & est, quod de pluribus inferioribus aptum est prædicari, ut *animal*, quod de homine, Leone, &c. prædicari valet. In præsenti ergo non agimus de universali *in significando*, quod spectat ad Summulas, nec de universali *in causando*, quod pertinet ad Phisicam; sed de universali *in essendo*, & *prædicando*.

Et inquirimus, an præter singularia cujuslibet natu-

turæ, v. gr. Petrum, Paulum, & Franciscum, detur aliqua natura omnibus individuis communis; ita ut natura hominis, v. gr. non consistat formalissimè in ratione particulari cujuslibet, vel omnium simul; sed in aliqua natura superiori, & indifferenti respectu omnium singularium. Negant Nominales, quorum sententia ortum duxit ab Heraclito, & Cratillo, qui solùm singularia in rerum natura agnoscebant, omneque universale prorsùs negabant. Affirmant verò Reales, quorum opinio ut omninò Aristotelica, & Scotica nobis arridet; ideoque cum ipsis.

Dicimus, à parte rei dantur naturæ communes, seù universale metaphisicum. Est communis in utraque Scola contra Nominales. Et probat. auctoritate Arist. ex ante prædicamentis cap. 2. ubi deffinit univoca: *Quorum nomen est commune, ratio verò significata omninò eadem.* Æquivoca verò, *quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ omninò diversa.* Ex quibus sic efformatur ratio: res significata per nomen univocum est omninò eadem in inferioribus; sed singularia, & inferiora formalitèr ut talia non sunt omninò eadem, sed diversa: ergo præter inferiora, seù singularia datur aliqua natura communis, in qua univoca conveniant. Patet conseq. si enim in nudis vocibus, & conceptibus consisteret communitas naturæ, tunc non minus æquivoca, quam univoca participarent rationem communem inferioribus, cum utraque habeant unicum nomen, seù vocem confussè omnia significantem: ergo.

Prob. 2.° ratione: Si in rebus non datur natura communis tollitur scientia, saltim propria à rerum natura; hoc est inconveniens: ergo. Prob. sequela maj. Ablato objecto cujuslibet scientiæ, seù habitus, necesse est, ipsum habitum auferri; sed ablata natura communi, seù universali, aufertur objectum proportionatum habitus scientifici; nam solùm remanent singularia, de quibus ut talia non potest dari scientia: ergo ad salvandam scientiam in rerum natura debent præter singularia naturæ communes in rebus admiti.

Res-

Respondent Nominales, scientiam esse quidem de universalibus, non tamen de rebus, sed de nominibus non nudè sumptis, sed ut pro rebus ipsis supponunt. Sed contra: Quia vel res, pro quibus nomina supponunt, sunt ipsa singularia ut invicem distincta, vel ipsa ut stant, & conveniunt in aliqua natura communi? Si hoc secundum dicant? Habetur intentnm, dari scilicèt, naturas communes in rebus. Si primum? Contra est; nam singularia simul, aut seorsim sumpta non sunt objecta proportionata scientiæ, cum omnia sint corruptibilia, & aliundè non sunt subjecta proportionata passionis demonstrabilis: ergo. Prob. antec. Quia cum passio sit unica, & uniformis in omnibus, non potest convenire ipsis sub ratione propria singularitatis, quæ difformis est; sed ratione alicujus naturæ communis, & uniformis in omnibus, de qua immediatè, tamquam de subjecto demonstrantur passiones: ergo.

Prob. denique: Voces universales non significant inferiora, seù singularia: ergo significant naturam à parte rei communem. Prob. antec. Voces universales non significant inferiora, seù singularia, ut plura, & dissimilia, sed ut unum, & similia, ut tenent ipsi adversarii; sed homo, & Leo v. gr. sunt inferiora animalis, ut plura, & dissimilia: ergo. Prob. min. Homo, & Leo sunt inferiora animalis, ut dicunt rationes differentiales; nam ut dicunt præcissè rationem animalis sunt ipsum animal; sed ut dicunt rationes differentiales sunt plura, & dissimilia: ergo homo, & Leo ut plura, & dissimilia sunt inferiora animalis: ergo &c.

Objic. 1.° Omne, quod existit à parte rei est singulare: ergo à parte rei non datur aliqua natura communis. Prob. antec. Omne, quod existit, vel est Deus, & hic est ex se singularissimus, vel est creatura, & hæc etiam est singularis; nam omnis talis est terminus actionis productivæ: sed actiones sunt circa singularia ex Philos. 1. Metaph. ergo. Resp. ad argumentum duplicitèr posse aliquid dici singulare; scilicèt, vel intrinsecè, & formalitèr; vel extrinsecè, & per accidens. 1.° modo est sin-

gu-

gularis Petrus, Paulus &c. 2.° modo est singularis quælibet formalitas, quæ in suo conceptu singularitatem non includit, seù non est formalitèr singularis, aut singularitas. Unde dist. antec. est singulare vel per se, & intrinsecè, vel extrinsecè, & per accidens, conc. antec. semper intrinsecè, & per se neg. antec. Ad prob. dist. maj. quo ad secundam partem, & conc. quamlibet creaturam esse singularem intrinsecè, & formalitèr, vel extrinsecè, & per accidens; neg. verò esse singularem præcissè intrinsecè, & formalitèr. Et similiter verum est actiones esse circa singularia vel formalitèr, & intrinsecè, vel identicè, & per accidens. Naturæ denique, de quibus loquimur, sunt singulares non ex se, sed ratione identitatis cum singularitate.

Objic. 2.° Quando natura humana prædicatur de Petro, dicendo: *Petrus est homo* nihil prædicatur, quod sit commune omnibus hominibus: ergo significatum illius prædicati non est à parte rei aliqua natura communis. Prob. antec. Humanitas illa, quæ prædicatur, solùm est humanitas Petri identificata cum ipso, non verò humanitas omnium hominum, vel cum omnibus identificata: ergo non datur aliqua humanitas, quæ sit humanitas communis. Resp. neg. antec. Ad prob. dist. antec. Solùm est humanitas Petri per inexistentiam, conc. antec. per indifferentiam neg. antec. Licet enim talis humanitas sit entitativè, & per inexistentiam propria ipsius Petri, tamen quantum est ex se posset esse divissim in omnibus, quia non est cum Petro essentialitèr alligata. Et hoc sufficit, ut sit communis, non per inexistentiam, sed per indifferentiam, ut dicemus infra.

Objic. 3.° Etiam potest dari scientia de singularibus; ergo ut hæc salvetur non debet admiti natura communis. Prob. antec. Hæc est vera, & scientifica demonstratio: *Omne individuum est incommunicabile*; *Petrus est individuum*: *ergo Petrus est incommunicabilis*: ergo &c. Resp. dist. antec. Potest dari scientia impropriè sumpta conc. antec. scientia propria, & rigorosa neg. antec. Ad prob. resp. illam demonstrationem esse verè scientificam, sed

non rigorosè, & propriè. Scientia enim propria, & rigorosa est illa, quæ per definitionem rigorosam quidditatis concludit, aut inffert veram passionem. Cum ergo singulare, ut tale non possit rigorosè definiri, utpotè essentia specifica carens, ideo nec de illo possunt demonstrari passiones, nec dari scientia propriè, sed impropriè sumpta.

Objic. 4.° Terminus communis, v. gr. *homo* non significat unam rationem communem: ergo. Prob. antec. Terminus communis est, *qui significat plura divissim*, sed significare plura divissim, est non unum, sed plura significare: ergo voci communi solùm correspondent ut significata plura inferiora, & non unum commune pluribus. Resp. neg. antec. Ad prob. conces. maj. dist. min. significare plura divissim, quo ad rationes particulares, conc. min. significare plura divissim, quo ad aliquam rationem communem seorsim affirmabilem de pluribus, neg. min. Sensus enim illius definitionis non est, quod terminus communis significet immediatè plura; sed mediatè, quatenus significat unam rationem divissim de pluribus affirmabilem, & hæc est natura communis: ergo &c.

QUÆSTIO SECUNDA.

An naturæ communes existant extra sua inferiora?

Affirmativam sententiam tribuunt aliqui Platoni, præcipuè Arist. at noster S. D. explicat sententiam Platonis ad sensum Theologorum de idæis in mente Divina. Sed cujuscumque sit hæc sententia.

Dicimus: naturas communes non posse esse extra singularia, sed esse intra illa cum ipsis realitèr identificatas. Prob. 1. pars: implicat essentiam rei, aut partem essentiæ rei esse separatam, seù extra rem, cujus est essentia; siquidem nihil est magis intrinsecum rei, quàm propria ejus essentia; sed naturæ communes sunt de essentia singularium, ut animal de essentia hominis, homo de essentia Petri: ergo naturæ communes nequeunt esse

à

à singularibus separatæ. Confirmatur: quælibet res solitariè existens est singularis, & individua juxta illud Boætii: *Omne, quod est, ideo est, quia unum numero est*: ergo repugnat natura communis per se existens, & subsistens à singularibus separata.

Secunda pars conclusionis, scilicèt, quod tales naturæ realitèr identificentur cum singularibus, probatur. Quia naturæ essentialitèr, & quidditativè prædicantur de suis inferioribus, vel ut tota eorum essentia, vel ut pars essentiæ: ergo debent tales naturæ esse cum inferioribus identificatæ; nam veritas propositionum, præsertim essentialium fundatur in identitate prædicati cum subjecto.

Objic. contra primam partem: Objectum scientiæ debet esse universale, immobile, necessarium, seù ita firmum, ut nequeat alitèr se habere; sed nihil intra singularia existens est hujusmodi; nam omnia sunt particularia, mobilia, contingentia, & passim corrumpuntur: ergo nihil singularibus conjunctum est objectum proportionatum scientiæ: consequenterquè naturæ illæ, ut sint objecta proportionata scientiarum, debent statui separatæ, universales, immobiles, necessariæ, &c. quę Plato volebat.

Resp. conces. maj. neg. min. Nam ex dictis quæst. præced. naturæ, quæ sunt intra singularia, sunt à parte rei universales, & aliunde sunt incorruptibiles, immobiles, & æternæ, non phisicè, & quo ad existentiam, sed metaphisicè, & quo ad connexionem subjectorum cum prædicatis; licèt non simplicitèr, tamen secundum quid, quatenus habitudo inter extrema nunquam mutari potest in falsam; & in nullo instanti æternitatis potest subjectum sinè prædicato existere. Quod quidem sufficit, ut sint objecta proportionata scientiarum.

Objic. contra secundam partem: Implicat non distingui realitèr illa, quorum unum potest ab alio separari; nam separabilitas est signum evidens distinctionis realis; sed humanitas Petri v. gr. potuit esse sinè Petreitate; nam poterat contrahi per Pauleitatem; immò se-

cun-

cundum se adhuc retinet illam indifferentiam, & potentiam, ob quam in sensu diviso potest ab alia singularitate determinari; & in hoc stat tota communitas negativa naturæ; ex S. D. in 2. dist. 3. quæst. 1. ergo.

Resp. dist. maj. Quorum unum potest ab alio separari post ejus existentiam, & productionem, conc. maj. si solùm potest separari ante ejus productionem, seù ut stat sub indifferentia passiva ad produci, & non produci, neg. maj. & dist. pariter min. potuit ante ejus productionem, & potentia objectiva, conc. min. post ejus productionem, seù potentia subjectiva, neg. min. & conseq. Itaque natura Petri antequam à Deo determinaretur ad Petrum, & non ad Paulum, poterat non esse in Petro; sed hoc est potentia purè objectiva, seù antecedente statum futuritionis, vel existentiæ, non verò potentia subjectiva, seù phisica, quæ solùm reperitur in statu futuritionis, seù existentiæ. Et hæc sola est distinctionis signum, non verò illa: igitur &c.

Contra: sed natura Petri adhuc in statu futuritionis, & existentiæ est separabilis à Petro: ergo. Probat. min. subs. Natura Petri etiam in statu existentiæ est secundum se indifferens ad esse in Paulo, Francisco, &c.: ergo secundum se est separabilis à Petro. Resp. neg. min, ad prob. neg. conseq. Nam ex quo natura sit indifferens, non infertur, quod sit separabilis. Separabilitas versatur inter extrema phisica, non verò inter extrema metaphisica: qualis est natura respectu singularitatis, à qua solùm penes conceptum est separabilis.

QUÆSTIO TERTIA.

Utrùm naturæ habeant communitatem per inexistentiam, an verò per solam indifferentiam?

Constat ex titulo communitatem esse duplicem, per inexistentiam, scilicèt, & per indifferentiam. Illa est, ratione cujus natura unica entitativè indivissa potest esse, vel est actu in omnibus inferioribus simul. Qualiter

na-

natura Divina se habet respectu trium Personarum, quæ prorsus indivisa est in Patre, Filio, & Spiritu-Sancto. Ista verò est, quàm habet natura ad essendum in inferioribus, non simùl, sed seorsim, in uno scilicèt, vel in altero. Et est duplex; positiva nempè, ratione cujus natura in statu abstractionis est denudata ab omni singularitate, & sine ullo impedimento alicujus contractionis, proximèque potens, & omninò indifferens ad omnes singularitates seorsim sumptas; atque etiam negativa, quam habet natura, etiam quando est à parte rei per differentiam contracta, quia in tali statu adhuc ex se, & ex suis principiis intrinsecis non magis petit illam differentiam, quam aliam; & ita posset esse de se cum alia, sicut cum ista; & vocatur negativa, non quia in negativo consistit, sed quia natura in tali statu non contrariatur positivè determinationi, cum sit de facto determinata. Quibus ita suppositis; quærimus an naturę habeant communitatem per inexistentiam, vel per indifferentiam, & an per indifferentiam positivam, an verò per negativam. Et

Dicimus naturam communem non esse talem per inexistentiam, sed per solam indifferentiam, non positivè, sed negativè. Est ferè communis in utraque Scola contra aliquos Scotistas. Contra quos stat Scotus plurimis in locis, sed præcipuè in 2. dist. 3. quæst. 1. ℣. *Sed contra*, n. 9. ubi ait: *Ad secundam instantiam de Damasceno dico, quod eo modo, quo in Divinis commune est unum reale; eodem modo commune in creatis non est unum reale:: hoc enim ponendo esset ponere, quod aliqua natura creata non divisa prædicaretur de multis individuis prædicatione dicente; hoc est hoc, sicut dicitur: Pater est Deus, & Filius est idem Deus; tamen in creaturis est aliquid commune unum unitate reali minori unitate numerali; & illud quidem commune non est ita commune, quod sit prædicabile de multis; licet sit ita commune, quod non repugnet sibi esse in alio, quam in eo, in quo est.* Ex quibus verbis præcipuè ultimis apparet manifestè, Subt. D. solùm communitatem negativam agnoscere à parte rei, ut patet: erg.

Prob.

Prob. ratione: Si eadem entitativè indistincta natura esset in Petro, Paulo, Joanne, &c. daretur in creatis aliud Trinitatis mysterium; hoc est absurdum: ergo natura humana v. gr. non est una in omnibus individuis communis per inexistentiam. Prob. sequel. Quia inefabile Trinitatis mysterium consistit in hoc, quod eadem indistincta, & indivisa natura Divina sit simùl in tribus Divinis personis; sed si natura humana esset communis per inexistentiam, tunc eadem, & indivisa natura esset in pluribus singularibus, & suppositis: ergo daretur aliud mysterium Trinitatis.

Respondent contrarii neg. sequel. quia natura creata nec est una numericè indivisa in omnibus individuis, sicut natura Divina est una numericè in tribus personis; nec aliundè natura creata salvatur adequatè in quolibet individuo, sicut natura Divina in qualibet persona, seu supposito. Ex quo provenit, quod, cum natura humana multiplicetur numero, constituit plures homines numero distinctos; in Divinis autem non sunt plures Dii, quia Deitas numericè non multiplicatur.

Sed contra; multiplicatio, & divisio numeralis, vel cadit solùm supra hæcceitates contrahentes; vel etiam ratione illarum supra ipsam naturam contractam? Si primum: ergo adhuc post contractionem natura manet unica in omnibus individuis, sicut natura Divina in tribus personis. Si secundum: ergo non solùm datur hæc, & illa individuatio inter se numericè divisæ; sed hæc, & illa, & illa natura, & non unica per inexistentiam, & consequentèr, vel habetur intentum, quod natura sit communis tantùm negativè, vel sequitur absurdum de alio mysterio Trinitatis.

Prob. denique conclusio: si eadem per inexistentiam natura esset in omnibus individuis, tunc eadem natura esset simùl beata, & misera, in cœlo, & in inferno; idem intellectus doctus, & ignorans; hoc implicat: ergo. Prob. sequel. Nam humanitas Christi est beata, humanitas Judæ damnata, intellectus Salomonis est sapiens, intellectus Nabal Carmelli stultus: ergo si eadem est omninò

na-

natura, erit simùl beata, & damnata; sapiens, & stulta.

Objic. 1.° Omnia individua naturæ humanæ habent unam omninò indivisam naturam: ergo & habent unam naturam per inexistentiam communem. Probat. antec. Omnia individua naturæ humanæ habent unicam objectivè deffinitionem; sed deffinitio objectiva est ipsa natura explicitè sumpta: ergo. Resp. dist. antec. Unam omninò indivisam naturam formalitèr, & essentialitèr conc. ant. indivisam realitèr, & entitativè neg. ant. Et eisdem terminis dist. maj. probationis: unicam deffinitionem formalitèr, & essentialitèr, conc. maj. unicam entitativè, & realitèr, neg. maj. Siquidem natura humana est unica, & indivisa essentialitèr, & formalitèr in omnibus hominibus, sed est multiplex, & divisa entitativè, & numericè. Proindequè sicut essentia Petri distinguitur numericè ab essentia Pauli, ita etiam deffinitio objectiva Petri eodem modo differt à deffinitione objectiva Pauli: igitur &c.

Objic. 2.° Natura Petri, & Pauli, ut præcedunt singularitates, non distinguuntur realitèr: ergo sunt una, & eadem realitèr natura, seù communis per inexistentiam. Conseq. patet, & antec. prob. Nam si tales naturæ distinguerentur realitèr, nulla esset necessitas superaddendi singularitates, quia sufficientèr per illas naturas distinguerentur individua. Resp. conc. antec. neg. conseq. Illæ namque naturæ, ut præcedunt singularitates, nec sunt distinctæ realitèr positivè, nec sunt realitèr idem positivè, sed sunt non idem realitèr; quia licèt omnis distinctio sit non identitas, non tamen è contra; quia non identitas latiùs patet distinctione, cum etiam conveniat non enti, & aliis, quibus non potest convenire distinctio; ideoque tales naturæ licèt non sint idem inter se realitèr, non tamen dici possunt sub tali præcissione realitèr distinctæ, quia distinctio realis solùm attenditur penes entitates, ut sunt capaces existentiæ. Ex quo sequitur, distinctionem non convenire naturis, nisi ut includunt singularitates, quia entitas nisi sit singularis, non est capax distinctionis.

QUÆS-

QUÆSTIO QUARTA.

An communitas per indifferentiam conveniat naturæ à parte rei, vel solùm per opus intellectus?

Advertendum est 1.° naturam per se primo, seù in signo puro suæ quidditatis non dicere, nec explicare communitatem, nec particularitatem; ut enim constat ex illo Avicenæ proloquio: *Equinitas tantùm est equinitas*; id est, quælibet natura in suo conceptu primario præcissè dicit prædicata essentialia sui constitutiva. Proindeque in tali signo nec est communis, nec individua, nec universalis, sed tamen ad hæc omnia diversimodè comparatur; scilicèt, ad communitatem comparatur tanquam essentia ad passiones, quæ necessario fluunt ab ipsa; ad singularitatem verò comparatur tanquam superius ad ultimatè inferius, cum quo identificatur; cum indifferentia tamen de se ad hoc, & illud; ad universalitatem denique comparatur tamquam subjectum ad accidens rationis, quod potest illi provenire ab intellectu.

Advertendum est 2.° quæstionem non procedere de natura singularizata reduplicativè ut singularizata; nam sic explicat singularitatem ipsam, quæ nullomodò potest esse ratio communitatis; sed loquimur de natura contracta specificativè accepta, seù secundum se considerata. Et inquirimus, an in tali statu retineat communitatem indifferentiæ, quam habebat in statu essentiæ? An verò illam deperdat per contractionem, ita ut à solo intellectu possit illam habere? Circa quam sit

Conclusio: naturæ prædicamentales à parte rei, seù in statu contractionis servant, & retinent communitatem indifferentię, negativam tamen in sensu explicato quęst. præced. Ita Doct. Subt. in 2. dist. 3. quæst. 1. §. *ad quæstionem*, quem sequuntur omnes discipuli contra omnes ferè Thomistas, & Suaristas. Et prima ratio probativa deducitur ex ipso ibi num. 7. & formatur sic: intellectus noster sinè ulla falsitate concipit naturam humanam, ut ex se communem omnibus individuis; sed hoc impli-

ca-

caret, si natura humana à parte rei esset formalitèr, & ex se singularis, seù hæc: ergo à parte rei natura humana non est formalitèr hæc, & singularis, sed communis, & metaphisicè universalis. Maj. patet; nullus enim dixit, cognitionem attingentem naturam humanam, ut communem esse erroneam, aut attingere rem alitèr, ac est in se. Min. verò prob. si natura humana de se est hæc, & singularis cum intelligitur ut communis, intelligeretur cum prædicato sibi opposito, & sub ratione sibi repugnanti: ergo si de se est hæc, & singularis, cognitio illam ut communem attingens, esset erronea, & falsa.

Confirmatur: vel natura creata à parte rei est de se hæc, & singularis, vel non? Si hoc secundum dicas: ergo est communis, quod est intentum. Si primum dicatur: ergo in hoc nullum est discrimen inter naturam creatam, & Divinam, quod est absurdum. Prob. conseq. Ideo natura Divina est implurificabilis, seù pluribus numero distinctis incommunicabilis, quia de se à parte rei est singularis, & hæc; sed per vos etiam natura creata à parte rei est singularis, & hæc: ergo etiam natura creata, sicut Divina est implurificabilis, seù incommunicabilis pluribus numero distinctis. Urgetur: quod natura Divina non sit multiplicabilis numero, pendet ex aliqua intrinseca proprietate ipsius Divinæ naturæ; vel ergo natura creata à parte rei habet consimilem proprietatem, vel non? Si primum; natura creata est omninò similis naturæ Divinæ, & consequenter implurificabilis, sicut illa. Si secundum: ergo à parte rei natura non habet proprietatem intrinsecam, ratione cujus sit immultiplicabilis: ergo de se, & quo ad sua intrinseca non est singularis, sed negativè communis.

Respondent Thomistæ, naturam Divinam in suo conceptu includere singularitatem, quia non distinguitur ab ipsa adhuc virtualitèr; secus verò naturam creatam, quæ, quia virtualitèr à singularitate distinguitur, non includit ipsam in suo conceptu formali; & ideo potest saltim inadequatè concipi natura creata, non con-

cepta singularitate. Sed contra: illa distinctio virtualis (si tamen datur ibi) sufficit, ut illa indivisibilis entitas à parte rei habeat unitatem numeralem, & simùl formalem minorem illa, ut omnes ferè Thomistæ concedunt: ergo eadem quoque sufficiet, ut à parte rei natura quatenùs singularis sit incommunicabilis, & communicabilis, seù communis, quatenùs natura. Nec ulla disparitas inter utrumque videtur excogitabilis; natura in statu reali existentiæ servat sua prædicata primi, & secundi modi, quia existentia non destruit essentiam rei; sed communitas, & unitas sunt passiones naturæ respectivè: ergo nulla ratio est, cur à parte rei servet passionem, quæ est unitas, & non passionem, quæ est communitas.

Prob. denique: Natura humana ex se non magis postulat hanc, quam illam singularitatem: ergo à parte rei est communis negativè. Conseq. patet ex dictis, & ant. prob. Si natura humana ex se postularet Petreitatem, ubicumque esset natura humana, illam postularet, & haberet, quia quod convenit alicui ex se, semper, & ubique ei convenit, nec potest ab illo separari; sed consequens est absurdum, quia natura in Paulo non habet, nec postulat Petreitatem: ergo ex se non magis postulat hanc singularitatem, quam illam; subindeque est indifferens ad omnes seorsim.

Objic. 1.° Nullum particulare potest esse commune, quia omne particulare dicit esse proprium, commune verò esse non proprium; sed omne existens à parte rei est particulare: ergo nequit esse commune. Confirmatur 1.° ut aliquis ager communis non sit ampliùs talis, sufficit, quod sit proprius Petri; sed natura Petri fit illi propria per contractionem: ergo ampliùs non remanet communis. Confirmatur 2.° omne, quod prædicatur de superiori, prædicatur etiam de inferiori; nam si de homine dicitur, quod sit risibilis, etiam id debet dici de Petro, juxta illam regulam ante prædicamentalem: *Cum quidpiam de quopiam prædicatur, quidquid dicitur de prædicato, dicitur de subjecto*; sed de Petro v. gr. non prædi-

dicatur, quod sit communis: ergo nec de illius natura, vel si prædicatur de natura, etiam debet prædicari de Petro, quod est falsum.

Resp. ad argum. dist. maj. Nullum particulare potest esse commune ea ratione, qua est particulare, conc. maj, sub alia ratione, neg. maj. & dist. min. Omne existens est particulare per se, vel per accidens, conc. min. per se præcissè neg. min. Natura enim ex se, & ex suis principiis intrinsecis communis est; identicè verò, & ratione singularitatis, cui adjungitur, est singularis; ad hoc autem ut aliquid in rerum natura existat, sufficit, quod sit singulare, vel ut *quo*, ut *Petreitas*, vel ut *quod*, ut *Petrus*; vel *identicè*, & *denominativè*, ut quælibet natura, quæ in singularibus est. Ad primam confirmat. resp. agrum de se esse quoddam ens particulare, philosophicè loquendo; politicè tamen, & quo ad jura gentium potest dici communis, quando ab omnibus possidetur; proprius verò, quando ab uno solo habetur; cæterùm licèt reduplicativè, & ut possessus non sit communis, specificativè, & de se est negativè communis, quia seorsim potest ab hoc, vel illo possideri; quotidiè enim transfertur dominium unius rei ab uno in alium. Undè exemplum potiùs pro nobis est.

Replicabis: quando unum oppositorum convenit alicui per se, & essentialitèr, aliud oppositum nec per se, nec per accidens potest illi convenire; homini enim adhuc per accidens nequit convenire irrationalitas, quia rationalitas convenit illi essentialitèr, & per se: ergo si natura est communis de se, singularitas, quæ opponitur communitati, non potest illi competere adhuc per accidens; vel è contra: si per accidens competit illi singularitas, non poterit illi competere esse per se communem.

Resp. dist. antec. aliud oppositum per se, & essentialitèr non potest illi convenirè; conc. antec. si non est oppositum per se, & essentialitèr, neg. antec. & conseq. Natura enim cum singularizatur, non fit singularis essentialitèr, & ex se, sed extrinsecè, & per accidens; &

hoc

hoc modo communitas, & singularitas non opponuntur; opponerentur autem, si natura, quæ est intrinsecè, & essentialitèr communis, redderetur per contractionem intrinsecè, & essentialitèr singularis. Ad paritatem dicimus, hominem adhuc per accidens non posse esse irrationalem, quia irrationalitas contrariè sumpta constituit speciem substantialem oppositam rationalitati; & duæ species substantiales adhuc per accidens non possunt adunari in unum; singulare autem cum natura constituit unicam essentiam, & individuum; & sic in unum coire possunt.

Ad alteram confirm. dist. maj. Omne, quod prædicatur de superiori, ut supponente personalitèr, prædicatur de inferiori, conc. maj. ut supponente simplicitèr, neg. maj. Et conces. min. neg. conseq. Atque in hoc sensu intelligitur illa regula ante prædicamentalis. Vide, quæ diximus libro 1. Summ. cap. 4. §. 2. de suppositione simplici, & personali.

Objic. 2.° Communitas est aptitudo, & potentia ad essendum in multis; sed natura Petri ita est ad illum determinata, ut non habeat aptitudinem ad essendum in alio: ergo. Prob. min. Non datur potentia, & aptitudo ad id, quod repugnat; sed repugnat, quod id, quod est in Petro realitèr, & essentialitèr, possit esse in alio, sivè conjunctim, sivè disjunctim: ergo. Resp. conc. maj. dist. min. non habet potentiam, & aptitudinem proximam ad essendum in alio, conc. min. remotam, neg. min. Ad cujus probat. dist. maj. non datur potentia, & aptitudo ad id, quod repugnat ab intrinseco, conc. maj. ad id, quod repugnat ab extrinseco, neg. maj. Et dist. min. repugnat, ut sit in alio ab extrinseco, conc. min. ab intrinseco, neg. min. Tota enim repugnantia, cur natura Petri nequeat esse in aliis, non oritur ab intrinseco naturæ, sed ab extrinseco differentiæ individualis.

QUÆS-

QUÆSTIO QUINTA.

Quam unitatem habeant naturæ, quæ sunt communes à parte rei.

In triplici statu potest natura considerari, scilicèt, in statu essentiæ, in quo dicit solùm prædicata essentialia primi, & secundi modi; in statu existentiæ, quando, scilicèt, est contracta, & identicè singularis, & denique in statu existentiæ objectivæ, in quo ipsi conveniunt prædicata, quæ illi applicantur per præcisionem, vel comparationem intellectus. Primus status præcedit ordine naturæ secundum, quia natura priùs intelligitur in se, quam singularizata; status existentiæ objectivæ est ultimus, quia à singularibus incipit intellectus suas præcisiones.

Rursus quo ad præsens duplex est unitas, formalis, scilicèt, & numerica, seù materialis. Formalis est, ratione cujus aliquid est indivisum in se per principia formalia, seù per differentias essentiales. Et hæc est duplex, specifica, & generica. Illa est, quando aliquid est indivisum in se per principia formalia specifica, ut ratio hominis, quæ est una specificè omnibus individuis humanis, quia solùm dividitur per principia materialia, eù hæcceitates, non verò per principia formalia. Ista, seù generica est, quando aliquid est indivisum in se per principia formalia generica, ut ratio animalis, quæ, licèt dividatur per principia formalia specifica, per rationale, scilicèt, & irrationale, indivisa est in omnibus animalibus per principia generica, quia in ratione animalis sunt unum genere. Unitas verò numeralis est indivisio adhuc per principia materialia, seù hæcceitates, ut Petrus. Ex quo patet, unitatem genericam esse minorem specifica; specificam minorem numerica, & numericam majorem omnibus. Quæstio ergo est, utrùm natura habeat unitatem formalem minorem unitate numerali, & qualem habeat in quolibet statu? In qua

Dicimus 1.° naturam à parte rei in statu essentiæ ha-

habere unitatem formalem minorem unitate numerali. Ita Subt. Doct. quem sequuntur discipuli, & omnes ferè Thomistæ; & prob. quod à parte rei est ens reale, à parte rei habet realem unitatem in eo gradu, in quo est ens reale; sed naturæ, de quibus loquimur, sunt verè, & realitèr entia: ergo verè, & realitèr habent unitatem sibi proportionatam, scilicèt, vel formalem generícam, vel specificam juxta qualitatem naturæ. Modò sic: sed unitas entis non salvatur merè negativè, aut præcissè fundamentalitèr, sed formalitèr, & positivè, ut patet: ergo unitas entis generici, vel specifici non est unitas merè negativè, aut fundamentalitèr, sed positivè, & formalitèr.

Prob. 2.° Etiam ratione Subt. Doct. quælibet natura communis est deffinibilis quidditativè, & essentialitèr; sed nihil potest verè, & propriè deffiniri, nisi sit per se unum, ut sepiùs docet Arist.: ergo natura verè, formalitèr, & positivè est una unitate sibi proportionata, vel generica, vel specifica.

Prob. 3.° Conclusio hac ratione Scotica ineluctabili, & Subt. Doct. digna: extrema oppositionis realis debent esse realia; sed contrarietas est oppositio realis, quia unum contrarium à parte rei destruit, & corrumpit aliud: ergo extrema contraria formalitèr ut talia debent esse realia. Modò sic: ergo quodlibet extremum formalitèr, ut extremum est unum aliqua unitate reali, ubi enim dantur duo realia, in illa linea debet dari unum, & unum reale; sed unitas cujuslibet extremi contrariè oppositi non est numeralis: ergo est formalis. Prob. subsump. Calor non est contrarius frigori in ratione individuali, quia tunc essent tot contrarietates primæ, quot individua contraria: ergo est contrarius frigori in ratione formali caloris; & consequentèr sub hac ratione habent unitates reales idoneas ad contrarietatem realem exercendam.

Prob. 4.° Identitas, similitudo, & æqualitas, quę sunt relationes primi modi, cum sint æquiparantiæ, fundantur super unum, seù super unitatem; sed tales relationes

sunt

sunt reales: ergo unitas, quæ est ratio proxima fundandi illas, debet esse realis; relatio enim realis petit fundamentum reale, & rationem proximam fundandi realem; sed hæc unitas non potest esse numeralis, quia nihil unum, & idem est sibi ipsi simile: ergo erit unitas formalis minor numerali.

Objic. 1.° cum Palanco: Natura universalis à parte rei est divisa per principia formalia: ergo à parte rei non est una formalitèr. Prob. antec. Prædicata formalia cujuscumque naturæ sunt à parte rei distincta, & divisa, cum identificentur cum pluribus individuis inter se distinctis, & divisis; sed quæ à parte rei identificantur cum pluribus individuis, necessariò distinguuntur à parte rei: ergo à parte rei quælibet natura universalis est distincta, & divisa per principia formalia.

Resp. hoc argum. Procedere ex mera æquivocasione, & non intelligentia discriminis inter divisionem entitativam, & formalem. Itaque resp. in forma, neg. antec. Ad prob. dist. maj. Sunt distincta, & divisa, entitativè, & materialitèr, conc. maj. sunt distincta, & divisa formalitèr, & essentialitèr, neg. maj. Certè essentia, & natura cujuslibet hominis est à parte rei distincta, & divisa ab essentia, & natura aliorum; at non est distincta, & divisa essentialitèr, vel formalitèr, seù per principia formalia; sed tantùm entitativè, numericè, seù per principia materialia, sivè hæcceitates. Proindequè Petrus, & Paulus sunt distincti homines, sed non distincti formalitèr in ratione hominis.

Objic. 2.° impugnando quartam rationem probativ. Dabilis est similitudo, & realis convenientia duorum ad invicem, quæ non fundatur super aliquam unitatem realem à parte rei: ergo ex quo duo singularia sint realitèr similia, seù habeant convenientiam realem in natura, non sequitur talem naturam habere unitatem formalem à parte rei. Antecedens prob. aliquibus exemplis; primo: creatura convenit cum Deo in ratione entis realis; sed tamen nulla unitas realis est inter Deum, & creaturam, quia se totis distinguuntur, & sunt primò diversa

ex Subt. Doct. ergo. Secundo: tres Divinæ personæ sunt similes in ratione personæ; nam omnes sunt intellectualis naturę incommunicabilitèr existentes; sed in ratione personarum non habent unitatem realem, quia se totis in sua simplicissima entitate distinguuntur: ergo. Tertio: duæ singularitates sunt similes; utraque enim extrinsecè determinat naturam communem, eamque enim reddit incommunicabilem; sed nulla est inter illas unitas realis, cum sint formalitates omninò simplices; aliàs procederetur in infinitum: ergo ex reali similitudine, & convenientia non benè infertur realis unitas naturarum.

Resp. ad argum. neg. ant. & omnes illius probationes. Nam neque inter Deum, & creaturam in ratione essendi, neque inter Divinas personas in ratione formali personarum, neque inter duas hæcceitates reperitur realis similitudo, aut convenientia actualis, sed solùm fundamentalis, seù virtualis, quia, scilicèt, intellectus inadæquatè concipiens illas simplicissimas entitates, abstrahit aliquem conceptum, in quo confusè repræsentatur. Unde à parte rei, & actualitèr nulla est similitudo, sicut etiam nulla unitas; omnia enim illa, ut argum. supponit, sunt primò diversa, ac proindè in nullo convenientia. At verò homo, & leo, Petrus, & Paulus nec sunt entitates irresolubiles in plures conceptus, nec primò diversa, ut patet, consequenterquè eorum naturæ habent unitatem realem positivam sufficientem ad fundandam realem relationem identitatis, similitudinis, & æqualitatis.

Dicimus 2.° Natura adhuc in statu existentiæ servat illam omninò unitatem, quam habebat in statu essentię. Est communis apud Subtiles, & ferè apud Thomistas. Prob. primò: Prædicata primi, & secundi modi, quæ conveniunt naturæ in statu essentiæ, conveniunt quoque ipsi in statu existentiæ; sed unitas formalis convenit naturæ in statu essentiæ, saltim in secundo modo, cum sit passio ejus: ergo debet ei etiam convenire in statu existentiæ. Min. probata manet conclus. præced. Maj. de se constat; nam quælibet essentia in quocumque statu

est

est invariabilis; proindequè retinet prædicata quidditativa, & passiones, quæ illam consequuntur; nam variatio passionum arguit saltim à posteriori variationem essentiæ.

Objicies: unum est indivisum in se; sed natura humana v. gr. non est à parte rei indivisa in se, sed multiplex, & divisa juxta numerum individuorum: ergo natura humana à parte rei non est una in se. Confirmatur: eadem natura non potest esse realitèr divisa, & realitèr indivisa à parte rei, sicut eadem res non potest esse realitèr separata, & realitèr inseparata adhuc sub diverso respectu: ergo si naturæ à parte rei sunt divisæ, implicat, quod à parte rei habeant aliquam indivisionem.

Resp. conc. maj. dist. min. Non est à parte rei indivisa in se physicè, & entitativè, conc. min. formalitèr, & metaphysicè, neg. min. & conseq. in sensu distinctionis. Ad confirmat. dist. ant. non potest esse realitèr divisa, & realitèr indivisa eodem modo, & in eadem linea, conc. antec. in diverso genere, & linea, neg. antec. & eodem modo dist. conseq. Ad probat. respond. divisionem in præsenti non coincidere cum separatione, nec unitatem cum inseparatione; separatio enim versatur circa res quantas, vel unitas; & non causat multiplicitatem, aut distinctionem, licèt sit signum illius; partes enim tam compositi substantialis, quam continui eodem modo distinguuntur, sivè sint unitæ, sivè separatæ. Hic autem loquimur de divisione æquivalenti distinctioni, & de unitate in distinctioni æquivalenti; atque ideò non tenet paritas, quia separatio semper est de linea physica, non verò unitas & divisio.

Dicimus 3.° Unitas formalis naturæ multiplicatur ad multiplicitatem individuorum, ita ut in quolibet individuo detur unitas formalis realitèr, & entitativè distincta ab unitate alteriùs. Ita Subt. Doct. in 2. dist. 3. q. 6. §. *ad quæstionem*, ℣. *Respondeo*, n. 10. ubi ait: *Concedo ergo, quod unitas realis non est alicujus entitatis existentis in duobus individuis, sed in uno.* Et in 3. dist. 8. quæst.

unica in fine ait, quod in natura humana in Christo est unitas aliqua realis minor unitate numerali; & similitèr unitas realis in Maria. Doctorem sequuntur ferè omnes discipuli, & plures Thomistæ, & prob. ex etiam dictis:

Nulla natura creata est communis per inexistentiam, seù una indivisa entitativè in omnibus: ergo nec unitas talis naturæ est una in omnibus physicè indivisa, & immultiplicata. Antec. constat ex dictis. Conseq. probat. unitas formalis est passio consequens naturam; sed implicat naturam entitativè dividi, & passionem manere physicè indivisam, aliàs non dicerentur ad convertentiam: ergo. Confirmatur: omnia prædicata cujuslibet individui trahuntur ad esse, & ponuntur sub existentia ratione productionis ejusdem; sed productio tendit circa singularia, saltim identicè: ergo unitas formalis Petri, v. gr. est singularis identicè ratione productionis ipsius; sed hoc ipso non est singularis identicè ratione hęcceitatis Anti-Christi nondum producti: ergo non ponitur in esse eadem natura, & unitas in Petro, & in Anti-Christo; aliàs eadem unitas esset producta, & improducta, & etiam bis producta; consequenterquè non est unica unitas formalis, sed plures.

Objicies: Si in quolibet individuo datur unitas formalis distincta ab unitate formali alteriùs: ergo tot sunt species humanæ, quot individua; nam quælibet unitas formalis est minor unitate numerali; & consequenter est unitas specifica: ergo sunt plures unitates specificæ, & consequentèr plures species. Resp. neg. conseq. Quia unitates omnes in individuis repertæ non dividuntur per principia formalia, quod requiritur ad diversitatem specificam; sed omnes sunt ejusdem rationis essentialitèr, & metaphysicè, solùmque dividuntur per differentias materialitèr, ut sæpiùs dictum est: igitur &c.

DISPUTATIO TERTIA.

De universali in actu, seù Logico.

QUÆSTIO PRIMA.

In quo formalitèr consistat universale Logicum?

Ut certa ab incertis separemus, notandum est primò, universale in actu, seù Logicum non dari à parte rei. Cujus oppositum non benè Thomistæ aliqui Subt. Doct. attribuunt, ut evidentèr convincit noster Villa-Cast. 2. prædictum universale consistere formalitèr in relatione rationis naturæ ad inferiora. Inquirimus autem, qualis determinata relatio sit illius constitutiva? Et ratio dubitandi oritur ex triplici deffinitione universalis ab Arist. tradita.

Nam 7. Metaph. text. 45. ait: *Universale est, quod pluribus aptum est inesse.* Ubi videtur assignare pro universalis constitutivo relationem aptitudinis ad essendum in multis; at 1.° de Interpret. cap. 5. inquit: *Dico autem, universale, quod de pluribus prædicari natum est.* Ubi è contrà videtur illud constituere in relatione aptitudinis ad prædicandum de multis. Et denique 1.° Post. 25. ait: *Universale est unum in multis, & de multis.* Ubi per actualem inexistentiam, & prædicationem illud declarat. Hinc discrepant AA. circa formale constitutivum universalis logici. Quidam ajunt, constitui formalitèr per actualem inexistentiam; alii per aptitudinalem; quidam per aptitudinalem prædicationem; alii per actualem. Nos verò

Dicimus: universale logicum formalitèr, & unicè constitui in esse talis per relationem inexistentiæ aptitudinalis in pluribus, seù per potentiam proximam ad essendum in multis conjunctim; at verò prædicabilitatem aptitudinalem, seù potentiam ad prædicari de pluribus passionem esse ad ejus essentiam consequutam. Ita Subt. Doct. in 2. dist. 3. quæst. 1. Et probat. ex ipso ibi. Universale logicum est unum in multis, & de multis: er-

ergo universale logicum dicit utrumque, scilicèt, *esse in pluribus*, & *dici de pluribus*; sed non potest utrumque primariò, & formalitèr dicere: ergo alterum est ejus formale constitutivum, atque alterum ejus proprietas, & passio. Modo sic; sed tale formale constitutivum debet esse *esse in*, & non *dici de*: ergo formalitèr constituitur per *esse in*, & *dici de* erit passio. Consequentia est legitima; prob. min. subsumpta.

Id primò, & formalitèr constituit aliquam rem, quod primò intelligur in tali re; sed quod primò intelligitur in universali logico est *esse in multis*: ergo per esse in multis formalitèr, & primariò constituitur. Maj. est certa, & min. prob. *esse in* est causa, & ratio à priori *dici de*; ideo enim natura potest prædicari de aliquo, quia est in illo, non è contrà: ergo priùs intelligitur relatio in essendi in universali logico, quam prædicabilitas; ac per consequens illa erit essentia, passio verò ista.

Objicies: universale logicum non constituitur per id, per quod constituitur universale metaphysicum; sed hoc constituitur per *esse in*: ergo illud debet constitui per *dici de*. Prob. min. *esse in* per se competit rebus, seù primis intentionibus: ergo universale metaphysicum constituitur per *esse in*. Patet etiam conseq. quia *dici de* convenit per se secundis intentionibus: ergo universale logicum constituitur per *dici de*. Confirmatur: nam Porphyrius deffinivit universalia per prædicari de multis, non autem per esse in illis: ergo.

Resp. ad argum. conces. maj. dist. min. Universale metaphysicum constituitur per *esse in* reale, conc. min. per *esse in* rationis, neg. min. Ad probat. dist. ant. *esse in* reale per se competit rebus, conc. ant. *esse in* absolutè, neg. antec. Ad probat. conseq. dist. antec. *dici de* rationis convenit secundis intentionibus conc. ant. *dici de* reale, neg. antec. & conseq. Itaque *esse in* est duplex, vel *reale*, quod convenit naturis à parte rei ratione communitatis indifferentiæ, quam habent, & ad hoc sequitur *dici de* reale; nam quia per indifferentiam possunt

esse in pluribus disjunctim, possunt utique dici realitèr de multis divisim; vel *rationis*, quod habent naturæ, quando ab intellectu fiunt logicè universales, & ad hoc sequitur etiam *dici de* rationis. Ex quibus nil contra nos. Nec nos urgent deffinitiones Porphyrii, quia non omnes traduntur per *dici de*, nam proprium, & accidens deffiniuntur per *esse in*; & quæ traduntur per *dici de*, potiùs sunt descriptiones, quam deffinitiones.

DUBIUM INCIDENS.

An in actuali inexistentia, & prædicatione perseveret universalitas?

Negativam sententiam, quam aliqui tenent Suaristæ, attribuunt Scoto Joann. à Sanct. Thom. Bayo, & Palanc. sed immeritò; affirmativam autem tuentur communitèr Thomistæ, & noster Mast. hic. Cum quibus

Dicimus: universalitatem non destrui per actualem inexistentiam, & prædicationem. Prob. 1.° ex Subt. D. in 4. dist. 43. quæst. 2. §. *Aliter prob.* ℣. *Si quis*, n. 11. ubi ait: *Universale cognoscitur sub tanta indifferentia, sub quanta ipsum sic cognitum est simùl dicibile, est autem simùl dicibile de omnibus singularibus, in quibus salvatur*: ergo juxta Subt. Doct. universale salvari in singularibus potest, etiam post actualem communicationem. Prob. 2.° ratione: actus secundus non destruit aptitudinem, seù potentiam ad ipsum, sed potiùs perficit, & exercet; sed esse actu in pluribus est actus secundus potentiæ ad essendum in ipsis, & actu prædicari de pluribus est actus secundus prædicabilitatis, seù potentiæ ad prædicari de illis: ergo neuter actus destruit potentiam; consequenterquè in actuali inexistentia, & prædicatione salvatur illæssa universalitas. Confirmatur: juxta regulas logicales *ab actu ad potentiam tenet consequentia*; sed si aliquis actus destrueret potentiam, hæc regula non esset universaliter vera: ergo actus non destruit potentiam; proindequè inexistentia, & prædicatio actualis

non

non destruunt potentiam, in qua universale consistit.

Objicies: Hoc ipso, quod natura concipiatur actualitèr contracta, aut prædicata, desinit esse universalis: ergo. Prob. antec. Hoc ipso, quod natura concipiatur contracta, aut prædicata, deperdit unitatem, quam habebat in statu præcisionis objectivæ: ergo eo ipso, quod concipiatur contracta, aut prædicata, desinit esse universalis. Resp. neg. antec. Ad prob. dist. antec. deperdit unitatem negativam, seù carentiam contractionis, conc. antec. unitatem formalem positivam, qua est universalis, neg. antec. & conseq. Siquidem in universali logico ante contractionem duplex unitas considerari debet; & unitas formalis positiva per inexistentiam ficta ab intellectu; & unitas negativa, quæ stat in recessu, solitudine, & negatione actualis conjunctionis cum singularibus. Hanc utique deperdit per actualem inexistentiam, & prædicationem, non verò illam; ac proinde nec universalitatem, quæ fundatur in ipsa.

QUÆSTIO SECUNDA.

Per quam operationem intellectus fiat universrle logicum?

Nota, intellectum nostrum quo ad præsens circa naturam posse habere duplicem actum, alium absolutum, quo cognoscit naturam abstractam absolutè, & in se absque comparatione aliqua ad inferiora; alium verò collativum, seù comparativum, quo cognoscit naturam non in se, sed in ordine ad inferiora. Et hic est duplex; alter simplex, quo attingitur natura in ordine ad inferiora absque aliqua affirmatione; & hic pertinet ad simplicem apprehensionem, quæ etiam potest comparare. Alter verò compositus, quo intellectus comparat naturam ad inferiora ipsam de illis actualitèr prædicando. Quærimus ergò, per quem ex his actibus fiat universale logicum? Et

Dicimus 1.° Universale logicum non fit per illum ac-

actum absolutum, quo natura abstracta à singularibus, seù inferioribus concipitur sine ordine ad illa. Hæc est communissima in omni scola. Et prob. quia universale formalitèr constituitur per respectum ad inferiora; sed abstractio absoluta non attingit naturam cum respectu ad inferiora: ergo per abstractionem absolutam non fit universale.

Dicimus 2.° Universale logicum fit per actum comparativum naturæ ad inferiora, non quidem comparativum compositum, sed simplicem. Est etiam communis in utraque scola. Et prob. Universale logicum est unum aptum ad essendum in pluribus: ergo fit per actum, quo natura cognoscitur apta ad essendum in pluribus; sed talis actus est comparativus, quia per illum natura cognoscitur cum habitudine ad illa plura: ergo universale logicum fit per actum comparativum.

Quod autem talis actus comparativus debeat esse simplex, & non compositus, patet; nam per comparationem compositam constituuntur extrema in ratione prædicati, & subjecti; seù potiùs exercetur subjicibilitas, & prædicabilitas; sed exercitium supponit rem constitutam: ergo actus faciens prædicatum, supponit illud prædicabile; sed prædicabile, cum sit passio, supponit essentiam universalis ex dictis: ergo ante actualem prędicationem supponitur universale constitutum per apprehensionem simplicem comparantem. At hoc debet intelligi materialitèr, & derelictè, non verò omninò formalitèr, & completè; sic enim fit per aliam apprehensionem reflexam supra talem actum comparativum, vel suprà objecta ut passivè comparata, concipiendo illa extrema ut ad invicem relata relatione fundata in passiva comparatione. Vide quæst. de secundis intentionibus.

Objicies contra primam: Posita natura ab individuis abstracta per intellectum est sufficienter universalis: ergo. Probat. antec. Si natura sic abstracta, & separata existeret à parte rei, esset realitèr universalis: ergo posita sic abstracta per rationem, est universalis per intel-

tellectum. Resp. ad argum. dist. antec. Est sufficientèr universalis metaphysicè, conc. antec. logicè, neg. ant. & eisdem terminis dist. antec. probat. & neg. conseq. Natura ergò in statu puræ abstractionis non habet aliam communitatem, nisi illam, quam à parte rei habebat, nempè, per indifferentiam, quæ solùm sufficit ad universale metaphysicum, non verò ad universale logicum, quod, ut diximus, habet communitatem per inexistentiam præstitam sibi ab intellectu per actum comparativum simplicem, quo concipitur natura in ordine ad inferiora.

Objicies contra secundam: Implicat, aliquid constitui formalitèr in esse talis per respectum ad suum oppositum; sed inferiora, seù singularia sunt opposita universalitati: ergo nequit natura constitui universalis per respectum ad inferiora. Maj. prob. Respectus specificatur à termino; sed termini sunt singularia: ergo respectus non potest esse universalis. Resp. neg. maj. Pater enim constituitur talis per respectum ad filium, qui relativè opponitur ipsi. Et respectus solùm extrinsecè specificatur à termino, non verò intrinsecè, & formalitèr; aliàs paternitas, quæ est respectus ad filium, esset intrinsecè, & formalitèr filiatio, aut filia; quod est absurdum.

QUÆSTIO TERTIA.

Quotuplex sit universale?

Dicimus: Universalia, seù prædicabilia sunt tantùm quinque illa à Porphyrio assignata, scilicèt, genus, species, differentia, proprium, & accidens. Hanc omnes ferè recipiunt. Et prob. natura universalis, vel est in multis essentialitèr, vel accidentalitàr? Si essentialitèr, vel ut tota essentia, & sic est species. Vel tanquam pars essentiæ, & hoc duplicitèr, vel tanquam pars materialis, & contrahibilis, & sic est genus. Vel tanquam pars formalis, & contractiva, & sic est differentia, quæ est velut forma actuans, & determinans genus. Si natura uni-

universalis est in pluribus accidentalitèr ; vel dimanat metaphisicè ab essentia rei ; & sic est accidens proprium. Vel non dimanat metaphisicè ; & sic est accidens commune. Sed nullus aliùs modus essendi naturæ in inferioribus excogitabilis est : ergo hæc divisio est adæquata. Argumenta, quæ hic fieri solent, parvi omninò sunt momenti, ac proinde illa omittimus.

QUÆSTIO QUARTA.

An universale sit genus ad quinque universalia?

Pars affirmativa est sententia communis utriusque scolæ cum Ang. & Subt. Doct. Prob. ratione: genus est, quod de pluribus differentibus specie univocè, seù essentialitèr prædicatur ; sed quinque prædicabilia inter se specie differunt, & universale de illis essentialitèr, seù univocè prædicatur : ergo est genus ad illa. Major est certa. Minor quo ad primam partem probatur : intentiones prædicabilium non accidentalitèr, & numericè ad invicem distinguuntur, sed essentialitèr, & specificè, ut patet: ergo. Prob. secunda pars : quod includitur in deffinitione quidditativa alicujus, essentialitèr de illo prædicatur ; sed deffinitio universalis in communi includitur in deffinitione singulorum ; de singulis enim quinque prædicabilibus verificatur, quod sit unum aptum esse in multis, & dici de multis : ergò universale de quinque prædicabilibus univocè, seù essentialitèr prædicatur.

QUÆSTIO QUINTA.

An universalitas possit convenire naturæ à parte rei omninò immultiplicabili?

Aliis terminis quæstionem istam communiter exagitant Thomistæ; an, scilicèt, natura Angelica sit species prædicabilis? (sentiunt enim repugnare plures Angelos solo numero distinctos) Sed aptius à nobis proponitur;

est enim difficultas communis omnibus universalibus. In qua

Supponimus primò, universale per se loquendo non requirere plura inferiora actualitèr existentia: nam juxta omnes naturæ Solis, Lunæ, & Phœnicis verè sunt universales metaphisicè, quia possunt esse plures Soles, Lunæ, & Phœnices. 2.° Supponimus, non requiri ad universalitatem, quod natura sit phisicè, seù per potentiam naturalis agentis multiplicabilis; aliàs naturæ Solis, & Lunæ non essent universales; nam vi naturalis agentis numero multiplicari non possunt. His suppositis; difficultas est: an universale requirat plura inferiora saltim logicè possibilia? An verò sufficiat, quod natura objiciatur intellectui non particularizata, licèt omninò inferiora repugnent? Quam resolventes

Dicimus: Ut natura fiat logicè universalis, requiritur possibilitas saltim logica inferiorum; adeo ut repugnantibus inferioribus, nullum detur fundamentum ad efficiendum universale logicum. Est Subt. Doct. quem sequuntur discipuli, & quamplures Thomistæ contra alios. Et prob. universale logicum est unum aptum esse in multis; sed aptitudo ad essendum in multis nequit salvari sine eo, quod illa multa sint saltim logicè possibilia; ad impossibile enim non datur aptitudo, seù potentia, ut est commune axioma: ergo ut natura sit logicè universalis, requiritur possibilitas logica inferiorum.

Confirmatur 1.° Quia si repugnaret naturæ à parte rei multiplicari, nequiret per intellectum concipi, auferendo ab ea talem repugnantiam, & illi tribuendo aptitudinem oppositam; nequit enim intellectus tribuere ei, quod ei directè repugnat; aliàs natura Divina, cui repugnat multiplicari, posset concipi sinè tali repugnantia, & cum aptitudine opposita, fierique logicè universalis, quod non admittunt Thomistæ: ergo fundamentum universalitatis est non repugnantia naturæ, ut plurificetur.

Confirmatur 2.° Natura enim, cui repugnat plurificari, vel concipitur cum tali repugnantia ad esse in

plu-

pluribus, vel sine tali repugnantia, sed potiùs cum aptitudine ut sit in multis? Sed neutro modo potest concipi, ut fiat logicè universalis: ergo. Prob. min. quo ad primam partem: universale enim est unum aptum esse in multis: ergo simul cum repugnantia ad esse in pluribus nequit concipi universalitas. Quo ad secundam verò partem prob. implicat, quod natura in se repugnans ad pluralitatem, concipiatur non repugnans, & apta ad pluralitatem; sicut repugnat, quod concipiatur cum rationalitate illud, cui rationalitas repugnat; si enim asinum rationalem conciperem, non asinum, sed hominem conciperem: ergo si natura est in se repugnans ad pluralitatem, nequit concipi cum aptitudine ad plurificari; consequenterquè natura Michaelis v. gr. non potest concipi ut universalis; quia cum ei pluralitas repugnet, si concipitur ut plurificabilis, jam non ampliùs Michaelis natura, sed aliud quidpiam conciperetur.

Objic. 1.° Natura, cui repugnant plura inferiora, potest præscindi à sua singularitate; sed natura sic præcisa potest concipi ut logicè universalis: ergo. Probat. min. natura sic præcisa nullum habet impedimentum, ut comparetur ad plura; quia tale impedimentum est singularitas, & natura ut sic præcisa non est singularis: ergo ut sic præcisa potest concipi, ut logicè universalis. Resp. neg. maj. Natura enim, cui plura inferiora repugnant, ex se, essentialitèr, & non ratione identitatis est singularis; aliàs ex se, & essentialitèr esset pluribus communis, quod est sibi repugnans, ut supponitur. Sed adhuc admissâ maj. gratis, neg. min. & ejus probat. Quia talis præcisio (si dari possit) non esset superioris ab inferiori, sed æqualis ab æquali; proindequè nec metaphisicè, nec logicè universalis fieret.

Objic. 2.° Prædicatio naturæ Gabrielis de Gabriele est prædicatio superioris de inferiori: ergo natura Gabrielis est universalis. Prob. antec. hæc prædicatio non est identica, sed formalis: ergo est prædicatio superioris de inferiori. Resp. neg. antec. Ad prob. conc. antec. neg. conseq. Nam ut prædicatio sit formalis, sufficit,

quod

quod prædicatum sit forma subjecti, licèt non sit superiùs respectu illius, ut diximus in Summ. Natura itaque Gabrielis estò non sit superior, est tamen forma illius individui; nam etiam hæc prædicatio: *Deus est Omnipotens*, est formalis, & non est superioris de inferiori.

Objic. 3.° Ad relationem rationis sufficit pro termino aliquid rationis; sed universalitas est relatio rationis: ergo sufficiunt inferiora ficta per intellectum. Resp. ad argum. conc. maj. dist. min. Universalitas est relatio rationis cum fundamento in re, conc. min. sine fundamento in re, neg. min. & conseq. Nam ad universalitatem requiritur, quod & sit natura, & possint esse vera inferiora, quibus applicetur secunda intentio; cum enim prædicationes universalis logici sint veræ, requiritur, quod natura verè possit esse, & prædicari de illis; in inferioribus autem fictis non nisi fictè potest esse, aut prædicari natura; & sic esset universalis fictè, & abusivè, de quo non curat Logica.

QUÆSTIO SEXTA.

Quodnam sit deffinitum in deffinitione universalis?

Hæc difficultas est communis omnibus prædicabilibus, immò & omni concreto accidentali. De omnibus enim potest inquiri, quid importent in recto, quid verò in obliquo? In qua

Dicimus: In deffinitione universalis deffinitur secunda intentio in recto, natura verò de connotato, & in obliquo. Ita Subt. Doct. estque ferè communis in utraque scola. Et prob. generatim de omni concreto accidentali. Primò ex Philos. cap. de substantia post medium, ubi ait, album solam qualitatem significare: ergo concretum solam significat formam, licèt connotet naturam, seù subjectum habens illam. Secundò ratione: si concretum primò, & per se significaret subjectum, tunc unum album ut album distingueretur specie ab alio albo, & similitèr unum genus ut genus distingueretur

spe-

specie ab alio genere, &c. sed hoc est falsum: ergo. Prob. sequel. Tunc aliqua distinguuntur specie, quando id, quod principaliùs dicit unum, distinguitur specie ab alio, quod principaliùs dicit aliud; sed quod principaliùs dicit *album*, *homo* v. gr. distinguitur specie ab illo, quod principaliùs dicit *album*, *canis* v. gr. idem dic de naturis, quibus affigitur secunda intentio generis, &c.: ergo unum album distingueretur ab alio albo ut tali; & unum genus ab alio, si principalitèr, & in recto subjectum deffiniretur: ergo principalitèr, & in recto deffinitur forma accidentalis cum connotatione ad subjectum.

Hic etiam est advertendum, concreta accidentalia habere unitatem, & pluralitatem ratione subjecti, non verò formæ; id est, si subjectum est unicum, licèt formæ sint plures, unicum erit concretum; si verò subjecta sunt plura, estò forma sit unica, plura erunt concreta. Undè si una albedo esset in pluribus subjectis, dicerentur plura alba; & si multæ albedines essent in unico subjecto, solùm diceretur unum album, vel unum habens plures albedines. At verò unitas concreti substantialis desumitur ab unitate formæ, aut suppositi; id est, si forma est unica, etiam si supposita sint plura, unicum est concretum; sic tria supposita Divina sunt unus Deus propter unitatem Deitatis. Pluralitas verò oritur ab utroque simul; id est, ut sint plura concreta, requiritur pluralitas tàm formæ, quàm suppositi. Proterea dixit S. Athanasius; *Quod licèt Deus sit, & homo, non duo tamen, sed unus est Christus.*

QUÆSTIO SEPTIMA.

De singulis prædicabilibus.

Porphyrius cap. 2. genus logicum sic deffinit: *Est quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid.* Per *prædicari de pluribus* cum aliis convenit prædicabilibus, à quibus differt per esse prædicabile de pluribus *differentibus specie in eo quod quid*; hoc est, per

mo-

modum partis essentialis, quæ ab altera determinatur, ac veluti contrahitur. Nam genus, ut *animal* est pars essentialis per differentiam specificam contracta. Quam deffinitionem omnes admittunt Logici.

Speciem prædicabilem etiam deffinivit Porphyrius, dicens: *Est, quæ de pluribus differentibus numero in quid prædicatur*, id est, quæ de pluribus individuis veluti completa eorum essentia prædicatur. Nam species ex genere, & differentia coalescit, ut *humanitas*, quæ ex animalitate, & rationalitate componitur. Quia verò species non solùm est prædicabilis, sed etiam subjicibilis, ideò ut subjicibilis sic à Porphyrio deffinitur: *Species est, quæ subjicitur generi, & de qua genus in quid prædicatur.* Et in hoc secundo sensu non constituit hoc prędicamentum, sed solùm in primo, scilicèt, ut prædicabilis.

Differentia autem sic ex Porphyrio potest deffiniri: *Est, quod prædicatur de pluribus in quale quid*; hoc est, quod prædicatur de pluribus ut eorum pars essentialis determinativa, & contractiva generis; ut *rationalitas*, quæ animal contrahit, ac determinat ad hominem, cujus est pars essentialis. Ubi adverte, differentiam non constitui in ratione universalis per ordinem ad speciem, quam constituit, & cum qua est omninò æqualis, sed per ordinem ad inferiora speciei, quorum est superior, & de quibus in *quale quid prædicatur.*

Proprium sic communitèr deffinitur: *Quod prædicatur de pluribus in quale accidentale necessariò*; seù quod prædicatur de pluribus, nec ad illorum essentiam pertinet; necessariò tamen essentiæ copulatur. Ita *risibilitas* est proprium, seù proprietas hominis, de quo prædicatur per modum adjacentis, nec illius essentiam constituit, sed cum ejus essentia est necessariò connexum. Proprium ergo constituitur universale per ordinem ad inferiora illius naturæ communis, cujus est proprium.

Accidens denique sic deffinitur à Porphyrio: *Quod potest adesse, & abesse sine subjecti corruptione*; seù clariùs: *quod prædicatur de pluribus in quale accidentale*

con-

contingenter. Sic *albedo* de homine dicitur, velut attributum eidem non necessariò, sed accidentalitèr conveniens. Constituiturque prædicabile, seù universale in ordine ad inferiora, non formæ, sed subjecti, de quibus solùm accidentalitèr prædicatur.

Insuper tamen speciei infimæ supra deffinitæ correlativum est individuum, seù singulare; quod duplicitèr potest sumi; metaphysicè, scilicèt, seù primò intentionalitèr; & logicè, seù secundò intentionalitèr. In primo sensu deffinitur à Porphyrio: *Individuum est, cujus collectio proprietatum in nullo alio eadem erit*; id est, alteri convenire non potest. Quæ deffinitio est descriptiva, cum tradatur per proprietates. Tales autem proprietates his versiculis continentur:

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine sanguis.
Patria sunt septem, quæ non habet unus, & alter.

Quia tamen hæc deffinitio solùm competit individuis animatis, & ad summum rebus corporeis, non tamen Deo, & Angelis, nec animæ rationali; ideo in communi sic potest ex Scoto deffiniri: *Individuum est illud, quod non est divisibile in multa*; id est, cui repugnat divisio in partes subjectivas. In secundo sensu, seù logicè duas tradit Porphyrius deffinitiones de individuo, alteram ex parte prædicabilitatis, dicens: *Individuum est illud, quod de uno solo prædicatur*; alteram verò ex parte subjicibilitatis, hoc modo: *Individuum est, quod continetur sub specie, & de quo species in quid prædicatur*. In quibus nullomodò est immorandum. Sed adhuc circa individuum sit

QUÆSTIO OCTAVA.

An individua in ratione communi individui univocè conveniant?

Non loquimur de convenientia reali actuali, qualem statuimus in natura communi, & quæ repugnat individuis, quia sunt primò diversa à parte rei; sed de convenien-

nientia ex parte actus intellectus nostri illam rationem inadæquatè concipientis. In qua aliqui Scotistæ partem negativam defendunt. Bayon. & Palanc. asserunt, rationem individui esse quidem analogicè communem omnibus individuis, non verò univocè. Nos tamen

Dicimus: Ratio individui ut sic est communis omnibus individuis; omniaque in ratione individui univocè conveniunt. Ita Scotistæ melioris notæ, Lich. Tatar. Barg. Mast. & alii cum Doct. Subt. pluribus in locis. Prob. ergo utraque pars: quod est deffinibile, debet esse commune univocum; quia *æquivoca priùs sunt dividenda, quàm deffinienda*; sed individuum est deffinibile, & de facto deffinitur: ergo ratio individui, licèt non sit à parte rei communis, habet tamen modum communis, ut concedit Subt. Doct. in 1. dist. 2. quæst. 3. §. *de septima viâ*, ℣. *Exemplum*, n. 7. dicens: *Singulare est universàle*; *quia licèt*, *quod concipitur*, *sit singularitas*; *modus tamen*, *sub quo concipitur*, *habet indifferentiam ad plura.*

Prob. 2. hic syllogismus: *Omne individuum est incommunicabile*; *Petrus est individuum*: ergo *Petrus est incommunicabilis*; est bonus: ergo ratio individui est communis univoca. Prob. conseq. Si nihil datur commune univocum individuis, ut individua sunt, talis syllogismus erit vitiosus; sed non est vitiosus: ergo. Prob. maj. quia in conclusione dicitur de Petro, quod est incommunicabilis; sed si medium, scilicèt, *individuum*, esset æquivocum, aut analogum, & non univocum, non posset concludi de Petro, quod est *incommunicabilis*; incommunicabilitas enim est ratio individui: ergo.

Objicies: individuatio secundum rationem formalem individuationis est essentialitèr ultimum contractivum: ergo ut tale non potest ampliùs contrahi: ergo non datur ratio communis individuationis. Prob. ista conseq. ratio communis est contrahibilis; sed est contra rationem ultimi contractivi esse contrahibile per differentias individuales: ergo non datur ratio communis ultimi contractivi, seù individuationis.

Resp.

Resp. ad argum. dist. antec. Individuatio secundum rationem formalem individuationis à parte rei, & adæquatè concepta, est ultimum contractivum, conc. ant. inadæquatè, & confusè considerata, neg. ant. & conces. prima conseq. dist. secundum conseq. non datur à parte rei ratio communis individuationis, conc. conseq. per intellectum inadæquatè concipientem, neg. conseq. Ad prob. dist. maj. ratio communis est contrahibilis eodem modò, quo est communis, conc. maj. alio modò neg. maj. & dist. min. est contra rationem ultimi contractivi esse à parte rei contrahibile, conc. min. per intellectum confusè, & inadæquatè concipientem, neg. min. & conseq. Individuatio enim à parte rei tantùm est contractiva, nec aliud munus reale exercet, quam contrahendi, & singularizandi; tamen illa realitas, quæ dicitur individuatio, seù hæcceitas, potest inadæquatè concipi, ut, scilicèt, convenit cum alia hæcceitate in munere faciendi differre; & sic fieri universalis ut modus, atque dividi, & partiri in duos conceptus, quorum unus sit communis, & contrahibilis, alter propriùs, & contractivus. Quæ doctrina sufficit ad cætera omnia argumenta solvenda; quare illa omittimus.

DISPUTATIO QUARTA.

De Prædicamentis.

QUÆSTIO PRIMA.

Quæ res in prædicamento reponantur?

Prædicamentum est *series, seù coordinatio prædicatorum essentialium ab uno supremo genere usque ad individuum.* Conditiones verò requisitæ, ut aliquid in prædicamento ponatur, sunt septem, quæ his versiculis continentur:

Vox una, & simplex rebus concina locandis.
Entia per se, se finita, realia, tota.

Prima conditio est, quod vox sit una, id est, quod sig-

nificet rem univocam. Unde à prædicamento relegantur æquivoca, & analoga, quæ non important unum conceptum objectivum. 2. Quod vox sit simplex, id est, rem incomplexam significans, ut homo, qui & unam naturam, & per modum unius importat. 3. Quod vox, aut res per illam significata concinè, & aptè se habeat ad coordinationem, ideoque homo, & non humanitas in prædicamento collocatur; in accidentalibus verò è contra, atque ita albedo, & non album in prædicamento ponitur; quia substantialia ponuntur in concreto, accidentalia verò in abstracto. 4. Quod reponibile in prædicamento debet esse ens per se, & non per accidens; nam hoc non est unum ens, sed plura. 5. Quod sit ens finitum, seù creatura; quia ens infinitum non potest esse genus, nec species, nec individuum. 6. Quod sit ens reale, & non rationis; illud enim, & non istud est, quod in prædicamenta dividitur. 7. & ultima conditio est, quod sit ens totale, & completum, ut homo, vel etiam ut animal, quod, licèt ex parte rei sit pars, & non totum, tamen in concreto sumptum habet modum totius. Quibus suppositis.

Dicimus: Deum non posse ritè constitui in coordinatione prædicamentali. Est communis; & prob. brev. Coordinatio prædicamentalis non est arbitrariè, & sine ratione facta; sed rerum natura occasionem exhibente, quatenùs, nempè, natura rerum constat genere, & differentia; perfectibili, scilicèt, & perfectivo, unde compositionem importat; atqui Deus utpotè infinitus nec constat genere, & differentia, aut perfectibili, & perfectivo, nec importat compositionem: ergo Deus nequit in prædicamento collocari. Hinc S. Aug. lib. 4. confession. cap. 16. n. 29. dolet, se Deum mirabilitèr simplicem, atque incommutabilem in prædicamento olim reposuisse; & Honorius Augustodunensis lib. de Cognitione veræ vitæ, cap. 3. (inter opera Augustini) loquens de prædicamentis, ait: *Ab his omnibus proprietas Summæ Essentiæ evidenti ratione penitùs excluditur.*

Objic. 1.° ex Gassendo: nihil obstat, quominus Deus

in

in prædicamento collocetur: ergo collocari potest. Patet ant. Deus potest concipi à nobis, ut finitus, & compositus absque detrimento suæ infinitatis, & simplicitatis; nostra enim cogitatio nil Deo adjicere, vel detrahere potest: ergo &c. Resp. neg. antec. Ad probat. neg. suppositum. Supponit enim argumentum coordinationem prædicamentalem esse fictitiam, & chymericam; quod ex dictis est falsum; nam ad ipsam reperit intellectus fundamentum in rebus, & nullum certè reperit in Deo, ut ipsum concipiat finitum, & compositum: quare hi conceptus sunt fictitii, & chymerici; ac proinde in prædicamento non reponibiles.

Objic. 2.° S. Aug. lib. 5. de Trinitate tria prædicamenta Deo attribuit, substantiæ nempè, relationis, & actionis. Alii etiam PP. Deum dicunt esse sub genere. Denique Arist. Deum distinguit, ut aliquid inferius substantia: ergo &c. Resp. D. Augustinum citato in loco loqui de prædicatis illis substantiæ, relationis, & actionis, non prout sunt finita, & prædicamentalia, sed prout sunt transcendentalia, & aliquo modo conveniunt Deo, & creaturis. Ita etiam loquuntur cæteri PP. cum Theologis; & hac ipsa consideratione accipit Arist. substantiam: ex quibus nil sequitur contra nos.

Objicies 3.° Christus constituitur in prædicamento substantiæ; sed Christus est Deus: ergo Deus ponitur in prædicamento. Resp. dist. maj. Christus ut homo est, conc. ut Deus est, neg. maj. Instabis: sed Christus ut Deus est, constituitur in prædicamento substantiæ: ergo nulla solutio. Prob. min. subsumpta: natura, quæ collocatur in prædicamento, est natura in concreto, & ut dicit naturam, & suppositum, seù personalitatem; sed personalitas Christi est idem realitèr cum Deitate: ergo Christus etiam ut Deus ponitur in prædicamento. Resp. neg. min. subsump. Ad prob. dist. maj. ita ut subsistentia sit ratio formalis, sub qua natura ponitur in prædicamento, neg. ita ut sit conditio ad id prærequisita, conc. maj. & min. negoque conseq. Itaque licèt natura non possit in prædicamento locari, quin sit subsistens, tamen

sub-

subsistentia non est ratio formalis, propter quam natura ipsa in prædicamento ponitur; sed tantùm conditio, sinè qua non poneretur, nec esset incommunicabilis; quam denominationem tribuit naturæ, non quia infinita, vel finita, sed quia personalitas est.

Hic denique est advertendum triplicitèr posse aliquid poni in prædicamento. Primò directè, seù in recta linea, & ita collocantur genus supremum, genera intermedia, species, & individuum. Secundò indirectè, seù ad latus; sicque collocantur differentiæ essentiales, per quas genera dividuntur, & constituuntur species. Et tertiò reductivè, quomodo ponuntur partes essentiales physicæ, ut materia, & forma; partesque integrales hæterogeneæ, seù diversæ rationis, ut caput, manus, brachia, &c. nam homogeneæ, ut guttæ aquæ, &c. quia habent eamdem essentiam cum toto, in recta linea collocantur. Cætera denique, quæ nec sunt genera, nec species, nec individuum, nec differentiæ esentiales, solùm reductivè in prædicamento ponuntur.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quot sint prædicamenta?

Pythagorici viginti prædicamenta, decem bonorum entium, & decem malorum, docuerunt. Priora dicebant esse, *Finitum*, *Par*, *Unum*, *Dexterum*, *Masculum*, *Quiescens*, *Rectum*, *Lucem*, *Bonum*, *Quadratum*. Posteriora, *Infinitum*, *Impar*, *Multitudinem*, *Sinistrum*, *Fœminam*, *Motum*, *Obliquum*, *Tenebras*, *Malum*, *& altera parte longius*. Ex recentioribus Petrus Ramos hæc decem assignat prędicamenta, *Causam*, *Facta*, *Subjecta*, *Adjuncta*, *Opposita*, *Comparata*, *Nominum Rationem*, *Divisionem*, *Deffinitionem*, & *Testimonium*. Alii denique Recentiores tantùm hæc septem prædicamenta concedunt, scilicèt, *Mentem*, seù substantiam cogitantem, *Materiam*, seù corpus, aut substantiam extensam, *Mensuram*, quæ rei magnitudinem determinat, & quantitas

di-

dici potest, *Situm*, *Figuram*, *Motum*, & *Quietem*. Unde illud

Mens, *Mensura*, *Quies*, *Motus*, *Positura*, *Figura*
Sunt cum materia cunctarum exordia rerum.

Tamen Peripatetici decem hæc prædicamenta recensent, *Substantiam*, *Quantitatem*, *Qualitatem*, *Relationem*, *Actionem*, *Passionem*, *Ubi*, *Situm*, *Quando*, & *Habitum*. Et hæc est cum ipsis, Subt. Doct. nostra firmitèr defensanda conclusio, quam hac ratione satis probabili suadere nitimur.

De Petro v. gr. quæritur, quid sit? & respondetur, quod est homo; & sic habetur prædicamentum *Substantiæ*. Vel quæritur, qualis sit? & respondetur esse justum, album, & habetur prædicamentum *Qualitatis*. Vel quæritur, quantus sit? & respond. esse tricubitum, vel bicubitum, & est prędicamentum *Quantitatis*. Vel quæritur ad quid referatur? & resp. quod ad filium, si est pater, vel ad patrem, si est filius, & est prædicamentum *Relationis*. Vel quæritur, quid agat, aut patiatur? & resp. peractiones loquitur, intelligit; vel per passiones percutitur, infrigidatur, calefit, & habentur prædicamenta *Actionis*, & *Passionis*. Vel quæritur, ubi sit? & resp. in gymnasio, & est prędicamentum *Ubi*. Vel quæritur, quomodo sit in eo loco? & resp. genuflectit, stat, sedet, & habetur *Situs*. Vel quæritur, quando sit? & resp. hodiè, manè, vesperè, & habetur prædicamentum *Quando*. Vel denique quæritur, quomodo se habeat? & resp. esse vestitum, aut habere hanc, vel illam formam accidentalem; & est prædicamentum *Habitus*: sed nulla interrogatio fieri potest, cui aliqua ex his responsionibus non satisfiat: ergo nullum ens reale finitum est assignabile, quod non sit unum ex his; & consequentèr hæc divisio est adæquata, & bona.

Nunc ergo sola hac, sed efficaci ratione Pythagoricorum, Petri Ramos, cæterorumque Recentiorum prædicamenta rejiciuntur. Quodlibet prædicamentum in suo ordine debet esse genus supremum continens sub se species, & individua, de quibus prædicari possit; sed prædi-

dicamenta ab illis supra assignata non sunt genera suprema, ut illa percurrenti patebit: ergo reverà non sunt prædicamenta: igitur sunt tantùm decem à nobis cum Peripateticis assignata.

Objic. 1.° Sufficiunt ad res explicandas duo suprema genera, nempè, *Substantia*, & *Accidens*: ergo non debent esse decem assignata. Prob. antec. Prædicamentum *Substantiæ* est unicum, licèt sint plures substantiæ inter se diversæ: ergo à pari, licèt accidentia sint plura, & diversa, erit etiam unicum prædicamentum *Accidentis*. Resp. neg. antec. Ad prob. conc. antec. neg. conseq. & paritatem. Unicum certè constituitur prædicamentum *Substantiæ*, quia etsi substantiæ sint inter se diversæ in natura, unus tamen est in eis modus *essendi per se*; at accidentia suprà relata, & differunt in natura, & in modo, quo afficiunt substantiam. Atque ideo *Substantiæ* unum tantùm constituunt prædicamentum; *Accidentia* novem, quia novem distinctis modis substantiam afficiunt.

Objic. 2.° ex Gassendo: aliæ possunt fieri interrogationes ultra decem expositas: ut *an res sit? per quid sit? cujus causa sit? cum qua sit?* Addimus, de homine inquiri posse, an sit Princeps, Subditus? an Episcopus? & similia: ergo. Resp. propositas à Gassendo interrogationes non augere numerum prædicamentorum. Etenim interrogatio, *an res sit?* extra quæstionem est. Siquidem supponimus rem ipsam esse, ut quæstionis, seù interrogationis possit esse subjectum. Aliæ interrogationes pertinent ad *relationem*, vel significant principia ipsius rei intrinseca. Denique denominationes *Principis*, *Subditi*, *Episcopi*, &c. sunt extrinsecæ, & ab hominum voluntate derivantur, & si characterem intrinsecum supponunt, ad *qualitatem* reducuntur. Hic enim loquitur de divisione entis creati in entia, non in entium denominationes.

DIS-

DISPUTATIO QUINTA.

De substantia primo prædicamento.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit substantia, & quæ ejus ratio formalis constitutiva?

Non loquimur de substantia, prout est idem, ac essentia, & quidditas, sed prout contra ponitur accidenti, quo sensu deffinitur: *Substantia est ens per se*; id est, ineptum inhærere, seù esse in subjecto inhæsionis. Proprietates autem ejus sunt sex. Prima: *non esse in subjecto*; cum enim sit per se se, non potest alteri inhærere; & hoc convenit substantiæ in communi, tàm creatæ, quàm increatæ, tàm completæ, quàm incompletæ. Secunda: *non habere contrarium*; quia duæ substantiæ mutuò non opponuntur; & hæc etiam convenit omnibus substantiis. Tertia: *non suscipere magis, & minus*; quæ etiam convenit omnibus substantiis, omnes enim conveniunt in eo, quod est non posse accipere incrementum, nec decrementum.

Quarta proprietas est, *suscipere contraria*, & hæc solùm convenit substantiæ creatæ, quæ solùm potest contraria recipere accidentia, ut calorem, & frigus, &c. Quinta: *univocè prædicari*, quod solùm convenit substantiæ creatæ, non singulari, sed communi, ut animal, homo, &c. quæ ab Arist. appellatur secunda substantia. Sexta: *significare hoc aliquid*, id est, incommunicabile, seù singulare, quod solùm convenit substantiæ singulari, quæ prima substantia ab Arist. nominatur. Unde constat, substantiam dividi in infinitam, & finitam; finitam verò in completam, & incompletam, & in primam, & secundam, quarum notiones satis constant ex dictis. Nunc ergò pro tertio, quod inquirit quæstio.

Dicimus 1.° Substantia ut sic, ut creatam, & increatam comprehendit, non constituitur formalitèr per negationem essendi in alio. Prob. 1.° quia nullum ens rea-

reale positivum potest constitui formalitèr in sua essentia per negationem ; sed substantia est ens reale positivum: ergo nequit per negationem formalitèr constitui. 2.° ex Subt. Doct. in 2. dist. 3. quæst. 2. §. *Contra ista*, n. 2. nihil simplicitèr repugnat alicui enti per solam negationem, sed per aliquid positivum, in quo fundatur talis negatio ; ideo enim homo habet negationem lapidis, quia est rationalis : ergo negatio essendi in alio, quam infert substantia, fundatur in aliquo positivo : ergo in hoc positivo, & non in negatione, consistit formalitèr ratio substantiæ.

Dicimus 2.° Substantia ut sic communis creatæ, & increatæ constituitur formalitèr per perseitatem radicalem, seù per exigentiam radicalem existendi per se independentèr ab alio, ut à subjecto inhæsionis. Est ferè communis etiam apud Thomistas. Et prob. hac efficaci ratione ; illa est ratio formalis constitutiva alicujus rei, quæ primò intelligitur in tali re, ut distincta ab omni alia ; sed perseitas radicalis est, quæ primò intelligitur in substantia, ut ab accidenti distincta ; nulla enim ratio est assignabilis, quæ priùs in substantia intelligatur: ergo perseitas radicalis est ratio formalis constitutiva substantiæ, ut creatam, & increatam comprehendit. Unde aptitudo formalis ad essendum per se, utpotè relatio transcendentalis, non est ratio constitutiva substantiæ, sed proprietas ejus.

Dicimus 3.° Ratio formalis constitutiva substantiæ creatæ, ut comprehendit tàm completas, quàm incompletas, est perseitas radicalis cum modo limitationis, & dependentiæ ab alio ; in quo sensu simùl cum accidenti dividit ens finitum, & limitatum. Prob. brevitèr: ratio substantiæ ut sic, est transcendens Deo, & creaturis: ergò ratio formalis substantiæ, ut creatæ debet consistere in aliquo peculiari substantiæ creatæ, & repugnanti Deo ; sed hoc nihil aliud potest esse, nisi modus limitationis, & dependentiæ ab alio : ergo. Itaque substantia in hoc sensu non solùm dicitur à subsistendo, sed etiam à substando, quia omnis substantia creata potest

subs-

substare accidentibus; at hæc ratio substandi non est primaria ratio substantię constitutiva, sed secundaria; nam priùs est aliquid esse in se, quam aliis subesse.

Dicimus 4.° Substantia hujus prædicamenti constituitur per perseitatem radicalem limitatam, prout talis perseitas excludit non solùm inhærentiam per modum accidentis, sed etiam esse in alio, ut pars in toto, vel in alia comparte per modum informantis. In quo sensu comprehendit solùm substantias completas, tàm simplices, quàm compositas, & excludit partes earum, tàm essentiales, quàm integrales. Probat. nihil ponitur in prædicamento, præsertim ut ab Arist. contexto, nisi ens completum, finitum, &c. ut diximus supra: ergo in prædicamento substantię reponi debet substantia completa, & finita; sed hæc non solùm habet perseitatem, prout excludit inhærere in alio per modum accidentis; in hoc enim convenit cum partibus substantiæ tàm essentialibus, quàm integralibus; sed etiam habet peculiare excludere esse in alio, ut pars in toto, vel in alia comparte per modum informantis: ergo per hoc constituitur substantia hujus prædicamenti, ut ab aliis condistincta.

Objicies contra primam: Arist. deffinivit substantiam per negationem essendi in alio: ergo per hanc negationem constituitur formalitèr substantia. Resp. Arist. non deffinisse quidditativè substantiam per negationem, sed illam aliquomodò explicuisse, ut v. gr. substantiam Angeli per negationem corporis; quomodò etiam Theologi explicant essentiam Dei per negationem hominis, Solis, &c. & attributa ipsius, ut v. gr. infinitatem per negationem limitationis, & tamen nec Deus, nec ejus attributa consistunt in negatione.

Objicies contra secundam: Actus secundus alicujus essentiæ non potest communicari alteri non habenti talem essentiam; sicut actus secundus ratiocinandi nequit communicari bruto; sed actus secundus existendi per se communicatur accidentibus in Eucharistia; ibi enim existunt accidentia sinè subjecto secundùm fidem: ergo

esse per se non est essentia substantiæ. Resp. conc. maj. neg. min. & dist. implicitam probationem: existunt per se sinè subjecto contrà, vel supra propriam exigentiam, conc. juxta propriam exigentiam, neg. Itaque illud esse actuale, quod habent accidentia Eucharistica, non est actus secundus essendi per se, qualis est actus secundus essendi per se substantiæ; hæc enim talitèr dicit esse per se, ut repugnet ipsi esse in alio, tanquam in subjecto inhæsionis, quod non habent accidentia in Eucharistia, quia illis non repugnat esse in alio, immò hoc exigunt ex natura sua.

QUÆSTIO SECUNDA.

An substantia corporea antecedentèr ad quantitatem habeat partes extra partes, & quomodò?

Supponimus tanquam certum, substantiam corpoream ex se habere partes essentiales tàm physicas, quàm metaphysicas; & quærimus, an habeat ex se ante quantitatem partes integrales distinctas? Et hoc triplicitèr: 1.° An ante quantitatem habeat partes distinctas distinctione sumpta pro non identitate, scilicèt, an substantia capitis, v. gr. sit distincta realitèr à substantia cordis? 2.° An habeat partes distinctas, prout distinctio opponitur confusioni, nempè, an habeant inter se ordinatam unionem; ita ut substantia pedis immediatè uniatur tibiæ, & substantia tibiæ immediatè uniatur femoribus, non brachiis? 3.° An habeat tales partes actualitèr extensas in ordine ad locum, ita ut una pars substansiæ correspondeat uni parti loci, alia alii, & omnes omnibus? In qua

Dicimus 1.° Substantia corporea antecedentèr ad quantitasem habet partes entitativè distinctas, sumpta distinctione, prout idem est, ac unam non esse aliam. Est communis inter Scotistas, & ferè apud Thomistas, illamque docet Scotus in 2. dist. 12. quæst. 2. §. *Respondeo, ℣. Si quæras*, num. 5. ubi loquens de materia prima

ma ait: Si quæras, an habeat partes? Dico, quod partes substantiales habet, illas enim non habet per quantitatem.

Probat. etiam ratione: ea, quæ realitèr separantur, aut unum destruitur, altero permanente, distinguuntur realitèr; nam existere, & non existere, destrui, & non destrui, non possunt de eodem verificari; sed partes substantiæ possunt separari, & una destrui, altera non destructa independentèr à quantitate: ergo. Probat. min. Si Sacerdos consecraret medietatem hostiæ à se designatæ, tunc substantia panis, quæ erat in illa medietate, destrueretur, & separaretur à substantia, quæ maneret in altera medietate non consecrata; & hoc absque divisione quantitatis: ergo partes substantiæ possunt separari, & una destrui, altera permanente, independentèr à quantitate.

Objicies: ante quantitatem nulla potest esse compositio partium integralium in substantia: ergo ante quantitatem non habet substantia partes distinctas. Probat. antec. Omnis compositio partium integralium est accidentalis: ergo. Prob. antec. Talis compositio non fit ex actu, & potentia simplicitèr, cum una pars non se habeat ut actus, aut potentia respectu alteriùs: ergo est accidentalis; sed compositio accidentalis ante quantitatem repugnat, cum illa sit primum accidens, quod advenit substantiæ: ergo.

Confirmatur: materia prima hominis v. gr. remota quantitate, vel est simplex, vel composita? Si simplex: ergo est indivisibilis, & non habet partes. Si composita: ergo vel prima compositione, vel secunda? Non prima; quia hæc fit ex actu per se, & potentia per se; materia autem cum sit pura potentia, non includit actum per se, tanquam partem essentialem sui. Nec etiam secunda compositione, quia ubi non est prima compositio, non est secunda; hæc enim in illa fundatur: ergo materia prima non est composita, sed omninò simplex, & non habens partes.

Resp. ad argum. neg. antec. Ad probat. neg. antec. Ad probat. conc. antec. neg. conseq. Compositio igitur,

ob

alia

alia est per se, & alia per accidens. Et rursus prima est duplex; alia per se perseitate unionis, quæ fit ex per se actu, & per se potentia, qualis est compositio ex materia, & forma. Alia autem est compositio per se perseitate continuitatis, quæ fit ex partibus unam totalem essentiam integrantibus. Itaque substantia ante quantitatem est composita non compositione accidentali; in hac enim ex partibus componentibus non fit una essentia totalis. Nec compositione essentiali, & per se perseitate unionis, quia non fit ex per se actu, & per se potentia; sed compositione per se perseitate continuationis, in qua partes unam totalem essentiam cointegrant.

Ad confirm. resp. materiam primam, remota quantitate, esse simplicem, & compositam; simplicem, si loquamur de compositione ex actu, & potentia per se physicis, qualis est compositio essentialis ex materia prima, & forma substantiali. Compositam, si loquamur de compositione, quæ fit ex partibus integrantibus; hæc autem non supponit primam compositionem, immò præsupponitur ad illam, quia materia prima separata esset composita integralitèr, non verò essentialitèr, ex per se actu, & per se potentia. Falsum itaque est, quod compositio partium integralium accidat rei materiali, & corporeæ, cum potiùs sit de conceptu hujus essentiali; talis enim compositio est, quæ essentialitèr distinguit substantiam corpoream ab incorporea, seù spirituali; non autem compositio materiæ, & formæ; nam materia prima, seclusa quantitate, distinguitur essentialitèr à re spirituali, quia habet partes integrantes, licèt non sit composita ex materia, & forma.

Dicimus 2.° Substantia, seclusa quantitate, habet partes distinctas distinctione opposita confusioni, id est, habet illas sic ordinatas, ut una pars sit immediatè unita alteri, & non immediatè omnibus, ita ut aliæ partes sint mediæ, aliæ extremæ, & non inter se confusæ, & complicatæ. Ita Mast. Ponc. Merin. Villa-Castin, Suar. Amic. Ovied. & alii contra omnes Thomistas, & plures Scotistas, quos ex parte sequitur Curs. Scotist. S. Joseph, do-

docens substantiam non organicam, non habere partes ordinatas, benè tamen substantiam materialem organicam.

Prob. ergo primò: Ablata divinitùs quantitate à corpore humano, ejus partes non manerent confusæ, & inordinatæ, seù complicatę, sed dispositæ, & ordinatæ: ergo partes corporis humani, seclusa quantitate, haberent distinctionem oppositam confusioni. Probat. antec. corpus humanum, seclusa quantitate, esset subjectum idoneum animæ rationalis, non enim redditur idoneum ratione quantitatis; aliàs non posset Deus quantitatem ab homine auferre sinè destructione hominis; sed corpus idoneum receptivum animæ debet habere partes ordinatas: ergo. Prob. min. Tale corpus debet esse substantialitèr organicum, & quidem organizatione humana, qua posset recipere formam rationalem, & non belluinam; sed ad hoc requiritur, quod caput uniatur immediatè humeris, & cor sit medium, pedes extremi; sic enim est aptum subjectum vitæ recipiendę: ergo.

Secundò prob. conclus. generatim de omni substantia corporea: nequit intelligi substantia corporea cum distinctione entitativa partium sine unione illarum ad invicem: ergo si habet distinctionem partium, habebit quoque unionem illarum inter se. Probat. antec. Talis unio partium entitativarum debet fieri per indivisibilia substantialia, aliàs non esset entitas corporea, sed entitas in indivisibilia resoluta; atqui si unitur per indivisibilia substantialia, debet uniri aliqua pars immediatè alteri parti, & non omnibus; quia indivisibile, quod copulat unam partem cum alia, non copulat illam immediatè cum omnibus; aliàs cætera indivisibilia superfluerent, cum unum esset sufficiens unitivum: ergo nequit intelligi substantia corporea cum distinctione entitativa partium sinè unione illarum ad invicem: igitur, &c.

Objic. 1.° Nequit substantiæ convenire, quod est proprium quantitatis; sed quantitatis est proprium ordinare partes in toto; per hoc enim deffinitur à Philo-

so-

sopho, & à Subt. Doct.: ergo substantia, seclusa quantitate, non habet partes ordinatas inter se. Resp. conc. maj. dist. min. quantitatis est proprium ordinare partes in toto impenetrabilitèr, conc. min. præscindendo ab impenetrabilitate, neg. min. Itaque quantitas dat substantiæ corporeæ impenetrabilitatem, non verò distinctionem partium, nec unionem, aut ordinem illarum ad invicem, atque ita intelligendus est Arist. & Scotus. Ex quo nil contra nos.

Objic. 2.° Substantia indepentèr à quantitate non habet partes impenetrabiles inter se, vel cum alia quantitate: ergo non habet partes ordinatas. Prob. conseq. partes ordinatæ resistunt penetrationi: ergo si substantia ex se non habet partes impenetrabiles, non habet partes ordinatas. Prob. antec. partes ordinatæ sunt partes non se totis unitæ, sed unitæ secundùm extremitates; at partes unitæ secundùm extremitates resistunt penetrationi; extremitas enim est id, quo una pars arcet aliam à proprio loco: ergo partes ordinatæ sunt impenetrabiles.

Resp. ad argum. conc. antec. neg. conseq. Ad prob. conc. maj. neg. min. cum implicita probat. Non enim aliqua pars est impenetrabilis cum alia, aut arcet ipsam ex eo, quod ipsi ordinatè uniatur; sed ex quod uniatur impenetrabilitèr, quod est proprium partium quantitatis; ordinatio enim secundùm unionem solùm præstat, quod una pars immediatè uniatur alteri, ita ut excludat alias ab immediata unione secum. Quod totum patet in substantia, & quantitate Christi Domini in Eucharistia; ibi enim Christus Dominus habet partes, tùm entitativas, tùm quantitativas actualitèr penetratas; & tamen tales partes habent ordinem; nam caput Christi unitur humeris, tibiæ pedibus, &c. & non quælibet pars immediatè omnibus; aliàs Sacerdos consecrans immutaret, & destrueret ordinem unionis, quem habent partes corporis Christi inter se; quod nec est dicendum, nec necessarium ad salvandam veritatem hujus arcani Mysterii. Igitur hic duplex ordo diversus est: ergo &c.

Pos-

Postremò objicit Curs. S. Joseph substantiam materialem non organicam non habere partes inter se ordinatas; nam sicut quælibet pars substantiæ non organicę unitur uni parti, potest alteri uniri, cum omnes sint ejusdem rationis: ergo partes substantiæ non organicę non sunt ordinatæ in ordine ad se. Sed insto argum. sicut quælibet pars quantitatis unitur uni parti, potest alteri uniri, cum omnes sint ejusdem rationis: ergo partes quantitatis non sunt ordinatæ in ordine ad se. Respondeant, & respondemus. Itaque argum. malè procedit, dum ex potentia arguit actum; de actu ad potentiam valet consequentia; non verò è contrà. Valet utique: *Mundus existit: ergo potest existere*; non è conversò: *Alius mundus potest existere: ergo existit*; huic enim similis est argumentatio Curs. S. Joseph; pars substantiæ non organicæ potest uniri cum qualibet alia, sicut cum ista: ergo est unita cum illa, & illa, & illa, seù cum omnibus. Antecedens est certum; falsa verò consequentia, quia licèt pars *A*, v. gr. possit uniri cum parte *B. C. D.* &c. hoc debet intelligi seorsim, non verò conjunctim, cum una, scilicèt, vel cum altera, non tamen cum omnibus; proindequè petit uniri cum ordine à nobis in conclusione assignato.

Dicimus 3.° Substantia corporea independentèr à quantitate habet extensionem etiam in ordine ad locum; id est, una pars substantiæ correspondet uni parti loci, alia alii, &c. Hanc conclusionem, quæ est contra omnes Thomistas, irrident Complutenses dicentes, AA. hujus opinionis relinquendos esse, tanquam sensibus addictos. Sed an sensibus, an rationi simus in hac parte addicti, rationes demonstrabunt. Interim nobiscum sentiunt graviores Scotistæ Regent. Parisienses, Tatar. Mast. Pont. & alii, immò plurimi alii extranei cum Suar. Rub. Hurt. Amic. Ovied. & aliis.

Prob. ergo primò: si Deus in hoc instanti auferret quantitatem à substantia Occeani, in tali casu partes illius substantiæ haberent extensionem in ordine ad locum: ergo. Prob. antec. In tali casu partes illius subs-

tantiæ non confluerent in punctum indivisibile in instanti: ergo in aliquo instanti temporis manerent extensæ in ordine ad locum. Prob. antec. Talis confluxus debet fieri per motum localem; sed hic, cum sit successivus, nequit in instanti fieri, ut patet: ergo non confluerent in punctum indivisibile in instanti. Nec valet dicere, quod tales partes confluerent supernaturalitèr in punctum in instanti temporis. Nam contrà est, quod jam talis substantia relicta in sua virtute naturali maneret cum extensione in ordine ad locum: ergo &c.

Prob. 2.° Substantia corporea localitèr non extensa, non est subjectum proportionatum quantitatis: ergo ut connaturalitèr quantitatem recipiat, debet pro aliquo priori naturæ præsupponi extensa in ordine ad locum. Prob. antec. subjectum localitèr inextensum non potest recipere accidens localitèr extensum: ergo substantia localitèr inextensa non potest quantitatem recipere. Prob. maj. subjectum localitèr inextensum est subjectum habens modum indivisibilem; sed subjectum habens modum indivisibilem non est aptum ad recipiendum accidens divisibile, & localitèr extensum; divisibile enim nequit in indivisibili recipi, quia unumquodque recipitur, ad modum recipientis recipitur: ergo. Confirm. si substantia pro priori ad quantitatem esset indivisibilis, & inextensa, tunc quantitas reciperetur tota in tota substantia, & tota inqualibet parte; hoc est falsum: ergo.

Objicies: si substantia haberet extensionem quo ad locum, sequeretur primò, quod haberet ex se trinam dimensionem, scilicèt, longitudinem, latitudinem, & profunditatem; sed hæc sunt species quantitatis, & non substantiæ: ergo. Secundò, quod posset dividi, & mensurari, esse æqualis, vel inæqualis, quæ omnia sunt propria quantitatis. Tertiò, quod posset figurari, quod tamen repugnat, cum figura resultet ex terminatione quantitatis: ergo &c.

Resp. ad argum. & ad primum inconveniens concedimus substantiam corpoream ex se habere trinam dimensionem, cum enim habeat partes integrales unitas,

& continuatas, debet habere indivisibilia continuativa, ex quibus trina dimensio resultat. Nec hæc est species quantitatis absolutè, & utcumque, sed ut affert impenetrabilitatem. Ad secundum respond. substantiam fore divisibilem, sed non instrumento corporeo, quia hoc est proprium quantitatis. Posset quoque mensurari, esse æqualis, vel inæqualis; dicuntur tamen hæc omnia propria quantitatis, quia hæc habet impenetrabilitèr, & est mensura fixa, & certa, quod de substantia dici nequit, quia naturalitèr potest penetrari, & ad minorem extensionem reduci; & consequenter non est mensura naturalitèr fixa, & certa. Per quod etiam potest responderi ad tertium; nam quamdiu extensio omnium partium in ordine ad locum duraret, talis figura extrinseca deneganda non est, sed non fixa, & certa, qualis est extensio.

DISPUTATIO SEXTA.

De Quantitate, & qualitate.

QUÆSTIO PRIMA.

De natura, divisionibus, & proprietatibus quantitatis.

Arist. 5. Metaph. cap. 12. quantitatem in concreto sic deffinivit: *Quantum est divisibile in ea, quæ insunt, quorum utrumque, vel unumquodque, unumquid, & hoc aliquod aptum est esse.* Ex quo in abstracto, & clariùs à nobis potest deffiniri: *Quantitas est accidens absolutum per se divisibile in partes singulares homogeneas, ex quibus actu componitur, seù in partes semper divisibiles.* In quantitate ergo reperitur divisibilitas, & impenetrabilitas, & utraque est vel radicalis, vel aptitudinalis, vel actualis; invenitur etiam ratio mensuræ, vel mensurabilitatis, tunc activæ, qua possumus mensurare extensionem rei; tunc passivæ, secundùm quam rei extensio potest mensurari; reperitur denique extensio partium

tàm in ordine ad se, quàm in ordine ad locum. Et de his omnibus dubitatur, quale sit formale constitutivum quantitatis. Atque

Dicimus: rationem formalem constitutivam quantitatis esse impenetrabilitatem radicalem in ordine ad locum; id est, talis extensio partium, ad quam sequatur aptitudo, & exigentia naturalis expellendi se ad invicem, & alias res quantas ab eodem loco. Ita Subt. Doct. in 4. dist. 1. quæst. 5. §. *ad primam quæstionem*, ℣. *de isto autem*, num. 14. & 15. Et prob. illa est ratio formalis constitutiva alicujus rei, quæ primò intelligitur in tali re, & à qua dimanant omnes proprietates; sed omnes proprietates quantitatis dimanant à radicali exigentia extensionis localis per partes incompossibiles in eodem loco: ergo ratio formalis quantitatis in tali radice consistit. Prob. min. impenetrabilitas formalis (quę est prima passio quantitatis) fluit à tali radice, tanquam à principio; deinde divisibilitas physica per instrumentum corporeum, quæ est alia passio quantitatis, oritur ab exigentia radicali diversorum locorum; & idem est de aliis, ut patet: ergo.

Objic. 1.° Arist. cit. deffinivit quantitatem per divisibilitatem; & etiam species quantitatis per diversas rationes divisibilitatis distinguuntur, ut linea secundum longitudinem; superficies secundum longitudinem, & latitudinem, & corpus secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem: ergo divisibilitas est constitutivum quantitatis. Resp. deffinitionem supra ab Arist. traditam, esse tantùm descriptivam, utpotè datam per divisibilitatem, quæ est propria passio quantitatis; & eodem modo per divisibilitatem distinguuntur ejus species non primariò, seù per differentiam quidditativam, sed secundariò, seù per differentiam qualificativam. Quod non est contra nos.

Objic. 2.° Quantitas, quæ est accidens absolutum, debet explicari per id, quod dicit in ordine ad se; non verò per id, quod dicit in ordine ad aliud; sed impenetrabilitas cum alio corpore est in ordine ad aliud: ergo

per

per illam non constituitur quantitas. Resp. conc. maj. & dist. min. quæ solùm est vera de impenetrabilitate aptitudinali, quam nos dicimus esse primariam quantitatis proprietatem; non verò de impenetrabilitate radicali, quam dicimus esse quantitatis essentiam. Ac proinde argum. nihil urget contra nos.

Dividitur autem quantitas in *Continuam*, & *Discretam*. Continua *est illa, cujus partes copulantur aliquo termino communi*; tales sunt partes *ligni*, *lapidis*, &c. quæ punctis, seù indivisibilibus terminantur, & ad invicem copulantur. Discreta *est illa, cujus partes non copulantur aliquo termino communi*, v. gr. *numerus*, qui componitur ex unitatibus, quę nullomodò inter se uniuntur. Rursus quantitas continua dividitur in *Permanentem, cujus partes simùl existunt*, ut *lapis*, *lignum*; & in *Successivam, cujus partes non simùl existunt, sed una post aliam*, ut *tempus*, & *motus*. Deinde quantitas continua permanens dividitur ab Arist. in *Lineam, quæ est quantitas continua punctis*; in *Superficiem, quæ est quantitas continua lineis*; in *Corpus, quod est quantitas continua superficiebus*; & in *Locum*. Quid autem sit locus, motus, & tempus, in physica dicemus.

Proprietates tamen quantitatis sunt: 1. *Non habere contrarium*; nam duæ quantitates ab eodem subjecto mutuò non se expellunt, licèt expellantur ab eodem loco. 2. *Non suscipere magis, vel minus*, id est, intendi, & remitti. 3. Divisibilitas in partes, non quæcumque, sed quæ importat separabilitatem unius partis ab alia, per incomposibilitatem utriusque, & fit instrumento corporeo per cæssionem unius quanti, alteri quanto conanti occupare eumdem locum. 4. Æqualitas, aut inæqualitas, non formalis, quæ est relatio, sed fundamentalis. 5. Est ratio mensuræ tàm activæ, quàm passivæ aptitudinalitèr sumptæ. Ultima tandem, quæ est propria quantitatis continuæ, est impenetrabilitas formalis. Aliæ proprietates quantitatis solent assignari, ut quod sit finita, vel infinita, longa, vel brevis, densa, vel rara, profunda, gravis, levis, aspera, lenis, figurabilis, ubicabilis,

quæ

quæ quia non multum difficultatis præ se ferunt hic ex professo non explicantur.

QUÆSTIO SECUNDA.

De natura, divisionibus, & proprietatibus qualitatis.

Non loquimur de qualitate in sensu Porphyrii dicentis differentiam prædicari in *quale quid*, & quod omne accidens prædicatur in *quale* de substantia; sed de qualitate propriè, & strictè, pro supremo genere hujus prædicamenti; & deffinitur à Philosopho hic, qualitas est: *qua quales dicimur*; quæ deffinitio est aliquatenùs obscura, & non est propriè descriptio, sed solùm deffinitio quid nominis. Itaque *qualitas* sic benè deffiniri potest: *est accidens absolutum, potens intendi, & remitti*, seù potens suscipere magis, vel minus, sivè plures gradus, aut pauciores.

Dividitur ergo qualitas, 1.° in *Habitum*, & *Dispositionem*. Habitus est *qualitas ab extrinseco proveniens, disponens subjectum ad agendum, vel patiendum, quæ tamen qualitas sit difficile mobilis à subjecto, quomodocumque hæc difficultas contingat*. Dispositio est *qualitas ab extrinseco proveniens disponens subjectum ad agendum, vel patiendum ab eo facilitèr mobilis, undecumque hæc facilitas proveniat*. Et ideo habitus, & dispositio solùm accidentalitèr, seù penes magis, & minus distinguntur. 2.° In *naturalem potentiam*, & *impotentiam*; Illa est *facultas innata subjecti, ipsi ex naturali constitutione debita, qua subjectum simplicitèr, vel facile agit, vel contrario resistit, ut calor in igne, frigus in aqua, &c.* Ista autem non sumitur pro carentia, seù privatione potentiæ; sed *pro modo qualitatis, secundum quem illa est principium difficulter agendi, vel facilitèr patiendi*; talis est, vel facultas remissa, & imbecillis agendi, & patiendi, vel qualitas positivè retardans, ut humor noxius, qui retardat oculum ad videndum.

3.° In *passionem*, & *pasibilem qualitatem*. Passio hic

su-

sumitur pro qualitate illa, quæ *resultat ex alteratione brevi, & facile transeunti, ut rubor causatus ex verecundia, & pallor ex metu.* Passibilis autem qualitas, *resultat ex alteratione permanenti*, & ideo assiduus pallor, sivè ex naturali constitutione subjecti, sivè ex longo morbo causatus dicitur passibilis qualitas. 4.° In *Formam*, & *Figuram.* Forma *est illa conveniens dispositio exterior, qua res materialis dicitur pulcra, & formossa.* Figura *est dispositio aliqua specialis, quam habent partes quantitatis, ratione cujus quantitas ipsa dicitur rotunda, plana, curva, recta, triangularis, &c.*

Proprietates autem qualitatis sunt tres. 1. Est *habere contrarium*, seù ab eodem subjecto mutuò se expellere, sivè latè ut *albedo, & nigredo, justitia, & injustitia*, sivè propriè, ut *calor, & frigus.* 2. *Suscipere magis, & minus*, seù posse intendi, & remitti, nam aliquid est magis album, vel calidum, quam aliud. 3. Denique ut *secundum eam aliquid dicatur simile vel disimile*, intelligе fundamentalitèr; nam similitudo, & dissimilitudo formalitèr accepta est relatio, ut postea dicemus.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De ad aliquid, seù de relatione.

QUÆSTIO PRIMA.

An, quid, & quotuplex sit relatio realis?

Ad primam quæstionis partem respondentes, dicimus, dari relationes reales creatas. Conclus. quæ est contra Zenon, & Aureolum, est adeo certa apud AA. ut ferè probatione non egeat. Prob. tamen primo ratione S. D. in 1. dist. 1. Quæst. 5. in Divinis dantur relationes reales, scilicèt, Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva: ergo etiam in creatis. Patet conseq. Ideo Pater Eternus habet relationem Paternitatis, quia verè generat Filium, & est principium illius; sed hoc idem contingit in creatis;

tis ; homo enim verè generat alium hominem, & est principium illius : ergo.

Probat. 2.° Dantur in rerum natura aliqua, quæ seclusa operatione intellectus denominantur sibi invicem, similia, & dissimilia, æqualia, & inæqualia, ut patet in duobus albis, albo, & nigro, duabus quantitatibus palmaribus, una quantitate palmari, & altera ulnari ; sed istæ sunt relationes reales : ergo à parte rei dantur relationes reales.

Sed objicies ; Deus dicitur Creator, & conservator absque relatione reali ad creaturam. Verbum dicitur unitum humanitati absque reali unione : ergo relativæ denominationes non petunt præcissè relationes reales. Resp. disting. utramque ant. partem, absque relatione reali fundata in Deo, vel in Verbo, conc. antec. terminata ad Deum, vel ad Verbum, neg. antec. & conseq. Deus itaque, utpotè mutationis incapax, nequit fundare relationem realem ad creaturam ; at potest quam optimè illam terminare, & hæc realis terminatio sufficit, ut Deus verè dicatur Creator, & Verbum dicatur unitum. Creaturæ verò sunt mutationis capaces, ac proindè non accipiunt novam denominationem relativam absque relatione nova.

Circa secundam partem quæstionis Philosophus deffinivit relativa, dicens, relativa sunt, *quorum totum suum esse, est ad aliud se habere.* Unde relatio in abstracto sic potest deffiniri, relatio est, *cujus totum suum esse, est ad aliud se habere.* Dividitur ergo in *realem*, & *rationis.* Realis est illa, *quæ est ad aliud secluso intellectu fingente.* Relatio rationis, *quæ est ad aliud tantùm per intellectum.* Deinde etiam dividitur in relationem *secundum esse*, & relationem *secundum dici* ; illa sunt, *quæ pro per se significato sunt essentialitèr relativa* ; ut *Pater*, & *Filius*, &c. Ista verò, *quæ pro per se significato sunt absoluta, sed sub eodem nomine indicant relationem annexam, & subsequutam, ut nomen scientia*, quod, & dicit primarium absolutum, in quo scientia consistit, & indicat relationem subsequutam, quam scientia dicit ad objectum.

3.°

3.° Dividitur relatio in *mutuam*, & *non mutuam*. Mutua est illa, *cujus terminus iterum suum fundamentum tanquam terminum respicit*, ut similitudo inter duo alba, & relatio formæ ad materiam, & è contrà. Non mutua est illa, *cujus terminus nulla relatione ejusdem ordinis refertur ad fundamentum*; hujusmodi sunt relationes scientiæ ad objectum, visus ad visibile, &c. 4.° Dividitur relatio mutua, in relationem *æquipparantiæ*, *cujus extrema ut relata habent eamdem denominationem*, ut relatio identitatis, diversitatis, similitudinis, &c. & in relationem *disquipparantiæ*, *cujus extrema ut relata*, *diversam denominationem habent*, ut relatio, quæ est inter Patrem, & Filium.

5.° Dividitur in *transcendentalem*, *quæ realitèr identificatur cum re relata per ipsam*, ut relatio creaturæ ad Creatorem; & in *prædicamentalem*, *quæ est accidens realitèr distinctum à fundamento*. 6.° Relatio prædicamentalis dividitur in relationem *intrinsecus*, & *extrinsecus advenientem*. Relatio intrinsecus adveniens est *illa*, *quæ possitis extremis*, *necessario resultat*; ut relatio Patris ad Filium, & hæc est, quæ hoc constituit prædicamentum. Relatio extrinsecus adveniens est, *quæ possitis extremis*, *non necessario consurgit*, *sed aliquid aliud requirit*, *ut consurgat*; talis est actio, v. gr. calefactio, quæ non necessario consurgit possito igne, & ligno, sed requiritur aplicatio; & hæc non constituit speciale prædicamentum, sed per sex ultima divagatur.

Tandem Arist. 5. Metaph. cap. 15. divisit relationem ex parte fundamenti in tria genera. In primo genere collocat relationes, quæ fundantur in unitate. Unde secundum Philosophum quorum substantia, seù essentia est una habent relationem identitatis; quorum qualitas est una habent relationem similitudinis; & tandèm quorum quantitas est una habent relationem æqualitatis. Hic etiam collocantur relationes his oppositæ, quę fundantur super multitudinem, seù numerum, ut diversitas, dissimilitudo, & inæqualitas. Ad secundum genus reducit Philosophus relationes, quæ fundantur in actione,

ne, & passione, seù in potentia activa, & passiva, ut paternitas, & filiatio, & generatim omnes relationes causæ, & effectus. In tertio tamen genere assignavit Philosophus relationes mensurę ad mensurabile, scibilis ad scientiam, & sensibilis ad sensum. Sed hoc debet intelligi cum extrema assignantur difformiter, seù unum in actu, & alterum in potentia; aliàs non distinguntur à præcedentibus.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quid sit relatio transcendentalis, & quomodo à prædicamentali differat?

Dicimus 1.° Relatio prędicamentalis, & transcendentalis non distinguntur in eo, quod prædicamentalis requirit terminum realem, & realitèr existentem; secus verò transcendentalis. Est contra aliquos, quos, supresso nomine, citat Villa-Castin. Et prob. quia etiam relatio transcendentalis, quandoque terminatur ad ens actualitèr existens: ergo. Probat. antec. Creatura dicit relationem transcendentalem ad Creatorem; sed hæc exigit terminum, nempè Deum, actualitèr existentem: ergo etiam relatio transcendentalis quandoque terminatur ad ens actualitèr existens.

Dicimus 2.° Relationem prædicamentalem non distingui à transcendentali in hoc, quod prædicamentalis respicit terminum sub ratione puri termini, nullum munus exercendo circa ipsum, sed omninò gratis; transcendentalis verò non respicit terminum, ut purè terminum, sed aliquid efficit circa illum, ut producere ipsum, vel amare &c. est contra Thomistas; & probat. 1.° Creatio est relatio transcendentalis creaturæ ad Deum; & tamen respicit Deum, ut purè terminum, quia creatura nullum munus exercet circa Deum: ergo. 2.° Paternitas est relatio prædicamentalis in omni sententia; & tamen Pater aliquid efficit circa Filium, quia illum producit; immò ipsa relatio est productio actualis: ergo. 3.° Quia

etiam

etiam relationes prædicamentales aliquid efficiunt circa terminum; similitudo enim dicitur assimilare, æqualitas adæquare, servitus subjicere : ergo.

Dicimus 3.° Relatio transcendentalis differt à prædicamentali in hoc, quod transcendentalis identificatur realitèr cum re relata per ipsam; prædicamentales verò sunt accidentia realitèr distincta à re per ipsas relata. Est expresa S. D. in 3. dist. 8. Quæst. unic. §. *tertio ergo*, V. *ad argumentum*, num. 17. Ex quo sic arguitur; *relatio naturæ ad primum efficiens est ei consubstantialis, quia non posset eadem natura esse, nisi haberet relationem ad primum efficiens*; *sed ad secundum efficiens, est relatio tantùm accidentalis, quia posset natura manere eadem sine habitudine ad quodcumque efficiens secundum.* Modo sic; sed relatio creaturæ ad primum efficiens est transcendentalis, & relatio ejusdem ad secundum efficiens est prædicamentalis : ergo prima est consubstantialis, & realitèr identificata cum creatura; secunda verò est accidentalis, & realitèr ab ipsa creatura distincta; sed per hoc sufficientèr, & præcissè assignatur differentia utriusque : ergo.

Sed inquires : quanta sit identitas relationum transcendentalium cum fundamentis? Resp. relationem transcendentalem identificari cum fundamento realitèr, non formalitèr. Prima pars patet ex dictis. Secunda verò est principium metaphysicum in nostra Scola, nullum respectum posse includi in conceptu quidditativo, & formali absoluti; nam ut ait D. Aug. 7. de Trinit. cap. 2. *Omne, quod relativè dicitur, est aliquid excepto relativo.* Probat. tamen ratione; eadem omnino entitas per eumdem formalissimum conceptum non potest esse simùl absoluta, & relativa; aliàs esset simùl formalitèr ad se, & non ad se, ad aliud, & non ad aliud, quod impliçat; sed si esset idem formalissimè, esset simùl absoluta, & relativa, ad se, & non ad se, ad aliud, & non ad aliud: ergo formalitas relativa non potest esse de conceptu quidditativo formalitatis absolutæ; & consequentèr relatio transcendentalis, esto sit idem realitèr cum fun-

damento, formalitèr ab illo distinguitur.

Objic. 1.° Probando relationem trancendentalem distingui realitèr à fundamento; dependentia essentialis inffert distinctionem realem inter dependens, & illud, à quo dependet; sed relatio transcendentalis essentialitèr dependet à fundamento: ergo realitèr distinguitur ab illo. Resp. dist. maj. dependentia essentialis propriè talis, per physicum, & realem inffluxum, conc. maj. impropria, & per dimanationem metaphysicam, neg. maj. & dist. min. in versis terminis, neg. conseq. Nam etiam passiones dimanant ab essentia, nec tamen ab illa distinguntur realitèr.

Objic. 2.° Probando non distingui formalitèr: entitas creata includit essentialitèr, & quidditativè dependentiam ad Deum: ergo relatio dependentiæ est formalitèr idem cum illa. Probat. antec. Talis entitas secundum suum formalem conceptum, vel est dependens à Deo, vel independens? Non secundum: ergo primum; & consequentèr relatio dependentiæ includitur in conceptu essentiali talis entitatis. Resp. neg. antec. ad prob. dicimus, quod talis entitas, secundum suum formalem conceptum, neque est dependens, nec independens formalitèr; sed est dependens fundamentalitèr, quia ipsi debetur formalis dependentia; sicut homo formalitèr, nec est risibilis, nec non risibilis, in primo modo dicendi per se, sed tantùm radicalitèr, quatenùs in secundo signo ei debetur risibilitas. Ita solvit Mastrius eruditione ejus assueta.

QUÆSTIO TERTIA.

Quid sit, & in quo consistat relatio hujus prædicamenti?

Relatio hujus prædicamenti sic in principiis D. S. definiri debet: *Est accidens reale, intrinsecùs adveniens, cujus totum suum esse, est ad aliud se habere.* In relatione ergo reperitur conceptus *in*, communis sibi, & aliis accidentibus, cum enim relatio verè sit accidens, neces-

sa-

sariò debet esse in subjecto inhæssionis. Cæterum, quia relatio non solùm est accidens, sed etiam tale accidens; ideò duæ habitudines essendi *in*, sunt in illa distinguendæ, una ad fundamentum sub ratione subjecti, in quantum est accidens, quæ propriè dicitur inhærentia; alia ad fundamentum reduplicativè, sub ratione fundamenti, in quantum est relatio; quæ, utpotè separabiles, reverà sunt distinctæ; illa enim non reperitur in Divinis relationibus, benè verò ista. Relatio etiam importat essentialitèr conceptum *ad*; nam omnes cum Arist. essentiam relationis explicant per hoc, quod est esse ad aliud. Quibus suppositis,

Dicimus 1.° Esse *in*, velut in subjecto inhæssionis, est de essentia relationis, non tanquam ratio differentialis, & propria, sed tanquam ratio generica, & communis. Prob. 1. pars: relatio essentialitèr est accidens; sed accidens essentialitèr importat esse in subjecto inhæssionis: ergo relatio essentialitèr includit conceptum essendi *in*, tanquam in subjecto inhæssionis. Secunda verò pars ostenditur; nequit res differentialitèr constitui, per aliquod prædicatum commune sibi, & aliis specie distinctis; sed esse *in* tanquam in subjecto inhæssionis, est prædicatum commune relationi, & accidentibus absolutis: ergo.

Dicimus 2.° Relatio differentialitèr, & propriè constituitur per esse *ad*, & per esse *in*, tanquam in fundamento. Ita expresse D. S. in 1. dist. 12. Quæst. 1. §. *Secunda conclus.* num. 8. & prob. relatio formalitèr ut talis essentialitèr est habitudo inter duo extrema: ergo formalitèr ut talis æquè essentialitèr petit fundari, & terminari; sed ut fundata explicat conceptum essendi *in*, tanquam in fundamento, & ut terminata explicat esse *ad* terminum: ergo æquè essentialitèr includit conceptum *ad*, & conceptum *in*, in sensu explicato. Confirmatur; respectus formalitèr, ut talis requirit cujus sit, & ad quod sit: ergo respectus, ut respectus non minus essentialitèr petit fundari, quam terminari, & consequentèr essentialitèr includit utramque habitudinem, ad fundamentum, & terminum.

Ob-

Objic. 1.° Arist. deffinit relationem per esse *ad*, & non per esse *in*: ergo relatio non constituitur per esse *in*. 2.° Si utraque habitudo esset de essentia relationis, sequeretur relationem esse unum per accidens; sed hoc est falsum: ergo. Probat. seq. duo non possunt facere unum per se, nisi uniantur per modum actus, & potentiæ; sed prædictæ habitudines non sic uniuntur, cum utraque sit actus, ut constat: ergo relatio esset unum per accidens. Resp. ad primum; Arist. explicuisse relationem per esse *ad*, non excludendo esse *in*, sed illud supponendo, ut manifestum, quia implicat relationem esse ordinem ad aliud, quin sit ordo alicujus ad illud. Ad secundum neg. seq. Ad prob. dicimus, nos non velle, esse duplicem habitudinem formalitèr distinctam; sed tantùm per conceptus inadæquatos. Est ergo unica simplex habitudo in fundamento fundata, & terminata ad terminum; cui habitudini æquè essentiale est fundari, & terminari, quia æquè primo respicit duo extrema.

Inquires tamen hic; à quo sumat relatio extrinsecam unitatem, vel distinctionem specificam? Et dicimus unitas specifica relationum desumitur ab unitate utriusque, scilicèt, fundamenti, & termini simùl; distinctio verò specifica sumi potest à quolibet disjunctim. Utraque pars prob. ex D. S. in 2. dist. 1. Quæst. 5. §. *Dico tunc*, ℣. *Vel potest*, num. 6. ubi ait: *Quæcumque enim differentia* (loquitur de differentia extrinseca) *sufficit ad distinguendum; sed non quæcumque identitas sufficit ad perfectam identitatem aliquorum*: ergo ad unitatem specificam relationis requiritur unitas utriusque, nempè fundamenti, & termini; ad distinctionem verò sufficit diversitas cujuslibet. Patet hoc in creatura, quæ fundat relationes dependentiæ ad causas alteriùs rationis v. gr. ad Deum, & ad causam secundam; & è contrà potest terminare dependentias specie diversas, v. gr. concursum viri, & fœminæ, qui (ut docet Scotus) sunt alteriùs rationis: ergo stante unitate fundamenti, aut termini formalitèr sumpti, stat diversitas specifica relationum.

QUÆS-

QUÆSTIO QUARTA.

An relatio hujus prædicamenti distinguatur realitèr à fundamento, termino, & ratione fundandi?

In hac percelebri quæstione 1. sententia est Nominalium asserentium, relationes prædicamentales consistere in collectione, seù agregatione fundamenti, & termini, seù potius in denominatione ex combinatione utriusque desumpta. Secunda sententia tenet, relationem prædicamentalem esse intimè identificatam cum fundamento, ita ut illius essentia in solo fundamento consistat; terminus autem sit conditio necessariò requisita, ut denominet ipsum fundamentum relatum ad terminum. Hanc tuentur Connotati (ita appellati, quia essentiam ponunt relationis præcisè in fundamento cum connotatione ad terminum.) At nos

Dicimus: Relatio prædicamentalis est forma accidentalis distincta realitèr à fundamento, termino, & ratione fundandi. Ita DD. Ang. & Subt. cum discipulis. Hanc conclus. probabimus rationibus S. D. in 2. dist. 1. Quæst. 4. §. *Contra istam opinionem* per totam, quæ quidem efficacissimæ sunt. Et prob. 1.° auctoritate S. Ambros. 1. de Trinit. cap. 5. dicentis: *Si priùs erat Deus, & postea Pater; generationis accessione mutatus est; avertat Deus hanc dementiam à fidelium mentibus*: ergo implicat aliquem modo non esse patrem, & postea patrem absque sui mutatione; sed Petrus, v. gr. qui non est pater, posteà fit pater: ergo præcissè quia fit pater, adest aliqua mutatio in ipso; sed hoc non potest esse, si relatio est idem cum fundamento, & solùm requirit terminum ad denominandum: ergo. Prob. subsumpt. si entitas relationis est idem cum fundamento, quando Petrus dicitur pater, sola advenit denominatio nova, absque aliqua nova entitate; sed hoc non sufficit ad mutationem, ut patet in actibus liberis Dei: ergo.

Secundo prob. S. D. si relatio est idem cum fundamento, quo majus, & perffectius est fundamentum, ma-

jor,

jor, & perffectior erit relatio; sed hoc est falsum: ergo. Maj. est certa, nam si entitas fundamenti est entitas relationis, quo major fuerit entitas fundamenti, major quoque erit entitas relationis. Min. verò prob. duæ albedines intensæ ut octo, aut duæ quantitates ulnares, sunt majores, & perffectiores, quam duæ albedines intensæ ut quatuor, aut duæ quantitates palmares; sed tamen duæ albedines intensæ ut octo, non sunt magis similes, quam duæ albedines intensæ ut quatuor, nec duæ quantitates ulnares sunt magis æquales, quam duæ quantitates palmares, cum istæ relationes consistant in indivisibili, nec suscipiant magis, aut minus: ergo entitas relationis non est idem, sed distincta ab entitate fundamenti.

Tertio prob. ex eodem; si relationes sunt idem cum fundamento, quanto fundamenta plus differunt inter se, tanto plus differunt relationes; sed hoc est falsum; nam æqualitas, quæ fundatur in quantitate, & similitudo, quæ fundatur in qualitate minus differunt, quam similitudo, quæ fundatur super unum calorem ad alium, & productio unius caloris respectu alterius; cum illæ relationes sint unius generis, scilicèt, primi, istæ verò sint alterius generis: ergo.

Explicatur hoc: implicat quod relatio similitudinis, & relatio æqualitatis identifficentur inter se; nam una fundatur super qualitatem, & alia super quantitatem, quæ sunt accidentia diversa: ergo implicat etiam, quod similitudo, & relatio producentis sint inter se idem. Patet conseq. quia magis repugnat, esse idem ea, quæ sunt diversi generis, ut sunt similitudo, & productio; quam illa, quæ sunt ejusdem generis, ut sunt similitudo, & æqualitas: ergo implicat, quod similitudo unius caloris ad alium, & productio ejusdem ad ipsum sint idem inter se; sed si utraque relatio esset entitas fundamenti, entitas unius esset entitas alterius: nam quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se: ergo entitas similitudinis, & entitas productionis activæ, non sunt idem realitèr cum calore, sed ab illo distincte.

Quar-

Quarto prob. etiam ex eodem: nihil finitum potest continere per identitatem opposita formalitèr; sed æqualitas, & inæqualitas, similitudo, & dissimilitudo sunt opposita formalitèr, saltim respectu ejusdem: ergo non possunt contineri per identitatem in eodem fundamento: ergo distinguntur realitèr ab ipso. Urgetur, & præcluditur responsio Suarez, in creatura propter ejus limitationem non potest concedi, quod eadem entitas actus voluntatis sit volitio, & nolitio, amor, & odium, cum sola variatione terminorum; quia hæc sunt opposita formalitèr: ergo neque id concedi potest de similitudine, & dissimilitudine; aliàs posset utrumque substineri, recurrendo ad exemplum de actu libero Dei, quod fieri non decet.

Objic. 1.° Superfluit relatio superaddicta: ergo: patet antec. unum album esse simile alteri albo in albedine, nihil est aliud, quam unum esse album, & alterum etiam esse album; unum autem album esse dissimile nigro, nil aliud est, quam in uno esse albedinem, & nigredinem in altero. Denique, hominem esse diversum à lapide, nihil aliud est, quam hominem non esse essentialitèr lapidem: ergo &c. Resp. neg. antec. Ad prob. neg. ant. nam duo alba antecedenter, & præcissa relatione, sunt similia tantùm fundamentalitèr, non verò formalitèr; nam hoc secundum habent à relatione superaddicta. Idem dic de aliis exemplis.

Objic. 2.° Nihil reale novum potest esse sinè causa reali; sed similitudo v. gr. quæ de novo produceretur in albo, non habet aliquam causam realem, non enim potest assignari, quænam illa sit: ergo non datur talis similitudo distincta ab extremis. Resp. conced. maj. neg. min. Nam relatio proximè, & immediatè producitur à solo fundamento (posito tamen termino, tanquam conditione necessariò prærequissita) per resultantiam quandam, & naturalem sequelam, quæ tamen non excludit veram efficientiam; sicut descensus in lapide dicitur naturalitèr resultare ex ipsa lapidis gravitate, ad quam resultantiam concurrit removens, prohibens, tanquam conditio sine qua non.

Ob-

Objic. 3.° Si relatio distinguitur ab extremis, sequeretur, quod duo alba simùl existentia possent esse sinè similitudine, cum enim sint priora tali relatione, poterunt ab illa separari; vel si separari non possunt, nullum erit signum distinctionis realis. Resp. permittendo gratis, extrema posse separari à relatione; quid inde? Tunc utique non essent similia formalitèr, sed tantùm fundamentalitèr, ut diximus. Sed reverà censemus, nec relationem posse esse sinè extremis, adhuc divinitus, ob essentialem dependentiam ab eis, nec extrema simùl sumpta possent esse sinè relatione. Sicut quantitàs nequit esse sinè aliqua figura, estò ab ea realitèr distinguatur.

Objic. 4.° Si relatio esset distincta à fundamento, producta gratia habituali, produceretur in omnibus entibus existentibus relatio diversitatis ad gratiam; sed hoc est absurdum, quia illæ relationes, vel essent in omnibus supernaturales, vel saltim coëxigerent ad sui conservationem aliquod ens supernaturale, quod est impossibile: ergo. Resp. conces. maj. neg. min. Ad prob. resp. tales relationes esse naturales entitativè; supernaturales verò terminativè. Nec est impossibile, quod ens naturale coëxigat ad sui conservationem ens supernaturale, non ut supernaturale est, sed ut stat sub modo naturali. Nam gratia ut fundans, & terminans relationem diversitatis, non explicat modum supernaturalem, sed naturalem, & communem cæteris rebus naturalibus.

QUÆSTIO QUINTA.

An una relatio possit esse fundamentum alterius?

Sensus quæst. est, an sicut unum album, v. gr. refferetur ad aliud per relationem identitatis, seù similitudinis superaddictam, ita etiam relatio paternitatis, v. gr. refferatur ad aliam paternitatem per aliam relationem identitatis, aut per relationem diversitatis ad filiationem, & alias relationes diversæ nationis? Negant Thomis-

mistæ cum Angelic. Præcept. 1. Part. Quęst. 46. art. 1. Nos verò

Dicimus cum S. D. in 2. dist. 1. Quęst. 4. §. *ad quęstionem istam*, ℣. *ad istud respondeo*, num. 24. & alibi frequentèr; ejusque Discipulis, & aliis pluribus extraneis apud Mast. videndis, unam relationem benè posse esse fundamentum alteriùs. Prob. 1.° ex Philosopho 10. metaph. text. 2. dicente: omne ens alteri comparatum, vel est idem, vel diversum; sed duæ relationes sunt duo entia realia: ergo inter se comparatæ, vel sunt eædem, vel diversæ: ergo fundare possunt relationes identitatis, vel diversitatis.

Secundo prob. ratione: ubi est convenientia in essentia, ibi est sufficiens fundamentum identitatis; sed duæ paternitates, v. gr. & duæ similitudines habent convenientiam in essentia: ergo sicut duo homines, v. gr. propter convenientiam in essentia fundant relationem identitatis ipsis superaddictam, similitèr duæ paternitates, & duæ similitudines fundabunt relationem identitatis ipsis superaddictam.

Respondent Thomistæ: negando relationem refferri, aut esse eandem, vel diversam per aliam relationem superaddictam, quia relatio est modus rei, & modus non habet modum in genere, in quo modificat, nam in quocumque genere id, quo aliquid est tale, se ipso, & non per aliquid aliud est tale; & ideò actionis non datur actio, nec unionis unio. Sed contrà; licèt modi non detur modus in eodem genere, in quo ipse modificat, datur tamen in diverso genere; sed paternitas est modus in suo genere determinato, & non in genere identitatis, aut diversitatis; quia solùm est *quo* constituens patrem, non verò constituens simile, aut diversum: ergo licèt non in genere paternitatis, in alio tamen genere indiget alio modo, seù relatione, ut talis denominetur. Et ideò licèt unionis non detur unio, qua uniatur, datur tamen actio, qua producatur; & licèt actionis non detur actio, datur verò distinctio, qua distinguatur.

Objic. 1.° Si una relatio fundaret aliam, daretur proces-

cessus in infinitum; nam si duæ paternitates fundant relationem similitudinis, vel potiùs identitatis, hæc identitas fundaret aliam identitatem, & rursus hæc aliam, & sic in infinitum: ergo. Resp. neg. seq. Nam in processu relationum datur status; aliquando enim deveniendum est ad aliquam relationem, quæ nequeat esse sinè suo termino, vel in illa linea sit *quo*, & non talis per aliud. Sit exemplum, paternitas, v. gr. Joannis, reffertur per relationem identitatis superaddictam ad paternitatem Petri; at verò illa relatio identitatis, se ipsa, & non per aliam superaddictam reffertur ad aliam relationem identitatis, fundatam in paternitate Petri; quia nequit existere relatio identitatis fundata in paternitate Joannis, quin existat alia relatio identitatis fundata in paternitate Petri, vel ut potiùs loquamur: identitas non est idem in concreto cum alia identitate, quia in genere identificandi est ita *quo*, ut nequeat esse *quod*.

Objic. 2.° Licèt identitas, quæ est in paternitate Joannis, non possit existere sinè identitate, quæ est in paternitate Petri, potest tamen existere sinè identitate, quæ est in paternitate Antonii: ergo ad istam refferri debet per relationem superaddictam, præsertim in sententia D. S. qui relationes multiplicat ad multiplicationem terminorum. Resp. conc. antec. neg. conseq. Nam ad multiplicandas novas relationes, non sufficit, quod adveniat novus terminus; sed requiritur, quod per illum terminum, & suam relationem adveniat nova denominatio diversæ rationis. Undè duæ conditiones requiruntur ad novam relationem ponendam. 1. Quod subjectum, cui advenit, possit esse sinè illa, & suo termino, qua ratione in patre ponitur nova relatio ad novum filium; quia licèt denominatio non sit diversæ rationis, tamen pater potest esse sinè novo filio, & sinè relatione ad illum. 2. Quod denominatio adveniens sit diversæ rationis, & denominatum non sit *quo* in illa linea. Undè licèt identitas, quæ est inter paternitatem Petri, & Pauli possit esse sinè denominatione identitatis cum illa, quæ est inter paternitatem Francisci, & Antonii; non ideò de-

debet poni nova relatio, ut denominetur idem cum illa, quia identitas est ita *quo*, ut nequeat esse *quod* per aliam; sed per se ipsam reffertur ad quemcumque terminum de novo advenientem, quia in illo genere semper est ratio formalis refferendi.

QUÆSTIO SEXTA.

An multiplicatis numero terminis, multiplicentur numero relationes in eodem fundamento?

Supponit quæst. debere multiplicari relationes, quando termini formales sunt specie distincti; nam idem homo reffertur relatione identitatis ad alium hominem, & relatione diversitatis ad lapidem, relatione filiationis ad parentem, & paternitatis ad filium. Et solùm procedit de numerica multiplicatione terminorum; an, scilicèt, unum album, v. gr. refferatur ad plura alba, & unus pater ad plures filios unica numero relatione; an verò tot sint numero relationes in fundamento, quot sunt termiui numero distincti? Negativam partem defendunt Thomistæ. At

Dicendum est cum S. D. in 3. dist. 8. Q. unic. per totam, quem sequuntur omnes Discip. & alii extranei, relationes multiplicari numero, multiplicatis numero terminis. Prob. quando pater producit de novo unum filium, resultat in ipso relatio paternitatis: ergo quando producit alium filium, resultat eò ipso alia relatio paternitatis. Prob. conseq. quia relativa debent esse simùl tempore, natura, & cognitione secundum Philosophum; sed hoc esset falsum, si non essent plures paternitates in patre; nam priùs tempore esset paternitas respectu primi filii, quam esset filiatio secundi filii: ergo. Confirmatur; prima paternitas non potest refferre patrem ad secundum filium: ergo ad hoc munus præstandum ponenda est secunda paternitas. Prob. antec. prima paternitas non potest refferre patrem, nisi ad suum terminum; sed secundus filius non est terminus primæ

pa-

paternitatis: ergo. Prob. min. Relatio intrinsecus adveniens nequit esse sinè suo termino; sed illa prima paternitas erat sinè secundo filio: ergo secundus filius non est terminus primæ paternitatis.

Respondent Thomistæ, ad productionem secundi filii non resultare novam relationem paternitatis, sed primam extendi per novam explicationem entitatis præexistentis, aut per novam denominationem desumptam ex existentia novi termini. Sed contra primo, nequit extendi prima paternitas ad secundum filium per eamdem præcissè terminationem, qua respiciebat primum: ergo debet extendi per aliam terminationem; sed hæc terminatio est nova relatio: ergo. Prob. subsumpt. illa terminatio est aliquid novum, absque fictione intellectus; sed non est quid absolutum: ergo est quid relativum, seù relatio nova. Contra 2.° paternitas fundatur super generationem, vel sequitur illam necessariò; sed pater non attingit secundum filium, per extensionem prioris generationis, sed per generationem novam: ergo nec extenditur ad illum per priorem paternitatem, sed per aliam novam.

Objic. 1.° Non sunt multiplicandæ entitates sinè necessitate; sed nulla est necessitas ponendi plures paternitates v. gr. in eodem patre: ergo non sunt ponendæ. Prob. min. 1.° Habitus non multiplicantur numero in eadem potentia, quamvis numero multiplicentur actus scientifici. 2.° Genus unica relatione respicit plures species. 3.° Eadem numero potentia generativa respicit plures filios. 4.° Filius unica relatione reffertur ad patrem, & matrem. 5.° Quando plures filii nascuntur ex eodem partu relatio patris non potest esse nisi unica, quia in eadem actione fundatur: ergo etiam quando per plures actiones producuntur; nam per accidens est, quod potentia generativa reducatur ad actum per unam actionem, vel plures.

Resp. ad argum. conc. maj. & neg. min. Quia magna est necessitas ponendi hujusmodi relationes; implicat enim unicum relativum refferri unica relatione ad plures

ter-

terminos totales. Undè ad primam instantiam assigna tur disparitas; nam benè potest aliquid respicere plura in actu primo, & per modum potentiæ, uti respicit habitus; non tamen in actu secundo, & exercito, sicut relatio respicit. Ad 2. genus de sua ratione formali respicit plura, ac proindè nulla species seorsim potest esse terminus totalis, & adęquatus illius, aliàs non esset natura superior ad species; at relatio de qua loquimur, non respicit plures terminos, sed unum tantùm. Ad 3. potentia generativa antecedentèr ad actum secundum, habet pro termino inadæquato quemlibet filium, quia dicit relationem transcendentalem ad alios; at in actu secundo respicit quemlibet, ut terminum adæquatum actualis productionis. Ad 4. dicimus, filium dicere duas relationes, quarum una indivisibilitèr respicit patrem, & alia matrem, nam una manet altera pereunte, si alter parentum moriatur. Ad 5. cum plures filii nascuntur ex eodem partu, non unica actione, sed multiplici generantur, & sic terminant multiplicem paternitatem.

Objic. 2.° Plura accidentia solo numero distincta nequeunt esse in eodem subjecto: ergo nec plures relationes. Prob. antec. distinctio numerica accidentium desumitur à subjecto; sed idem numero subjectum nequit præstare pluralitatem numeralem: ergo. Resp. neg. ant. & illius probat. Accidentia namque non individuantur per subjectum, sed per proprias hæcceitates formalitèr, ut alibi dicemus.

QUÆSTIO SEPTIMA.

An relatio prædicamentalis terminetur formalitèr ad absolutum, an verò ad respectivum?

Quod inquirimus est: an relatio paternitatis, v. gr. terminetur ad relationem filiationis, quæ est in filio; an verò terminetur ad ipsum filium, qui relationis filiationis est fundamentum? Si primum, relatio terminabitur ad respectivum. Si secundum terminabitur ad absolutum. In qua Di-

Dicimus 1.° Relationes non mutuas terminari formalitèr ad absolutum, non ad relativum. Ita S. D. in 1. dist. 26. §. *Tenendo*, ℣. *ad tertium*, num. 43. & dist. 30. Quæst. 2. §. *Respondeo ad primam quæst.* ℣. *Hoc etiam per tot.* & omnes Scotistæ, & Suaristæ, immò & plures Thomistæ. Prob. relationes non mutuæ terminantur ad terminum, in quo nulla est relatio; sed terminus, in quo nulla est relatio, non potest terminare secundum rationem relativam, sed absolutam: ergo relationes non mutuæ non terminantur formalitèr ad relativum, sed ad absolutum. Explicatur hoc exemplo deducto ex principiis Thomist. nam secundum ipsos Virgo Beatissima dicit relationem maternitatis ad Christum Dominum, Christus autem Dominus, nullam relationem dicit ad matrem; & ideò relatio illa est non mutua apud illos: ergo si in Christo Domino, nulla est relatio ad Matrem Virg. relatio Maternitatis non poterit terminari ad respectivum: ergo terminatur ad absolutum.

Dicimus 2.° Etiam relationes mutuæ terminantur formalitèr ad absolutum, non ad relativum. Ita etiam S. D. nuper cit. quem sequuntur præter discipulos, plures Suaristæ: immò celebres Thomistæ Didacus à Jesu, Capreol. Soncin. Soto, & novissimè Palanc. qui illam satis eruditè propugnat. Prob. 1.° à priori; id, quod in uno extremo est ratio fundandi propriam relationem, est etiam ratio in altero terminandi; sed unum extremum relationem fundat secundum esse absolutum: ergo etiam terminus illam secundum esse absolutum terminat. Prob. maj. ratio fundandi est illa, per quam redditur ratio, cur hoc extremum fundet relationem respectu illius termini; & ratio terminandi est ea, per quam redditur ratio, cur terminus terminet eamdem relationem; sed eadem ratio redditur ex parte utriusque extremi: ergo. Prob. min. Non inquirenti, quare hic paries fundet relationem similitudinis ad alium? Rectè resp. quia hic est albus. Et inquirenti, quare ille paries terminet relationem istius? Nam resp. quia ille habet in se relationem ad illum, sed quia etiam in se est albus: ergo

ea-

eadem ratio dicitur ex parte utriusque extremi; & consequentèr si ratio fundandi est absoluta, ut supponimus, etiam erit absoluta ratio terminandi.

Prob. 2.° Relatio paternitatis, v. gr. quæ est in patre, respicit ut terminum formalem id quod pater per generationem genuit; sed pater solùm genuit substantiam absolutam filii, non autem relationem filiationis, hæc enim resultat ex filio: ergo relatio paternitatis non habet pro termino formali filiationem, sed substantiam absolutam geniti. Confirmatur; omnis relatio prę̨supponit terminum formalem, quem respicit: ergo si paternitas respicit filiationem, ut terminum formalem, paternitas supponit filiationem, & filiatio erit prior; aliàs autem filiatio supponit paternitatem ut terminum ipsius formalem: ergo & paternitas erit prior relatione: ergo utraque erit prior, & posterior altera, quod implicat.

Prob. 3.° Paritate ex Maternitate Divæ Virg. desumpta: Maternitas Virg. terminatur ad absolutum: ergo etiam maternitas cujuslibet alteriùs matris. Prob. conseq. eadem specificè est maternitas in Beatissima Virg. in qua per vos non est relatio mutua, ac in cæteris matribus, in quibus mutua est; sed relatio specificè eadem debet respicere eundem terminum formalem; nam variato termino formali, necessariò variatur essentia specifica relationis: ergo relatio maternitatis in cæteris matribus eundem terminum formalem respicit, ac in Beatissima Virg. ergo si hæc terminatur ad absolutum, etiam aliæ maternitates ad absolutum terminari debent.

Confirmatur; relatio Virg. Matris non est supernaturalis, sed naturalis; nam Beatissima Virg. est vera, & naturalis Mater Christi Dñi. quo ad substantiam, licèt fuerit supernaturalis, & miraculosa quo ad modum, ut ait S. D. in 3. dist. 4. §. *Sed est ne concedendum*, n. 14. sed relatio maternitatis naturalis est ejusdem speciei cum cæteris maternitatibus: ergo debent habere omnes maternitates eumdem terminum: ergo si hæc terminatur ad absolutum, etiam, & aliæ. Probat. hæc conseq.

im-

implicat, quod existat relatio ex parte subjecti, deficiente ejus termino formali; sed potest existere relatio maternitatis, deficiente relatione filiationis: ergo relatio maternitatis non terminatur formalitèr ad relationem filiationis. Vid. Palanc. qui hanc rationem (priùs à S. D. contra Thomistas ad hominem objectam) latè prosequitur, & quasdam evasiones benè refellit.

Objic. 1.° Relationes Divinæ terminantur ad respectivum formalitèr: ergo etiam creatæ. Patet conseq. quia cum relationes creatæ sint participationes Divinarum, eodem modo in creatis pater respicit filium, ac in Divinis. Resp. conc. antec. neg. conseq. & ratio disparitatis est, quia Pater Æternus, & Filius, qui refferuntur relatione paternitatis, & filiationis, constituuntur in esse Personarum per ipsasmet relationes. Nam Pater producit Verbum formalitèr ut Filium. At verò in creatis relatio est superaddicta fundamento, & filius creatus, qui producitur, non producitur à generante formalitèr ut filius est; sed postquam est productus à suo principio, resultat relatio superveniens genito, jam in esse geniti constituto, quia in creatis ad absolutum in causa sequitur absolutum in effectu.

Objic. 2.° Juxta Philosophum si à servo auferantur omnia alia, relicto, quod servus sit, ad illum erit relatio Domini, quæ relatio non poterit subsistere, si talis ratio à servo auferatur, etiam si reliqua remaneant: ergo secundum Philosophum tota ratio terminandi relationem, quam dicit Dominus ad servum, est servitus: ergo est quid respectivum. Resp. conc. antec. neg. cons. quæ ex doctrina Arist. minimè inffertur; nam relicto in servo hoc, quod est esse servum, cæterisque circumscriptis, remanet in ipso, & relatio servitutis, & substantia ipsius, quæ est subjectum prædictę relationis, & terminus relationis, quam Dominus dicit ad ipsum.

Objic. 3.° Relativa, v. gr. Pater, & Filius sunt simùl natura, & cognitione; sed si una relatio non terminatur ad aliam, v. gr. paternitas ad filiationem, & è contrà, correlativa formalitèr ut talia, scilicèt, Pater,

& Filius, non essent simùl natura, & cognitione; sed unum posset cognosci sinè alio, nullam enim conexionem habèrent: ergo una relatio formalitèr ad aliam terminatur. Resp. ad argum. relativa formalitèr ut talia, id est, ipsasmet relationes, esse simùl natura, & cognitione, non quia una relatio terminetur formalitèr ad aliam; sed quia causæ ponentes illas in esse, & determinantes intellectum ad cognoscendum illas sunt simùl ut actu causantes. Quapropter in hypotesi, quod ponatur una in rerum natura, ponitur & altera, & eo ipso, quod cognoscatur una, necessariò cognoscitur, & altera.

Hic denique pro hujus tractatus complemento est advertendum 1.° Subjectum relationis debere esse ens reale; nam accidens reale, qualis est relatio nequit fundari, aut subjectari in ente rationis. 2.° Relationem prædicamentalem etiam in substantia fundari posse; sicut enim æqualitas in quantitate, & similitudo in qualitate, ita etiam in essentia, seù substantia fundatur identitas. 3.° Relationem prædicamentalem exigere terminum actualitèr existentem; aliàs non esset accidens à fundamento separabile; nequiret enim fundamentum esse sinè illa, sicut nec sinè termino possibili. 4.° Extrema hujus relationis debere esse realitèr distincta, ut enim constat ex proloquio: *Nihil potest ad se ipsum realitèr refferri*; & ex oppositione relativa inter Personas Divinas colligunt PP. & Theologi realem distinctionem illarum.

5.° Relationes reales non postulare fundamenta proxima, seù rationes fundandi realitèr distinctas, ac proindè si una numero albedo esset in duobus subjectis, illa essent realitèr similia; quia essent duo alba, & duo alba sunt realitèr similia. 6.° In hoc prædicamento esse unicum genus supremum, scilicèt, relationem intrinsecus advenientem in communi, ut ait D. S. Quæst. 25. prædicament. & Porphyr. cap. de Specie. 7.° & ultimo est advertendum, quinque esse relativorum proprietates. Prima *habere contrarium*; quod intellige fundamentalitèr, ratione enim relationis formalitèr acceptæ solùm

relativè opponuntur. Secunda, *suscipere magis, & minus*; & hæc etiam solùm convenit relationi ratione fundamenti. Tertia, *dici ad convertentiam*; nam *Dominus dicitur servi Dominus, & servus dicitur Domini servus.* Quarta, *quod sint simùl natura*, id est, simùl existentia, ita ut uno existente, aliud etiam existere sit necesse. Quinta, *quod sint simùl cognitione*; quia cum correllativa essentialitèr sint in ordine ad aliud, non potest unum essentialitèr cognosci, quin cognoscatur aliud. Unde ex hac proprietate sequitur alia, nempè, *quod sint simùl definitione*; nam unum definitur per aliud, & è converso.

DISPUTATIO OCTAVA.

De Sex ultimis prædicamentis.

QUÆSTIO UNICA.

Quid formalitèr importent sex ultima prædicamenta, & quæ sint eorum definitiones?

Dicimus 1.° Dantur relationes extrinsecus advenientes in sensu sup. explicato. Ita S. D. in 3. dist. 1. Q. 1. §. *Ad aliud in oppositum*, num. 14. & aliis in locis cum Discipulis, & aliis extraneis contra plures Thomistas. Prob. datur unio inter materiam, & formam; sed talis unio est hujusmodi relatio: ergo datur relatio extrinsecus adveniens. Prob. min. unio est aliquid reale, cujus totum suum esse est ac aliud se habere: ergo est essentialitèr relatio; non intrinsecus adveniens, ut constat, non enim sequitur necessario positis extremis, ut videtur in corpore ab anima separato existente: ergo est relatio extrinsecus adveniens.

Dicimus 2.° Sex ultima prædicamenta formalitèr solùm important respectum extrinsecus advenientem. Ita S. D. ubi sup. Prob. quia quod nequit intelligi sinè ordine, & habitudine ad aliud, non est quid absolutum, sed respectivum; sed sex ultima prædicamenta nequeunt con-

concipi formalitèr loquendo sinè ordine ad aliud, ut ex dicendis constabit: ergo formalitèr sunt quid relativum. Modo sic; sed hujusmodi relatio, non consurgit necessariò possitis extremis, sed ultra extrema petunt aliquod extrinsecum, ut relatio resultet, scilicèt, aproximationem, nam *ubi*, v. gr. non resultat ex natura extremorum, & sic de cæteris, ut patet: ergo non sunt intrinsecus, sed extrinsecus advenientes.

Nunc ergo, eorum definitiones singularitèr assignantes, fatemur, Gilbertum Porretanum (qui est auctor sex principiorum) sic definire *Actionem* quintum prædicamentum: *Est illa, secundum quam in id, quod subjicitur agere dicimur.* Sed clariùs: *Est relatio extrinsecus adveniens transmutantis ad trasmutatum*; vel ut ait S. D. *Est respectus ipsius agentis ad passum, quo agens dicitur formalitèr agens.* Dividitur verò actio in *Immanentem, qua idem se ipsum immutat*, ut actio, qua aqua calida se redducit ad pristinam frigiditatem; & in *Transeuntem, quæ transiit in exteriorem materiam, ut calefacere, siccare, &c. Passio* autem sic definitur à Gilb. *Est effectus, illatioque actionis, ut oppositus actioni*; potestque definiri; *est respectus passi ad agens.* Seù *est relatio extrinsecus adveniens transmutati ad transmutans.*

Deindè *Ubi* sic à Gilbert. definitur: *Ubi est circumscriptio passiva à circumscriptione loci, vel spatii proveniens.* Sed hic solùm *Ubi* passivum definitur, non verò activum; utrumque autem sic definiri valet: *Est relatio extrinsecus adveniens inter locum, & rem locatam. Situs* ita definitur à Gilb. *Est positio partium rei corporeæ, & generationis ordinatio*; & hic est *Situs* pasivus. In communi ergo, & clariùs definitur: *Situs est respectus extrinsecus adveniens inter partes loci, & partes locati. Quando*, ait Gilbert. *esse id, quod ex adjacentia temporis in re temporali derelinquitur*; qua solùm *Quando* passivum definit; utrumque ergo tàm activum, quàm passivum hac unica definitione explicatur: *Est respectus extrinsecus adveniens inter rem temporalem, & tempus.* Denique *Habitus* definitur à Gilberto. *Habitus est cor-*

po-

porum, & eorum, quæ circa corpus sunt adjacentia; id est, *Est mutua quædam habitudo, seù relatio extrinsecus adveniens corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt adjacentia.* Unde relatio corporis ad vestem dicitur *Habitus* activus, & relatio vestis ad corpus dicitur *Habitus* passivus. Et hæc sufficiant de 1.° lib. quapropter sit

LIBER SECUNDUS LOGIC. MAGNÆ.

DISPUTATIO PRIMA.

De Veritate, & falsitate propositionum.

QUÆSTIO PRIMA.

In qua aliqua dubia circa veritatem, & falsitatem propositionum ennodantur.

Dubitabis 1.° An veritas sit intrinsecè in conceptu formali, an verò in objecto cognito? Resp. veritatem formalitèr, & intrinsecè reperiri in conceptu formali, seù cognitione; in objecto verò solùm extrinsecè, & terminativè. Ita S. D. quodlib. 18. §. *de tertio principali*, ℣. *ad primum*, n. 14. & prob. in eo est veritas formalis intrinsecè, quod denominatur intrinsecè verùm; sed cognitio denominatur intrinsecè verà: ergo veritas est intrinsecè in cognitione. Confirmatur; sicut objectum dicitur visum à visione, ita ab eadem dicitur benè, & perfectè visum: ergo sicut objectum dicitur intellectum ab intellectione, ita dicitur benè intellectum ab intellectione; sed visio, & modus ejus sunt intrinsecè in occulo, & extrinsecè in objecto: ergo ita intellectio, & modus ejus, scilicèt, verè cognoscere, erit intrinsecè in actu, in objecto autem extrinsecè, & terminativè.

Objic. ex Arist. in Prædicam. cap. de substantia ubi ait: ab eo, quod res est, vel non est, oratio dicitur ve-

vera, vel falsa: ergo veritas, vel falsitas derivantur in orationem ab ipsa re, ut est in se, & consequentèr priùs est veritas in re, quam in cognitione. Respond. argum. procedere ex æquivocatione veritatis in essendo, & veritatis in cognoscendo. Itaque ad argumentum conced. antec. neg. conseq. Sensus enim Philosophi est, quod oratio est vera, si est conformis rei in se existenti, falsa verò si non est conformis. Hæc autem conformitas est veritas formalis, quæ est intrinsecè in actu, & consistit in conformitate ad veritatem in essendo, quam habet objectum; & illa est, & non ista, de qua ait Arist. 6. Metaph. in fine; non est falsum, & verum in rebus; id est, ut explicat Lichet.: veritas denominat formalitèr, & intrinsicè ipsum actum intelligendi:: & denominatione extrinseca denominat ipsum objectum.

Dubitabis 2.° in quo formalitèr consistat veritas cognitionis? Circa hanc dificultatem plures sententias reffert Mast. quæ videri possunt apud ipsum. Quibus dimissis. Dicimus, veritatem consistere in relatione reali conformitatis cum re, ut est in se. Ita S. D. in 4. dist. 8. Quæst. 2. §. *Propter hoc*, ℣. *Si quæras*, n. 23. & quodlib. 13. art. 2. & prob. 1. pars; signum naturale importat relationem ad signatum; sed cognitio est signum naturale rei cognitæ: ergo importat relationem realem ad illam. Confirmatur; ideo signum naturale dicit relationem ad signatum, quia importat conformitatem ad illud; sed cognitio vera importat conformitatem ad rem sicuti est: erg. Secunda pars ostenditur; antecedentèr ad quamcumque fictionem intellectus, propositio est vera formalitèr, nam independentèr à tali fictione est conformis objecto, & representat rem sicuti est: ergo ejus veritas est relatio realis.

Objicies; veritas est perfectio simplicitèr, cum sit attributum Dei; sed relatio non est perfectio simplicitèr, ut ait S. D. quodlib. 5. ergo veritas non est relatio. Confirmat. entitas positiva actus veri antecedentèr ad quamcumque relationem est similitudo vera objecti: ergo antecedenter ad relationem est formalitèr verus.

Prob.

Prob. antec. Si entitas actus antecedentèr ad relationem non est vera similitudo objecti, erit formalitèr falsus; nam falsitas consistit in dissimilitudine cum re representata: ergo. Resp. ad argum. conces. maj. dist. min. relatio Divina, conc. min. relatio creata, neg. min. & conseq. & in hoc sensu loquitur S. D. vel dic, veritatem dicere perfectionem, non formalitèr, sed fundamentalitèr, seù ratione actus potentis fundare relationem conformitatis, quam nequit fundare actus falsus. Ad confirm. neg. anteced. Ad probat. neg. sequel. Nam actus pro illo priori neque est formalitèr verus, neq. falsus; sicut nec formalitèr similis, nec dissimilis, sed fundamentalitèr assimilabilis, & consequentèr fundamentalitèr verus, quod sufficit, ut non sit essentialitèr falsus, etiam si per impossibile non resultet relatio.

Dubitabis 3.° in quo formalitèr consistat falsitas cognitionis? Resp. consistere in relatione reali disconvenientiæ, & difformitatis actus cum objecto. Prob. relationes primi generis fundantur super unitatem, & multitudinem; sed veritas, quia est conformis objecto, dicit relationem similitudinis ad ipsum: ergo falsitas, quæ dicit disconvenientiam cum objecto, fundabit relationem difformitatis positivam ad ipsum. Probat. conseq. nam dissimilitudo, & difformitas non est pura negatio similitudinis, sed est positiva relatio contrariè opposita similitudini: ergo actus falsus, qui est dissimilis objecto, importabit relationem possitivam dissimilitudinis ad illud.

Objicies; implicat aliqua entitas positiva, quam Deus non possit producere; sed si falsitas diceret aliquid positivum, Deus non posset producere ejus entitatem: ergo non consistit in aliquo positivo, ac proindè nec in relatione. Maj. est certa. Min. prob. Si Deus posset producere, aut esse causa falsitatis, posset hominem decipere; quod repugnat summæ ejus veritati: ergo. Resp. 1.° neg. maj. Nam entitas possitiva deffectus formalitèr ut talis nequit à Deo produci, ut tenent Theologi asserentes, peccatum formalitèr aceptum esse relatio-

tionem realem disconvenientiæ ad regulam Divinam. Resp. 2.° conces. maj. neg. min. Ad prob. neg. seq. licèt enim Deus concurrat ad entitatem positivam falsitatis, quia concurrit cum creaturis ad suos actus, non tamen potest nos decipere, quia decipere est loqui falsum, quod repugnat Deo, & Deus non loquitur medio actu creato falso, ideòque concurrit ad deceptionem, non tamen decipit. Undè gravissimi Theologi in materia de fide tenent, Deum posse infundere habitum, vel actum erroris, non tamen ideò falsum loqui. Videant. Lug. de Fid. disp. 4. Sect. 3. à num. 31.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrùm propositiones de futuro contingenti sint determinatè veræ, vel falsæ?

De iis propositionibus contingentibus disputamus, quæ circa futuras hominum operationes liberas versantur; & inquirimus, utrùm duæ, propositiones contradictoriæ de futuro contingenti ita se habeant, ut una earum sit in se determinatè vera, & altera determinatè falsa; quamquam id nobis minimè innotescat; undè apud vulgus fertur illud commune effatum: *De futuris contingentibus non datur determinata veritas.*

Dicimus: propositiones de futuro contingenti esse determinatè veras, vel falsas. Probat. Deus ab æterno cognovit determinatè omnia futura contingentia: ergo propositiones de futuro contingenti sunt in se determinatè veræ, vel falsæ. Conseq. evidens est. Etenim cognitio non facit sibi objectum, sed illud solummodò contemplatur; nec ideò res veræ sunt, quia cognoscuntur, sed idcircò ut veræ cognosci possunt, quia tales in se, & re ipsa sunt. Antec. prob. ratione naturali: Deus est ens summè perfectum, quo nihil meliùs excogitari potest, & quod omnem prorsùs perfectionem continet; atqui cognitio certa, & determinata futurorum est maxima perfectio: ergo Deus cognoscit certè, & determinatè

om-

omnia futura contingentia: igitur talia futura sunt in se determinatè cognoscibilia; ac proindè vera, vel falsa. Alioquin Divina scientia errori esset subjecta, & Deus ipse falli posset; quod ejus infinitæ perfectioni repugnat.

Eadem veritas inconcuso Divinarum Litterarum testimonio demonstratur. Etenim Regius Psaltes dicebat Deo, Psalm. 138. ℣℣. 3.4. *Intellexisti cogitationes meas de longè:: Et omnes vias mas prævidisti.* Et Jesus Filius Sirach, Ecclesiastici cap. 23. ℣. 29. *Domino Deo, antequam creentur, omnia sunt agnita; sic & post perfectum respicit omnia.* Et Danielis cap. 13. ℣. 42. *Susanna sic Deum allocuta est: Deus æterne, qui nosti omnia, antequam fiant.* Id ipsum unanimiter confirmant SS. PP. & præ cæteris Div. Aug. lib. 5. de Civit Dei, cap. 9. ubi errorem Ciceronis refellit, *qui* (inquit optimè Sanct. D.) *ut confirmaret liberum voluntatis arbitrium, dum vult* (homines) *facere liberos, fecit sacrilegos.* Concludat igitur Aug. *Confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est.* Igitur &c.

Objic. 1.° Si Deus certò cognosceret futura contingentia, & hæc propositio, v. gr. *Petrus cras peccabit*, esset determinatè vera, vel falsa, ruit humana libertas; sed hoc est absurdum: ergo. Sequel. maj. prob. Humana libertas ruit, si operationes hominis necessariò evenirent; sed tunc peccatum Petri, vel ejus non peccatum necessariò evenirent: ergo. Confirmatur: Si propositio illa vera est, Petrus jam esset determinatus ad peccatum. Si falsa, Petrus esset determinatus ad non peccandum: ergo Petrus non esset ampliùs indifferens; ideòque nec liber, quia libertas indifferentiam præ se fert: ergo. Resp. neg. seq. Ad prob. dist. maj. Si operationes hominis necessariò evenirent necessitate absoluta, conc. maj. necessitate conditionata, neg. maj. eodemque modo distincta min. neg. conseq. Ad confirm. disting. ant. Petrus esset determinatus determinatione *dein esse*, conced. antec. determinatione *de possibili*, neg. anteced. & conseq.

Di-

Divina ergo præscientia non facit objectum, sed illud, ut est in se contemplatur. Atquè, ut optimè scribit S. Hieron. in cap. 26. Jerem. *Non ex eo, quod Deus scit futurum aliquid, idcircò futurum est: sed quia futurum est, Deus novit, quasi præscius futurorum*: igitur Petrus cras peccabit, vel non peccabit, prout ipsi libuerit: quidquid autem Petrus facturus est, jam Deus ab æterno præscivit. Hinc peccatum, vel non peccatum Petri necessariò eveniet necessitate conditionata; ex suppositione nimirum Divinæ præscientiæ, quæ non cogit Petri voluntatem, sed id præcognovit, quod Petrus arbitrio suo facturus est. Quamobrem ista necessitas non est absoluta, seù antecedens, sed conditionata, & consequens; nam si Petrus peccaturus est sua libertate, Deus prævidit ipsum peccaturum; si autem Petrus voluntate sua peccaturus non est, & hoc ipsum Deus prævidisset. Hinc Petrus est determinatus, non determinatione *de posibili*; quæ potentiam excludit ad oppositum, sed determinatione *de in esse*, quæ actum futurum significat pro libera Petri voluntate. *Neque enim* (verba sunt S. Aug. loc. cit. de Civit. Dei) *ideò peccat homo, quia Deus illum peccaturum præscivit: immò ideò non dubitatur, ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit. Qui si nolit, utique non peccat: sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit.*

Objic. 2.° Deus in Sacris Litteris dubitanter loquitur de futuris contingentibus. Ita ait Mathei cap. 21. *Verebuntur fortè filium meum.* Et Ezequielis cap. 11. *Si fortè vel ipsi audiant, & si fortè quiescant*; sic etiam loquitur pluribus aliis in locis: ergo Deus non scit certè, & determinatè futura contingentia. Resp. hæc, & similia in Sacris Litteris, non Dei omnia præscientis dubitationem indicare, sed liberum hominis arbitrium locutionibus illis à Deo significari. *Verbum forsan* (ait S. Hieron. in cit. cap. Matth.) *Majestati Dei convenire non potest, sed nostro loquitur affectu, ut liberum hominis servetur*

arbitrium; & in Ezeq. *Loquitur autem Deus hæc ambigentis affectu.* Sicque respondent cæteri SS. PP. Sed de his loquemur ampliùs in Theologia.

DISPUTATIO, ET QUÆST. ULTIMA.

An Scientia, Fides, & Opinio de eodem objecto formali simùl esse possint in eodem intellectu?

Scientia, ut alibi diximus, *est certa, & evidens cognitio*; *certa* quidem, quia omnem expellit dubitationem, *evidens* autem, quia tunc veritas nobis manifestè elucet. Undè apparet Scientiæ discrimen à Fide, & ab Opinione. Nam fides, ut ait Apost. Ad Hebreos, cap. 11. *Est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*; nempè fundamentum, quod spem nostram substentat, undè firmus habetur assensus rerum, quæ non apparent in se ipsis, sed revelatæ sunt à Deo. Proindè scientia per evidentiam differt à Fide. Ab opinione autem per evidentiam, & certitudinem: nam opinio nec evidentiam, nec certitudinem habet; fundatur enim humano testimonio, quod fallere potest, & falli. Quare sensus quæstionis est, an intellectus noster, sivè naturalitèr, sivè supernaturalitèr, simùl habere possit actum scientiæ, & fidei, vel opinionis de eodem objecto formali? Et loquimur de actu; nam habitus, ut ait Scotus in 3. dist. 24. repugnantiam invicem non habent, nisi ratione actuum. In qua

Dicimus 1.° Scientiam actualem, nec naturalitèr, nec supernaturalitèr in eodem intellectu simùl esse posse de eodem objecto formali cum fide actuali, vel cum opinione, quæ adnexam habet dubitationem. Colligitur ex S. D. cit. & est consona doctrinæ Arist. lib. 1. Annalit. Posterior. cap. 30. dicentis: *Perspicuum est, fieri non posse, ut eamdem rem simùl opinetur quispiam, & sciat; alioquin existimaret, eamdem rem alitèr se habere posse, & non alitèr se habere posse, quod fieri nequit.*

Et prob. Certissimum est, intellectum nostrum non pos-

posse affirmare simùl, & semel duo contradictoria de eodem objecto formali; aliàs fateretur idem simùl esse, & non esse; sed si de eodem objecto formali scientiam simùl haberet, & fidem, vel opinionem, duo invicem contradictoria de illo affirmaret: ergo scientia, fides, & opinio, ut diximus, non possunt esse simùl. Min. prob. Intellectus actu scientifico judicaret, necessariam esse connexionem prædicati cum subjecto; actu autem opinativo eamdem judicaret non necessariam, sed contingentem. Item intellectus scientia perciperet evidentèr, prædicatum connecti cum subjecto; fides verò sinè evidentia: ergo contradictoria affirmaret. Scientia quoque certitudinem, & evidentiam parit; opinio incertitudinem, fides inevidentiam. Scientia dubitationem omnem expellit; opinio, ut supponimus, dubitationem annexam habet: ergo intellectus simùl, ac semel de eodem formali objecto certus esset, & incertus, evidens, & inevidens, non dubius, & dubius. Quæ invicem contradictoria esse nemo non videt.

Dicimus 2.° Opinionem à dubitatione actuali abstrahentem non posse ut plurimum, ac naturalitèr componi cum scientia; id tamen contingere posse Divina virtute, & supernaturalitèr. Prob. prima pars: Posito actu scientifico superflua est vis probabilitatis: ergo ut plurimum, & naturalitèr scientia, & opinio non componuntur in eodem intellectu circa idem objectum formale. Prob. antec. Intellectus certò, & evidentèr cognoscens objectum, vimque demonstrationis percipiens, negligit profectò quascumque rationes probabiles, nec ab illis movetur, sicut qui lumine splendidissimo Solis videt rem præsentem, nec indiget, nec adjuvatur ad videndum à lumine parvæ lucernæ: ergo similitèr rationes probabiles, & sapientum auctoritates nullatenùs commovere possunt intellectum, qui certa, evidentique notitia objectum cognoscit: ergo tunc vis probabilitatis superflua est, &c.

Prob. secunda pars: Divina virtute id omne est posibile, quo posito, nulla sequitur contradictio; sed nulla se-

sequitur contradictio, si opinio à dubitatione abstrahens, & assensum probabilem unicè præ se ferens cum actu scientifico componatur; ut patebit solutione argumentorum: ergo opinio eo sensu accepta poterit esse simùl cum scientia in eodem intellectu.

Objicies contra primam conclus. 1.° Joann. cap. 20. dixit Jesus Thomæ: *Quia vidisti me, Thoma credidisti*: ergo S. Thomas Apost. simùl habuit scientiam, & fidem de Christi Dñi. corpore à mortuis suscitato: ergo &c. Resp. Quod S. Thomas, ut ait D. Gregor. Papa hom. 26. in Evangelia: *Aliud vidit, aliud credidit. A mortali quippe homine Divinitas videri non potuit. Hominem ergo vidit, & Deum confessus est, dicens: Dominus meus, & Deus meus.*

Objic. 2.° contra primam: Beata Virgo Maria cognovit scientia experimentali, se de Spiritu Sancto concepisse, atquè hoc idem credidit Angelo revelanti. Sic & Joann. Apost. vidit Christum Crucifigi, quod idem credere debuit, quippe ad fidei articulos pertinet. Et nos etiam demonstrativè cognoscimus existentiam Dei, ut dicemus in Metaphysica, quam tamen credimus; nam ut ait Apost. ad Hebræos 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se, remunerator sit*: ergo &c. Resp. in Beatissima Virgine Maria, & in S. Joanne non fuisse simùl scientiam, & fidem, sed unam alteri tempore præcessisse. Beata Virgo primum credidit Angelo revelanti, & posteà scientia cognovit experimentali, quod ab Angelo ei fuerat pronuntiatum. Ita & Joannes, dum vidit Christum Dominum Crucifixum, id certè non credidit; atquè, ut ait S. D. loco superiùs laudato, *nec umquam posteà recogitando illius crucifixionem, habuit fidem de ea, sicuti nec dum vidit intuitivè; habebat tamen habitum, quo illud credidisset, si non vidisset.* Nobis etiam credere oportet existentiam Dei, ut ait Paulus, ita ut parati simus credere, etiam si ratio naturalis non demonstraret. At qui de illa habet scientiam, non habet fidem actualem circa ipsam: ut dicemus in Metaphysica.

Ob-

Objicies contra primam partem secundæ conclus. 1.° Scientia à priori, seù per causam est composibilis in eodem intellectu cum scientia à posteriori, seù per effectum: ergo & opinio est composibilis cum scientia. 2.° Opinio probabilitate sua adjuvat intellectum, ut verum percipiat. Virtus enim addicta virtuti, etiam majori, eam perficit, & adjuvat: ergo &c. Resp. ad primum conc. anteced. neg. conseq. Disparitas stat in eo, quod scientia tàm à priori, quàm à posteriori est ejusdem rationis, & utraque habet evidentiam, & certitudinem, quod certè non verificatur de opinione, ut patet. Ad secundum resp. Id verùm esse, quando virtutes sunt ejusdem rationis, earumque discremen solùm est penès magis, & minus. At scientia, & opinio sunt diversæ rationis, ut constat.

Objicies contra secundam partem: Opinio etiam abstrahens à dubitatione, adhuc est capax illius; scientia verò dubitationem penitùs excludit: ergo neque supernaturalitèr possunt simùl componi. Resp. nullam oppositionem haberi, quamvis opinio in actu primo sit capax dubitationis, quæ repugnat scientiæ. Nam tunc intellectus non esset actus certus, & dubius; in quo stat oppositio: igitur &c. Et hæc dicta sufficiant de secunda parte Logicæ; immò, quia de tertia sufficientèr in Summulis loquuti sumus, ipsamque ommitimus, hæc sint satis de tota Logica. Ad honorem Sanctissimæ Trinitatis, Beatissimæ Virg. Mariæ sinè labe conceptæ, Sanctissimique Joseph, & nostri S. P. Francisci. Amen.

SE-

SCUNDA PARS PHILOSOPHIÆ,

SEU METAPHYSICA

PRÆLUDIUM.

Metaphysica sic communitèr dicta, quia est facultas metas scientiæ Physicæ transgrediens, per anthonomasiam dicitur *Philosophia*, *Prima Philosophia*, *& Philosophia universalis*, quia agit de ratione communissima entis, & aliorum transcendentium rebus materialibus, & immaterialibus communium. Appellatur etiam *naturalis Theologia*, *supernaturalis Philosophia*, *& Scientia Divina*; quia de Deo, cæterisque intelligentiis separatis, quantùm naturale lumen patitur sermonem instituit. Dicitur denique *Sapientia*, *Domina*, *Reginaque scientiarum*, quia res altissimas, causas primas, & prima principia, ex quibus cæterarum scientiarum principia pendent, contemplatur.

Metaphysica ergo sic ab Arist. 4. Metaph. text. 1. definitur: *Est scientia quædam*, *quæ speculatur ens*, *prout ens est*, *& quæ ei per se insunt.* Ex qua colliges 1.° Metaphysicam esse scientiam, ut omnes fatentur; nam de suo objecto passiones demonstrat. Immò esse etiam Sapientiam communis omnium consensus est. Est enim scientia universalis, versaturque circa res difficiles, & à sensibus valdè remotas: est item valdè certa cognitio, valdequè idonea ad docendum; est similitèr gratia sui, & non ordinata ad aliud; & nulli tandem scientiæ deservit, aut ministrat, quæ sunt conditiones Sapientiæ ab Arist. assignatæ 1.° Metaph. cap. 2. Est etiam scientia purè speculativa, quia nullatenùs dirigit praxim. Tandem non est simplex, sed composita qualitas; quæ constant ex dictis in Logica.

Colliges denique, Metaphysicam non aliud habere ob-

objectum adæquatum, seù attributionis, nisi ens reale, & positivum commune Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti. At ipsum considerat *quatenùs est ens*; ut constat ex allata definitione Arist. & ex ipso ibid. lib. 6. text. 4. dicente: *De ente prout ens, ac quid est, & quæ ei insunt, prout est ens, speculari hujus est.* Dividitur tamen Metaphysica in duas partes, quarum prior vocatur *Ontologia*, agitque de ente in communi, ejusdemque affectionibus, & principiis; posterior verò *Pneumatologia*, seù Spirituum scientia dicitut, & Deum ipsum, Angelos, & animam rationalem contemplatur.

PARS PRIMA METAPHISICÆ,

SIVÉ ONTOLOGIA.

DISPUTATIO PRIMA.

De natura entis realis ut sic, seù in communi.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit ens reale, & quotuplex?

Hoc nomen *ens*, deductum à verbo substantivo *Sum, est, fui*, & significat esse, duplicitèr sumi potest. Primo participialitèr, quatenùs est participium desumptum à tali verbo: quo sensu est idem, ac aliquid actu existens; & definiri valet: *Est illud, quo formalitèr res ponitur extra suas causas.* Quæ definitio solùm competit enti creato, quod sui habet causam productivam; non verò enti ut sic, ut à creato, & increato præscindit. Quare in communi sic meliùs explicatur: *Est id, ratione cujus res constituitur extra nihil.* Secundo modo accipitur ens, nominalitèr, seù ut nomen substantivum ab eodem verbo derivatum: quo sensu significat absolutè ipsum

es-

esse rei, quo aliquid est in se, vel potest esse, præscindendo à quacumque temporis differentia. Et de ente sic sumpto loquimur in presenti. Atquè

Dicimus: ens nominalitèr sumptum *esse id, cui non repugnat existentia à parte rei.* Quæ descriptio, ut bona, ab omnibus admititur, utpotè conveniens omni enti reali assignabili; non verò enti rationis, quod verè non est ens, nec negationibus, aut carentiis, quia istæ, sicut propriè non sunt entia, sic sunt existentiæ incapaces.

Circa 2. part. quæst. ens transcendentissimè sumptum, dividitur in ens reale, & rationis. Quid sit utrumque? Satis constat ex dictis hic, & in Logica. Hæc autem divisio est æquivoci analogi in sua analogata æquivocata, cum non detur aliqua ratio entis univocata enti reali, & rationis. Ens autem reale 1.° dividitur in finitum, & infinitum, seù in Deum, & Creaturam; & hæc coincidit cum divissione in ens à se, & ens ab alio; creatum, & increatum; causatum, & incausatum; dependens, & independens; necessarium, & contingens; ens per essentiam, & ens per participationem, & aliis similibus.

Secundo dividitur in *Simplex, quod omni compositione tàm physica, quàm metaphysica caret*; qualis est solus Deus: & in *Compositum, quod compositione sivè physica, sivè metaphysica gaudet, vel saltem est alteri componibile*; & tale est omne ens creatum. Tertio dividitur in *ens in actu, quod actualitèr existit*; & in *ens in potentia, quod actu non existit, sed potest existere.* Quarto dividitur in *Substantiam, & accidens*, de quibus satis diximus in Logica. Alias entis divisiones, utpotè parùm utiles apud AA. videndas derelinquimus.

Dubitabis hic, an admitti debeat divisio entis in quantum, & non quantum? Resp. affirmativè cum D. S. Quodlib. 5. in fine. Et probatur asignando aliud membrum talis divisionis, scilicèt, ens non quantum. Nam relationes originis nempè Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva continentur sub ente, & sunt verè entia; sed non entia quanta, quia nec perffectionem, nec imperffec-

ffectionem dicunt: ergo benè dividitur ens in quantum, & non quantum, seù non perffectum, nec imperffectum. Prob. min. 1.° quia si dicerent perffectionem infinitam (finitam enim non possunt dicere) tunc aliqua infinita perffectio esset in una persona, quæ non esset in alia; v. gr. infinita perffectio Paternitatis non esset in Filio; atque ita nulla persona Divina esset infinitè perffecta, quia non haberet in se omnem infinitam perffectionem.

2.° Quia tunc darentur plura infinita distincta realitèr, sicùt distinguntur relationes inter se; & consequentèr essent tres infinitæ, sicùt tres Personæ. 3.° Quia omne ens quantum comparatum ad aliud, est, vel excedens, vel excessum; sed relatio Divina neutrum esse potest; non excessa, quia tunc esset formalitèr finita; non excedens, quia tunc esset mensura omnium entium, quod est falsum; nam mensura prima omnium, necessario est unum, & relationes Divinæ sunt plures: ergo.

Objicies: non potest dari aliquod ens reale, quod non habeat propriam perffectionem finitam, vel infinitam: ergo nequit dari ens non quantum. Prob. antec. Bonum, & perffectum idem sunt; sed omne ens est bonum: ergo omne ens est perffectum: ergo. Resp. neg. antec. ad prob. conc. maj. dist. min. omne ens reale formalitèr tale est bonum, conc. min. identicè, & denominativè tale, neg. min. Divisio ergo entis in quantum, & non quantum non est rationis communis, & univocè in sua inferiora, in quibus essentialitèr includatur. Sed ita debet intelligi, ut ens, quod idem est, ac quantum, duplicitèr potest considerari; vel in ordine ad ea, in quibus essentialitèr includitur, & de quibus quidditativè prædicatur, ut sunt finitum, & infinitum; vel etiam in ordine ad ea, cumquibus realitèr identificatur, ut sunt passiones, modi intrinseci, & ultimæ differentiæ; quæ, sicut solùm identicè sunt entia, ita etiam solùm ratione identitatis cum ente habent ejus proprietates.

QUÆSTIO SECUNDA.

An detur unus conceptus entis ut sic perfectè ab inferioribus præcissus, & abstractus?

Supposito ex dictis in Summulis conceptum esse duplicem, alterum formalem, qui est actus intellectus; alterum objectivum, qui est res cognita per talem actum; ulteriùs pro tituli intelligentia est notandum, præcissionem esse duplicem; aliam formalem, & aliam objectivam. Formalis est actus intellectus attingens ex parte objecti omnes formalitates in ipso repertas, non tamen eodem modo, sed alias clarè; alias verò obscurè, & in confusò, ita tamen quod de nulla illarum verificetur non esse per talem actum attactam: v. gr. cum quis videt sensationes in equo, cognoscit ipsum esse animal, & omnes formalitates in ipso repertas; sed tamen rationem, aut prædicatum animalis cognoscit clarè, quia cognoscit equum in ordine ad sensationes, quæ sunt communes omnibus animalibus, & ipsi competunt quatenùs animal est; reliquas verò cognoscit confussè, quia non cognoscit in ordine ad operationes, aut connotata, quæ ipsius propria sunt.

Præcissio objectiva est, quando ex parte objecti, & ejusdem entitatis physicè indivisibilis correspondet intellectui, una formalitas cognita, non cognita altera, & hæc est duplex. Alia objectiva ex natura rei; quando, scilicèt, ex duabus formalitatibus realitèr identificatis, sed formalitèr distinctis attingitur una, alia non attacta; ut cum attingimus animalitatem, non attacta rationalitate. Alia objectiva virtualis, cum, scilicèt, ex parte objecti attingitur una formalitas, vel potiùs virtualitas, alia virtualitate non attacta, cum qua, ne dum realitèr, sed etiam formalitèr est idem. Sed quia in hac materia de præcissione objectiva est non levis altercatio; ideò ante principalis dubii solutionem, has præcissiones objectivas statuere oportet.

§. I.

§. I.

Dantur præcissiones objectivæ, & repugnant purè formales.

Hæc sententia est communis in utraque Scola contra Nominales, & plures Suaristas. Et probat. tunc datur præcissio objectiva, cum cognoscitur una formalitas, non cognita altera realitèr identificata cum ipsa; sed hæc cognitio datur: ergo. Prob. min. *Animal*, & *rationale* sunt formalitates realitèr identificatæ; sed cognoscitur animal, non cognito rationali: ergo. Prob. min. cognitio definitiva est vera, & propria cognitio; sed definitur animal, non definito rationali; definitur enim per hoc, quod sit *vivens sensibile*, quod nullatenùs rationali convenit: ergo cognoscitur animal, non cognito rationali. Confirmatur: definitio animalis est communis omni animali objectivè, sicùt, & ipsum animal; sed rationale, aut ejus definitio, non est objectivè communis omni animali: ergo dum definitur animal, non definitur rationale; & consequentèr dum cognoscitur animal, non cognoscitur rationale.

2.° probat. conclus. cum dicimus: *Essentia Divina communicatur*; vel in illo conceptu *essentia* ingreditur Paternitas cognita, vel non? Si hoc secundum: ergo potest cognosci essentia Divina, non cognita Paternitate, quod est objectivè præscindere. Si primum: ergo etiam de Paternitate affirmatur communicari, quod est hæreticum. Prob. conseq. de toto illo, quod correspondet ex parte objecti affirmatur illud prædicatum; sed ex parte objecti correspondet Paternitas per vos: ergo. Confirm. Trinitas Personarum in Divinis est idem realitèr cum natura, & existentia Divina; sed naturalitèr cognoscitur, Deum esse, & existere, non tamen esse Trinum: ergo essentia, & existentia Divina cognoscuntur, non cognita Trinitate; ac proindè essentia à relationibus personalibus præscindit.

3.° Nam medio discursu infertur aliquid de re, quod non

non erat anteà notum, ut ex eo, quod homo sit rationalis, infertur esse risibilem ; sed id fieri non posset, nisi daretur præcissio objectiva, quia objectum esset notum quoad unam formalitatem, aut virtualitatem, & ignotum quoad aliam: ergo. Maj. patet; quia discursus est à re nota, ad ignotam progressio. Min. prob. quia si non datur præcissio objectiva, nihil rei erit ignotum : ergo non posset dari progressio ab uno noto, ad aliud ignotum: proindè in discursu committeretur petitio principii; quia ipsummet notum inferretur ex se ipso ut noto.

Objicies ; de eadem realitèr entitate impossibile est verificari sinè contradictione duo contradictoria ; sed data præcissione objectiva, verificarentur prædicata contradictoria de animalitate, & rationalitate, quæ sunt eadem realitèr entitas: ergo impossibilis est præcissio objectiva. Prob. min. cognosci, & non cognosci sunt prædicata contradictoria; sed hæc verificarentur de animalitate, & rationalitate, quæ sunt eadem realitèr entitas: ergo. Hoc argumentum insolubile judicatur à contrariis; sed instatur efficacitèr, non minùs contradicunt affirmari, & non affirmari, negari, & non negari, esse genus, & non esse genus, cognosci clarè, & non cognosci clarè, & alia hujusmodi, quam cognosci, & non cognosci ; sed per vos animal affirmatur de objecto, & non affirmatur rationale, potest negari rationale, & non negari animal, animal est genus, rationale non est genus, potest animal cognosci clarè, & rationale clarè non cognosci: ergo si hæc contradictoria verificantur de eadem realitèr entitate; quare non poterunt verificari cognosci, & non cognosci? vel si hoc arguit contradictionem, quare non illa?

Resp. ergo directè, nobis, qui inter animal, & rationale distinctionem formalem actualem, seù ex natura rei defendimus, argumentum leve negotium facescere. Undè disting. maj. de eadem realitèr, & formalitèr, permittimus; de eadem realitèr distincta tamen formalitèr, neg. maj. & disting. min. in eodem sensu. Animal enim, & rationale, licèt sint idem realitèr, sunt tamen for-

ma-

malitèr distincta. Cum ergo quælibet formalitas se sola sufficiat ad terminandum actum intellectus; ideò ex quo cognoscatur animal, & non cognoscatur rationale, nulla sequitur contradictio; quia sunt diversa objecta formalia, estò sint idem materialitèr, & realitèr.

Sed quia nos quoque præcissiones objectivas cum sola distinctione virtuali, aut fundamentali tuemur; ut postea constabit; ideò adhuc in hac sententia resp. dist. maj. de eadem tàm formalitèr, quàm virtualitèr, conc. maj. de eadem realitèr, & formalitèr, virtualitèr tamen distincta, neg. maj. & dist. min. in eodem sensu, neg. conseq. Licèt enim animal, & rationale non distinguerentur à parte rei; posset dici, quod distinguantur virtualitèr, & fundamentalitèr, & hæc virtualis pluralitas objectorum sufficit ad pluralitatem actuum, quia illi actus tendunt in illa objecta, non ut sunt unum realitèr, & formalitèr à parte rei, quia sunt confussi, & inadæquati, sed ut sunt virtualitèr plura, & distincta; & ratione hujus distinctionis præcedentis in objecto salvantur præcissiones objectivæ, tali distinctioni correspondentes.

§. II.

Datur unus conceptus entis objectivus adæquatè, & perfectè ab inferioribus præcissus.

Ante prob. hujus asserti supponimus 1.° contra quosdam veteres Thomist. dari unum conceptum formalem entis in intellectu nostro, qui tantùm concipiat rationem ejus ut sic ab inferioribus abstractam; nam hoc nomen *ens* non significat plura, ut plura, sed potiùs plura, ut unum, & ut similia in ratione entis: ergo intellectus de ente, non plures, sed unum conceptum efformat. Supponimus 2.° Ens habere etiam unum conceptum objectivum, seù dari præcissionem objectivam entis, nam si conceptus formalis entis est unus: ergo & objectivus. Patet conseq. quia conceptus formalis accipit ab objecto suam unitatem, & specificationem: ergo implicat con-

cep-

ceptum formalem esse unum, & præcissum, & etiam non esse unum, & præcissum conceptum objectivum. Utramque istam suppositionem, quam antiqui Thomist. olim negabant, nunc Thom. recentes admittunt, quæstioque devolvitur solùm ad hoc: an, scilicèt, ens præscindat objectivè perfectè ab inferioribus, an imperfectè? Pro quo

Supponimus 3.° Duplicem esse præcissionem objectivam, aliam perfectam, & adæquatam; imperfectam, & inadæquatam alteram. Perfecta est, cum aliquis conceptus communis ita præscindit ab inferioribus, vel ex natura rei, vel saltim per intellectum, ut nec explicitè, nec implicitè contineat inferiora; ut ratio animalis semel abstracta, nec explicat rationale, nec irrationale; nec actu implicitè continet illa. Præcissio imperfecta (si tamen datur) est, vi cujus id, quod præscinditur, non dicit unum conceptum superiorem ex natura rei, vel saltim ratione distinctum ab inferioribus, sed illa includit, saltèm implicitè, & in confusso, secundum proprias eorum rationes; solùmque præscindit ab explicatione, seù expressione inferiorum. Undè non reddit conceptum perfectè unum, sicut illa, sed solùm imperfectè. Hoc supposito conclusio in titulo posita, quæ est contra Thomist. & quam tenet S. D. in 1. dist. 3. Quæst. 2. §. *Secundo*, à num. 6. & dist. 8. Quæst. 3. ferè per totam, & cum ipso omnes Scotistæ.

Probat. 1. ratione S. D. cit. quæ potest sic efformari; intellectus certus de uno conceptu (sivè formali, sivè objectivo) & dubius de diversis habet conceptum unum objectivum perfectè præcissum, ac distinctum à conceptibus illorum plurium; sed intellectus potest esse certus, quod aliquid sit ens, & dubitare, vel ignorare, an sit substantia, vel accidens, Deus, vel creatura: ergo intellectus noster potest terminari ad ens objectivè, & perfectè præcisum à conceptibus particularium entium. Min. est evidens: nam Philosophi Gentiles cognoverunt v. gr. motorem cœli esse ens; dubitaverunt autem, vel ignorarunt, an esset Deus, vel creatura; cognoverunt,

lu-

lucem esse ens, & dubitabant, an accidens, vel substantia. Maj. præterquam quod videtur nota ex terminis, probat.: nam conceptus formalis certus adæquatè diversus est à conceptu dubio; cum certitudo, ac dubietas distinguant realitèr, & essentialitèr actus: ergo conceptus objectivus correspondens conceptui formali certo, & ut stat sub illo, perfectè objectivè præscindit, à conceptu objectivo correspondenti conceptui dubio. Patet conseq. nam sicut conceptus formalis certus excludit perfectè conceptum dubium, ita objectum sub ratione certificantis perfectè excludit conceptum objectivum ingerentem dubietatem.

Prob. 2.° Conceptus objectivus entis ut sic, excludit omnia, & singula inferiora à sua ratione formali: ergo perfectè præscindit ab illis. Prob. antec. si talis conceptus inferiora non excluderet, non posset ens prædicari de Deo, v.gr.; sed prædicatio *Deus est ens*, est vera: ergo. Prob. maj. prædicatum includens in sua ratione formali aliquid repugnans subjecto, non potest verè de subjecto prædicari; sed inferiora entis, & eorum differentiæ, quas per vos includit ens, repugnant Deo; aliàs ista prædicatio *Deus est ens*, esset eadem, ac ista, *Deus est creatura*, *& accidens*: ergo si ens non excluderet inferiora, seù si illa includeret, non posset de Deo prædicari.

Prob. 3.° Ex S. D. in 1. dist. 3. cit. ℣. *Et ne fiat*, n. 5. quidquid est medium in syllogismo demonstrativo sinè fallatia æquivocationis, est unum perfectè, aliàs non posset inferri identitas inter extrema; sed conceptus objectivus entis est medium in syllogismo demonstrativo absque fallatia æquivocationis, ut patet in isto: *Omne ens est possibile*; *sed Deus est ens*: *ergo Deus est possibilis*: ergo &c. Confirm.: Conceptus definitionis objectivæ est perfectè unus, & prœcissus à conceptibus non definitis per ipsam; sed conceptus definitionis objectivæ entis non definit inferiora sub propria eorum ratione: ergo conceptus objectivus entis est perfectè ab inferioribus prœcissus. Prob. min. Definitio objectiva entis est: *Cui non repugnat existentia à parte rei*; sed in hoc conceptu non de-

definitur Deus aliàs creatura esset Deus, nam de illâ verificaretur tota definitio entis: ergo.

Prob. 4.° Ex eodem Doct. in 1. dist. 8. cit. §. *Ad argumenta*, ℣. *Ad aliud*, n. 12. & ex Philos. 7. Physic. 24. quæ comparantur in aliquo tertio, comparantur in eo ut in attributo utrique communi: non enim dicimus aquam esse frigidiorem igne; quia frigus non est quid commune igni, & aquæ; sed ens creatum, & increatum comparantur in ente; nam Deus dicitur magis, & perfectius ens creatura: ergo ratio objectiva entis est communis Deo, & creaturæ. Atqui conceptus communis ut talis excludit omninò à ratione formali conceptus inferiorum: ergo.

Ad has, & alias innumeras rationes solummodo respond. Thomistæ, ens præscindere ab inferioribus, ipsaque non includere quoad explicitum, & imperfectè; non verò perfectè, seù quoad explicitum, & implicitum. Sed contra, vel in abstractione entis ab inferioribus, intellectus assumit ens, & relinquit inferiora, vel secum trahit? Si relinquit: ergo nullomodo inferiora actu includit. Si secum trahit: ergo ab illis non est facta aliqua abstractio. Dices, relinquere inferiora explicitè, & trahere secum implicitè. Contrà; quia nihil potest ens dicere in tali esse objectivo, & abstracto, nisi illud, quod manifestatur per talem cognitionem; nam ens ut sic, & ut abstractum non habet aliud esse formalitèr, nisi quod exprimitur in intellectu ex vi talis cognitionis: ergo vel ens in tali esse objectivo, & cognito, includit inferiora, vel non? Si includit: ergo non implicitè, sed explicitè includit. Si non includit: ergo in esse objectivo adhuc implicitè non includit inferiora, quod est intentum.

Objic. 1.° Infirmando rationem D. S. his instantiis:: Prima est: sint in aliquo sacco duo canes, terrestris scilicèt, & marinus; & unus illorum saccum moveat. In tali casu sum certus, quod canis moveat saccum, dubito tamen, an terrestris, vel marinus: ergo nec ex eo quod sim certus, quod aliquid sit ens; & dubitem, an sit substantia, vel accidens, Deus, vel creatura; sequitur

da-

dari conceptum objectivum ab illis perfectè præscissum. Secunda; sunt certus objectum Logicæ esse ens, dubito tamen, an sit ens reale, vel rationis, & tamen non datur conceptus ab ente reali, & rationis præscissus: ergo &c.

Resp. Ad duplicem instantiam, assignando disparitatem: ad primam in tali casu me non esse certum, canem saccum movere, immò hoc ipsum dubito; certus utique sum animal movere saccum; sed dubito, an sit ille, qui reverà est canis, an verò marinus, qui solo in nomine canis est. Undè non habeo conceptum certum, canem movere saccum, nisi de voce canis. Idem etiam dicendum est ad secundam; sum certus de nomine *ens*, & dubito, an reverà conveniat objecto Logicæ; sed non de conceptu per tale nomen importato; aliàs daretur conceptus entis saltèm imperfectè præscissus ab ente reali, & rationis, quod negant adversarii. At in casu nostro contrarium tenent, ut patet.

Objic. 2.° (& est præcipuum fundamentum Thomist.) Prædicatum perfectè præscissum, non manet in inferioribus inclusum, aut contentum; sed ens quantumvis præscissum, semper manet inclusum in inferioribus: ergo ens ab illis non præscindit perfectè. Maj. patet, ideò enim ratio animalis perfectè præscindit à differentiis, quia non manet in eis inclusa, & nec actu continet illas, nec actu continetur in illis; min. verò prob. 1.° Quantumvis præscindatur ens, manent ejus inferiora opposita nihilo: ergo manent essentialitèr entia: ergo. 2.° Facta præscissione entis, manent ejus inferiora cum aliquo esse, manent etiam formalitèr possibilia, cum sint actualitèr in rerum natura; sed esse, & possibile idem est, ac ens: ergo manent formalitèr entia: ergo &c.

Hoc argum. Cui unicè fidunt Thomistæ profundiùs examinabitur infrà Quæst. 6. nunc brevitèr resp. permisso pro nunc, rationem entis intimè, & essentialitèr includi in omnibus suis inferioribus, etiam modis, passionibus &c. dist. maj. non manet inclusum formalitèr, & in esse objectivo, conc. maj. materialitèr, seù à parte

rei, neg. maj.: & disting. min. inversis terminis, neg. conseq. Præscissio enim non est separatio physica, & realis, nec tollit inclusionem realem rationis superioris in inferioribus, sed est intentionalis tantùm, quæ consistit in eo, quod per cognitionem attingitur ratio, in qua inferiora conveniunt, non attingendo illam, in qua differunt. Hæc autem attingentia potest fieri, sine mendatio; quia abstrahentium non est mendatium. Undè non sequitur, conceptus superior est abstractus ab inferioribus: ergo verè non manet in eis inclusus; quia inclusus est à parte rei, seù in esse reali; & præscissus per intellectum cum fundamento in re, seù in esse intentionali. Et per hoc resp. ad prob. permittendo inclusionem à parte rei, & neg. illam objectivè, & per intellectum.

QUÆSTIO TERTIA.

An conceptus entis præscindat ex natura rei ab inferioribus; an solum per intellectum?

Adest in præsenti domesticum, & cognatum bellum, sed tamen asperrimum, & non facile placabile. Inquirimus ergo an ratio communis entis ut sic, seù transcendentalitèr accepti, sit præscissa ab inferioribus antecedentèr ad actum intellectus, & præseferat realitatem ex natura rei ab illis distinctam? An verò solùm per intellectum inadæquatè concipientem, ita ut nulla realitas, seù ratio entis detur à parte rei communis Deo, & creaturæ; sed quodlibet ens sit vel finitum, vel infinitum, & solùm sit neutrum, & præscindens objectivè per intellectum? In qua

Sentiunt aliqui Scotistæ illam rationem communem entis esse ex natura rei, & actualitèr ab inferioribus distinctam, & non per intellectum. Ita Antonius, Andreas, Canonicus, Faber, Pontius, Meurisse, Saxius, Merinero, & novissimè Ferrari, quibus ferè omnes nostrates in M. S. adhærent. Alii verò sustinent, conceptum entis non esse ab inferioribus ex natura rei præscissum, aut

dis-

distinctum; sed solùm per intellectum inadæquatè concipientem. Ita Tatar. Lichet. Smising. Vigerius, Bargius, Trombet, Herrera, Vulpes, Cursus S. Joseph, & alii, quos citat Mast. hic Quæst. 4. Hoc supposito sit

Nostra conclusio: Conceptus entis communis finito, & infinito, seù Deo, & creaturæ, non præscindit ab illis ex natura rei, nec importat unam realitatem, actualitèr ab illis distinctam, sed solùm per opus intellectus. Ita omnes Thomist. & Scotistæ pro secunda sententia citati; estque adeò genuina hæc sententia in S. D. locis infrà citandis, ut miremur Conscotistas nostros oppositam tenere. Prob. ergo 1. conclus. ex S. D. in 1. dist. 8. Q. 3. §. *Ad argumenta*, ℣. *Ad secundum.* Ubi sic loquitur: *Deus, & creatura non sunt primo diversa in conceptibus, tamen sunt primo diversa in realitate, quia in nulla realitate conveniunt; & quomodo possit esse conceptus communis sine convenientia in re, vel in realitate in sequenti dicetur*: ergo ex mente Doctoris. Deus, & creatura à parte rei non conveniunt in aliqua ratione entis ex natura rei præscissa, nec conceptus entis fundatur in aliqua realitate utrique ex natura rei communi.

Respondent aliqui Scotistæ, D. S. solùm velle, Deum, & creaturam non convenire in aliqua realitate subjectiva, non tamen negare convenientiam in aliqua realitate objectiva. Sed hæc solutio in puris verbis consistit. Contra 1.° realitas illa objectiva, in qua, per vos, conveniunt Deus, & creatura, vel est præscissa, & distincta ex natura rei actualitèr ab illis; vel solùm per opus intellectus? Si hoc secundum; habetur intentum. Si primum: ergo à parte rei Deus, & creatura conveniunt; & consequentèr in aliqua realitate subjectiva, quæ est illa, quæ datur in subjecto à parte rei, nullo intellectu cogitante, quod manifestè repugnat textui. Confirmat. nam juxta Subt. D. & Arist. pluribus in locis à nostro Villa-Castin citatis, inter differens, & diversum, hoc est discrimen; quod differentia dicuntur illa, quæ priùs in aliqua ratione conveniunt, & posteà in alia differunt; diversa verò in nulla ratione conveniunt, sed se totis diffe-

ferunt: ergo ut Deus, & creatura sint primo diversa, debent se totis differre, & in nulla ratione à parte rei convenire.

2.° Prob. ex eodem in 1. dist. 26. §. *Ad primum*, ℣. *Ad aliud dico*, n. 48. ubi ait: *Dico, quod Paternitas, & Filiatio (Divina) non sunt duo primo diversa, quantum ad intellectum, quin possit intellectus abstrahere ab eis aliquem conceptum realem communem, & sunt primo diversa quantum ad realitatem, & realitatem, &c.* Ex quo sic: Deus, & creatura sunt primo diversa in realitate, sicut etiam relationes Divinæ: ergo conceptus præscissus à Deo, & creatura eodem modo se habet, ac conceptus abstractus à Divinis relationibus; sed hic conceptus non fundatur in aliqua realitate ex natura rei distincta: ergo nec ille. Patet conseq. quia S. D. eisdem verbis loquitur in utroque casu. Sed quid necesse est adducere unam, vel alteram S. D. auctoritatem? Legatur sincerè, & attentè illa Quæst. 3. dist. 8. 1. & apparebit, hanc opinionem esse genuinam S. D. nisi in meridiana luce calligare vellimus. Quapropter.

Prob. 3.° ratione: Si ens ex natura rei distingueretur, & præscinderet à Deo, & à creatura, daretur in Deo compositio, saltim metaphysica ex actu, & potentia; hoc est absurdum: ergo. Min. videtur definita in Concilio Lateran. cap. *Frimiter de Summa Trinitate, & Fide Cathol.* Sequel. maj. prob. Omnis realitas ex natura rei communis, & indifferens, necessario est ratio potentialis, seù totum potentiale, cum non sit actualitèr aliquod ex inferioribus: ergo se habet per modum potentiæ, proindeque cum differentia actuante, seù determinante illam indifferentiam efficiet compositionem methaphysicam. Variè Resp. Scotistæ huic ferè demonstrativæ rationi; sed omissis eorum responsionibus, & instantiis apud AA. videndis.

Prob. 4.° Ratione eficacissima noviter inventa; nequit dari aliqua natura à parte rei communis, & indifferens ad Deum, & creaturam: ergo conceptus entis non est realitas à parte rei Deo, & creaturæ communis.

Prob.

Prob. antec. Si ratio entis v. gr. esset natura à parte rei Deo, & creaturæ communis, & ad utrumque indifferens, ex se posset esse vel cum Deo, vel cum creatura, & neutrum ex se postularet, sed vel unum, vel alterum; sicut ratio animalis, quæ nec præcisse petit rationale, nec irrationale, sed utrumque respicit divissim; sed ratio entis quæ est in Deo v. gr. nequit esse ita indifferens, ut ex se posset esse cum creatura: ergo. Maj. cum implicita prob. est doctrina contrariorum; prob. ergo min. si ratio entis, quæ est in Deo posset ex se esse in creatura, etiam ratio entis, quæ est in creatura ex se posset esse in Deo, ut patet: ergo non est major ratio, ut sit in Deo illa, quam ut sit ista. Quare ergo illa fuit ad talem dignitatem elevata, ut sit idem realitèr cum Summo ente, & ista fuit ita humiliata, ut cum ente per participationem, seù creaturam sit per identitatem conjuncta? Si utraque est ex se indifferens, vel ad altitudinem Dei constituendam, vel ad humilitatem creaturæ componendam. Quis elegit illam ad tantam sublimitatem, & istam ad tantam humiliationem? Non Deus; aliàs conciperetur Deus existens, antequam haberet esse, seù eligeret ens ad sui constitutionem. Igitur quis? Videant quid respondeant adversarii dum.

Prob. 5.° Etiam ratione nova, atque efficacissima; non potest identificari cum Deo aliquod prædicatum, quod repugnaret, non repugnante Deo; sed communitas realis, seù à parte rei est prædicatum, quod repugnaret, Deo non repugnante: ergo talis communitas non potest cum Deo identificari: & consequentèr &c. Maj. est certissima; probat. min. repugnantibus omnibus creaturis possibilibus (ait Scotus, omnesque Scotistæ) adhuc Deus non repugnaret; sed in tali hypotessi repugnaret communitas realis entis: ergo talis communitas est prædicatum, quod repugnaret, Deo non repugnante. Prob. min. in tali hypotessi ratio entis non haberet inferiora saltim Logicæ possibilia; sed nulla natura potest esse communis, quin habeat inferiora saltim logicè possibilia; ut cum S. D. docent omnes Scotistæ: ergo in tali hypotes-

tessi ratio entis non esset communis: ergo &c.

Objic. 1.° Ex S. D. in 1. dist. 3. Quæst. 1. Ubi probat distinctionem ex natura rei inter Divina attributa hac ratione: Sapientia infinita non est formalitèr bonitas infinita: aliàs sapientia in communi, esset formalitèr bonitas in communi; quod est falsum; quia neutra includit aliam in sua ratione formali. Prob. sequel. quia infinitas non destruit formalitèr rationem illius, cui additur: ergo, si sapientia in communi non est, formalitèr bonitas in communi, nec etiam sapientia infinita erit formalitèr bonitas infinita. Ex quo sic arguitur; si ens in substantia esset idem formalitèr, quod substantia, etiam ens in communi, esset formalitèr substantia in communi, quia conjunctio entis cum substantia non tollit formalitèr rationem entis, & substantiæ; sed ens in communi non est formalitèr substantia in communi; aliàs ubi esset ratio entis, esset formalitèr ratio substantiæ, & consequentèr accidens esset substantia, cum sit formalitèr ens: ergo ens cum substantia non amittit formalem distinctionem: ergo &c.

Resp. rationem S. D. optimè probare distinctionem à parte rei attributorum, quia ista cum sint perfectiones disparatæ, & non se mutuò includentes important duplicem realitatem adæquatam; ideòque tàm in communi, quàm contractæ distinguntur formalitèr inter se. Malè tamen sumitur indè paritas ad præsens, quia ens, & substantia se habent quasi superius, & inferius, & in his nec valet argumentum, nec eo utitur Scotus ad suam probandam distinctionem inter prædicata superiora, & inferiora: aliàs posset redargui; relatio in communi non est formalitèr paternitas in communi: ergo relatio Divina, non est formalitèr paternitas Divina; quod ipse negat.

Objic. 2.° Ex eodem in 2. dist. 3. Quæst. 1. §. *Contra istum*, num. 2. ubi probat dari naturas communes à parte rei, sic: *Objectum in quantum objectum est prius, naturaliter in ipso actu; & in illo priori per te, objectum est de se singulare:: igitur intellectus intelligens illud objectum*

tum sub ratione universalis, intelligit ipsum sub ratione opposita suæ rationi. Ex quo sic arguitur; si ens in Deo est singulare, & de se hoc, non posset Deus intelligi sub isto conceptu entis communi; aliàs intelligeretur sub ratione opposita suæ naturæ: ergo nec hoc dicatur dari debet realitas correspondens enti distincta à realitate Dei.

Resp. argumentum posse multiplicitèr instari, tum in conceptu communi, in quo juxta S. D. supr. cit. conveniunt per intellectum Divinæ relationes; tum etiam in conceptu univoco, & communi, in quo etiam per intellectum conveniunt individua in rationi individui, ut cum nobilioribus Scotistis diximus in Logica. Resp. ergo directè dist. antec. non posset concipi sub conceptu communi adæquato, conc. antec. inadæquato; neg. antec. & implic. probat. in hoc sens. & paritèr conseq. Ibi enim loquitur D. S. de naturis prædicamentalibus, de quibus optimè concludit probatio. Nam cum genus debeat facere compositionem realem metaphysicam cum differentia, debet importare realitatem adæquatam aliam à realitate differentiæ; aliàs non posset indè compositio realis resultare. Realitas autem est ratio objectiva conceptibilis conceptu perfecto, & adæquato distincto à conceptu perfecto, & adæquato, quo alia realitas concipitur. At gradus, seù conceptus transcendentes dum concipiuntur, ut communes, (idem dic de conceptu communi Divinæ relationis, & individui ut sic) concipiuntur conceptu imperfecto, & inadæquato; proindequè in ipsis argum. Scoti non convincit.

Objic. 3.° Implicat aliqua plura simùl convenire, & differre secundum unam, & eandem rationem; sed Deus, & creatura realitèr conveniunt in ratione entis, & differunt realitèr in rationibus propriis Dei, & creaturæ: ergo ratio entis à parte rei est distincta à rationibus propriis Dei, & creaturæ. Resp. dist. maj. simùl convenire, & differre actualitèr, conc. maj. fundamentalitèr sub dist. secundum eamdem rationem adæquatè conceptam, conc. maj. inadæquatè attactam, neg. maj. & dist. min.

min. conveniunt fundamentalitèr, & virtualitèr, conc. min. actualitèr, neg. min. & conseq. Deus itaque, & creatura, utpotè primo diversa, actualitèr à parte rei non conveniunt, sed solùm per intellectum inadæquatè concipientem; proindequè ratio conveniendi, & differendi non à parte rei, sed per intellectum distinguntur.

QUÆSTIO QUARTA.

An conceptus entis præscissus sit univocus respectu inferiorum?

Supponimus 1.° ex dictis in Logica, conceptum objectivum esse triplicem: Univocum, æquivocum, & analogum, & insuper analogiam esse triplicem, scilicèt, attributionis, secundum quam plura habent eundem nomen, eademquè rationem, sed in ista participanda unum dicit ordinem, subordinationem, & dependentiam ab alio, ut sanum, quod dicitur formalitèr de animali, & de urina, & medicina per ordinem, seù attributionem ad animal; inæqualitatis, in qua plura habent nomen commune, & ratio per tale nomen significata est eadem, inæqualitèr tamen participata: ut animal respectu hominis, & æqui, quod ab homine participatur cum majori perfectione quam ab æquo; & denique proportionalitatis, in qua aliqua habent nomen commune, & rationem significatam per nomen simplicitèr diversam, sed proportionabilitèr eandem: ut risus, qui dicitur de homine læto, & de prato florente.

Supponimus 2.° Quod gradus univocationis sunt quatuor. Primus est, quando ratio communis, nomini communi correspondens participatur ab inferioribus secundum eundem modum essendi, secundum eundem ordinem essentialem, & denique secundum eundem gradum perfectionis essentialis, in quo sensu sola species infima est univoca; quia sola ipsa prædicta cum æqualitate participatur ab individuis. Secundus gradus, quando ratio illa communis participatur secundum eundem modum

es-

essendi, secundum eumdem ordinem essentialem, non tamen secundum eumdem gradum perfectionis essentialis, ut animal (idem dic de aliis generibus) quod perfectiori modo participatur ab homine, quam à bruto.

Tertius est; quando ratio communis participatur secundum eumdem modum essendi, non tamen secundum eumdem ordinem, nec secundum eumdem gradum perfectionis essentialis; ut numerus, qui habet eumdem modum essendi in inferioribus, quia omnes numeri sunt finiti, non tamen eumdem ordinem, quia priùs convenit binario, quam ternario; nec cum eadem perfectione essentiali; nam perfectior est in ternario, quam in binario.

Quartus denique est, quando ratio communis participatur quidem ab omnibus inferioribus, sed non cum eodem modo essendi, nec cum eodem ordine, nec cum eadem perfectione essentiali; ita se habet ens respectu Dei, & creaturæ: nam ratio entis verè reperitur in Deo, & creatura, sed diverso modo, nam in Deo est infinitum, & independens; in creatura verò est finitum, & dependens, diverso etiam ordine, quia priùs reperitur in Deo, quam in creatura; & diverso tandem perfectionis gradu, nam Deus in ratione entis est essentialitèr perfectior creatura. Undè univocatio est duplex, scilicèt, *perfecta*, quæ importat unitatem rationis communis, modi essendi, ordinis essentialis, & gradus perfectionalis; & *imperfecta*, quæ importat unitatem rationis communis, sed deficiunt cæterę conditiones; quæ non sunt simplicitèr necessariæ ad univocationem, sed ad univocationem perfectam. Quibus notatis.

Dicimus 1.° Ens non est æquivocum respectu suorum inferiorum. Hæc est communis cum Arist. 11. Metaph. cap. 3. & prob. Si ens esset æquivocum nihil posset de Deo demonstrari ex creaturis, quod est contrà Philosophos multa de Deo ex creaturis demonstrantes, & etiam contra Apost. 1. Cor. dicentem: *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: ergo. Probat. sequel. Si ens esset æquivocum, omnia alia prædicata com-

munia essent æquivoca: ergo arguendo ex creaturis ad Deum, semper interveniret fallatia æquivocationis; & consequentèr nihil posset de Deo ex creaturis demonstrari. Eadem ratione probat. etiam nihil posse demonstrari de substantia per accidentia; quia paritèr interveniret fallatia æquivocationis, quando ex accidentibus deducimus aliqua prædicata substantiæ.

Dicimus 2.° Ens est univocum ad Deum, & creaturam, ad substantiam, & accidens. Ita S. D. sæpè, sed clariùs in 1. dist. 3. Quæst. 2. §. *Secundo non attendo*, num. 6. & omnes Scotistæ contra Thomist. asserentes ens esse analogum respectu suorum inferiorum. Probat. conclus. rationibus S. D. cit. §. *quia*. Univoca sunt, quorum nomen est commune, ratio verò significata per nomen est eadem in inferioribus; sed nomen ens est commune, & ratio significata, scilicèt, non repugnantia ad existendum à parte rei, est eadem in Deo, & creatura, in substantia, & in accidenti: ergo est univocum. Prob. min. illa ratio est eadem in pluribus, quæ de omnibus illis prædicatur essentialitèr; sed ratio entis est hujusmodi in suis inferioribus; istæ enim sunt essentiales, & in quid: *Deus est ens*, *creatura est ens*, *&c.* ergo ratio entis est eadem in omnibus inferioribus, & consequentèr univoca.

Probat. 2.° etiam ratione S. D. cit.: quia si ens non esset univocum Deo, & creaturæ, non possemus pro hoc statu aliquid de Deo cognoscere; sed hoc est falsum: ergo. Prob. sequel. Deus non cognoscitur pro hoc statu, nisi per aliquam rationem repertam in creatura: ergo in creatura reperitur aliquid, per quod aliqualitèr cognoscamus Deum. Tunc sic; sed hoc nequit esse aliquid proprium creaturæ, ut creaturæ; nec proprium Dei, ut Dei: quia nihil proprium Dei, ut Dei reperitur in creatura; aliàs Deus esset secundum aliquid creatura; vel creatura secundum aliquid esset Deus; quod repugnat: ergo illud, quod est in creatura, & per quod cognoscimus Deum, est aliquid objectivè commune utrique; & consequentèr ejusdem rationis in Deo, & in creatura; talis est ratio entis: ergo.

Idem

Idem de substantia, & accidenti probat S. D. in 1. cit. Quæst. 3. §. *Quantum ad secundum articulum*, ℣. *Secundum rationem*, num. 9. Nam substantia non immutat inmediatè intellectum nostrum pro hoc statu ad aliquam intellectionem sui; sed tantum accidens sensibile, ut dicemus in lib. de anima: ergo nullum conceptum quidditativum habere possumus de substantia, nisi detur aliquis conceptus objectivus à conceptu accidentis abstrahibilis. Modo sic; sed nullus conceptus objectivus est abstrahibilis à conceptu accidentis, per quem possimus habere conceptum quidditativum de substantia, nisi conceptus entis: ergo conceptus objectivus entis est univocus substantiæ, & accidenti.

Objic. 1.° Philosophus 4. Metaph. text. 21. ait: ens dici multiplicitèr, & dici de entibus sicùt sanum de sanis; sed sanum de sanis non dicitur univocè, sed analogicè, seù æquivocè, ut omnes concedunt: ergo. Item 7. Metaph. text. 2. ait: accidentia esse entia non simplicitèr, sed secundum quid, & entis entia; sed enti simplicitèr, & secundum quid, seù enti, & non enti nihil datur commune univocum: ergo. Resp. ad prim. ens dici multiplicitèr, quoad differentias contractivas, non verò quoad rationem communem, & hoc intendebat prob. Arist. contra Parmenidem, & Melisum asserentes omnia esse determinatè unum ens. Reverà ens dicitur de inferioribus analogicè sicut sanum de sanis; at differunt, quia ens est analogum univocum; sanum verò est analogum cum æquivocatione: nam analogum non est medium inter univocum, & æquivocum; sed semper est cum altero illorum. Ad secundum; dum ait accidens esse ens secundum quid, loquitur comparativè ad substantiam, non verò quia accidens non sit verè ens, sicut homo pictus non est verus homo; ac proindè accidens participat rationem communem entis, & hæc est univoca ad ipsum, & ad substantiam.

Objic. 2.° Quando effectus non adæquat virtutem causæ, nomen illis commune, non potest esse univocum, sed analogum; sed creaturæ sunt effectus Dei in nullo adæ-

adæquantes virtutem illius: ergo nomen ens non potest esse univocum Deo, & creaturæ. Prob. maj. nam quando effectus non adæquat virtutem causæ, non recipit similitudinem ejus secundum eandem rationem: ergo nec potest habere nomen commune univocum. Hoc argum. quod est præcipuum fundamentum Thomist. 1. potest instari, si enim major esset vera, sequeretur, non esse univocationem inter causam, & effectum æquivocum; & consequentèr minera à sole producta v. gr. non esset substantia univocè cum sole; cum sit effectus solis non adæquans virtutem ejus. Deindè duplicitèr potest solvi.

Primo dist. maj. non potest esse univocum in illa ratione, in qua non adæquat, omitt. maj. in alia, neg. maj. & dist. min. non adequantes virtutem illius in conceptu entis præcissè, neg. min. in alia ratione, conc. min. Licèt enim creaturæ secundum rationem pæculiarem non adæquent virtutem Dei, æquantur tamen in conceptu simplicissimo entis; quia tàm Deus, quàm creatura habent esse in rerum natura citra opus intellectus; quæ ratio entis, ut sic, cum consistat in indivisibili, æquè Deo, & creaturis convenit. Secundo dist. maj. non potest esse univocum univocatione physica, seù in primo, & perfectissimo gradu, conc. maj. non potest esse univocum absolutè, seù univocatione minùs perfecta gradualitèr, neg. maj. Univocatio ergo perfectissima, ut diximus, solùm convenit speciei infimæ; & hanc non habet ens; sed illam quam in quarto gradu explicuimus.

Dicimus 3.° Univocatio entis non est pura, sed cum aliqua analogia admixta. Ita S. D. in 1. dist. 8. Quæst. 3. §. *Ad argumenta opinionis*, ℣. *Ad aliud de attributione*, n. 12. & alibi. Et prob. quælibet inæqualitas in participatione entis sufficit ad analogiam inducendam, dummodo sit inæqualitas essentialis, & non prosùs accidentalis; sed Deus, & creatura inæqualitèr participant rationem entis: ergo hæc est univoca cum analogia admixta. Maj. constat ex Philos. 7. Physic. text. 31. ubi ait inæqualitatem inducere analogiam. Probat. min. Quia ratio entis priùs, & perfectiùs participatur à Deo, posteriùs verò,

&

& imperfectiùs à creatura; paritèr priùs, & perfectiùs reperitur in substantia, quam in accidente, ut patet: ergo Deus, & creatura, substantia, & accidens inæqualitèr participant rationem entis; ideòque ens respectu illorum est univocum analogum.

Sed inquires: quo genere analogiæ ens sit analogum? Resp. cum D. S. in 1. dist. 3. Quæst. 3. §. *Contra istam*, ℣. *Consimilitèr*, num. 17. esse analogum analogia attributionis per intrinsecam participationem formæ ab omnibus analogatis. Ratio est, quia ex dictis Deus, & creatura, substantia, & accidens intrinsecè, & essentialitèr sunt entia; tamen creatura habet suum esse cum essentiali dependentia, & habitudine ad Deum; nam si Deus non esset, creatura non esset. Similitèr accidens ita est ens, ut naturalitèr nequeat existere sine dependentia, quam dicit ad substantiam, tanquam ad proprium, & connaturale subjectum; ideoque dicitur entis ens, scilicèt, substantiæ; quia non existit nisi in substantia: ergo ens est analogum respectu suorum inferiorum analogia attributionis; nam hæc species analogiæ versatur inter illa, quæ in participanda ratione communi unum dicit ordinem, & attributionem ad aliud. Potest etiam dici analogum analogia inæqualitatis, propter dicta in prob. præcedentis conclusionis.

QUÆSTIO QUINTA.

An ens contrahatur ad inferiora per differentias, vel modos?

Vix in nostra sententia locum habet quæstio præsens. Cum enim ex jam dictis nulla detur ratio entis ut sic à parte rei, seù importans realitatem verè communem, & indifferentem; ideò nulla dari potest entis vera contractio, aut determinatio. Solùm ergo remanet quæstio ex parte intellectus, & nostri modi concipiendi, per quod, scilicèt, in hoc sensu ens determinatur, aut contrahatur? num per differentias; an verò per modos intrinsecos?

cos? Sed quia dubium plenè resolvi non potest, sinè prævia notitia modorum, ideò

Notandum est modum in communi sic definiri posse: *Est, qui additus rei illam modificat, vel in se, vel in alio, vel ad aliud, vel quoad esse, vel quoad operari.* Et est duplex, intrinsecus, & extrinsecus. Modus extrinsecus est *forma necessariò subjectum afficiens, dando illi aliquid, quod est extra totam essentiam, ut individuam, & existentem.* De quo dubitabis 1.° an possit dici res? Et resp. quod potest dici res, quatenùs essentialitèr cadit sub divisione entis realis, & ut à nihilo condistinguitur; potest dici modus, quatenùs est entitas imperfecta, & per se existere non potest, sed semper est affixus rei fatali quadam necessitate. Dubitabis 2.° an sit quid absolutum; vel relativum? Resp. modos extrinsecos esse entitates relativas, seù relationes extrinsecus advenientes, ut patet ex dictis in tract. de sex ultim. prædicament.; ad quæ ut plurimum modi extrinseci pertinent.

Modus autem intrinsecus, qui solùm ad præsens conducit, definitur communitèr à Scotistis cum S. D. in 1. dist. 8. Quæst. 4. §. *Ad quæstionem*, num. 17. *Qui non variat rationem formalem rei, cujus est modus*; hoc est, ut explicat Villa-Castin, qui non trahit rem ad novum esse, seù constituit novum esse distinctum; in quo differt à differentia v. gr. rationalitas, quæ trahit genus ad novum esse distinctum, cum ipsoque constituit novum esse ab animali distinctum, nempè hominem. De hoc autem dubitabis, quomodo distinguatur à re cujus est modus? Resp. cum communiori, & veriori Scotistarum sententia distingui formalitèr ex natura rei à re, cujus est modus, non formalitèr perfectè, sed imperfectè, seù distinctione formali modali. Quia licèt res possit aliqualitèr quidditativè intelligi sinè modo intrinseco; hic autem nullomodo potest quidditativè intelligi sinè re; ac proindè est formalitas imperfecta, formalitèrque imperfectè à re, cujus est modus distincta. Quibus suppositis.

Dicimus 1.° Ens ut sic non contrahitur ad Deum, & creaturam per differentias, sed per modos intrinsecos.

Ita

Ita S. D. in 1. dist. 8. Quæst. 3. §. *Ad primum*, num. 16. ubi ait: *Isti etiam conceptus contrahentes* (ens transcendentale) *dicunt modum intrinsecum ipsius contracti, & non aliquam qualitatem perficientem illum.* Et prob. ex ipso ibi; conceptus transcendentes, ita per sua contrahentia determinantur, ut non efficiant cum eis veram compositionem metaphysicam; sed hæc solùm vitatur per contractionem entis ad illa per modos intrinsecos: ergo. Prob. min. si talis contractio fieret per differentias, tunc ratio communis, & ratio contrahens, se haberent per modum potentiæ, & actus; & consequentèr una esset perfectibilis, altera perfectiva; sed ex hoc sequitur compositio vera: ergo si ens non contrahitur per modos, nequit vitari compositio, quæ Deo repugnat.

Dicimus 2.° Ens finitum ad substantiam prædicamentalem, & accidens, non contrahitur per modos, sed per veras, & proprias differentias. Prob. quia id contrahitur verè per differentias, quod dicit unam realitatem, seù naturam genericam reverà potentialem respectu inferiorum; sed tale est ens finitum respectu accidentis, & substantiæ prædicamentalis: ergo contrahitur per differentias, non per modos. Maj. patet, quia genus est correlativum speciei, & consequentèr nequit concipî ratio generis, quin intelligatur species ad quam, & differentia, per quam contrahatur. Min. verò patet ex S. D. in 1. dist. 8. Quæst. 3. cit. Ubi excludit rationem generis ab ente transcendenti, quia non est conceptus limitatus, sed indifferens ad finitum, & infinitum; atqui conceptus entis finiti est limitatus: ergo.

QUÆSTIO SEXTA.

An ens in suis passionibus, modis intrinsecis, & differentiis formalitèr includatur?

Supponimus 1.° Ens quidditativè, & formalitèr includî in his, quæ directè respicit ut inferiora, scilicèt, in omnibus generibus, speciebus, individuis, & partibus essentia-

tialibus istorum, nempè, materia, & forma. Supponimus 2.° Ens includi saltim realitèr, & identicè in modis, passionibus, & differentiis, quia cum ente sunt realitèr identificatæ. Dubium ergo est de inclusione formali, & quidditativa. Ante cujus solutionem supponim. 3.° quod quia S. D. infrà cit. docuit, ens non includi in ultimis differentiis, benè verò in non ultimis; indè orta est inter Scotistas contentio, quænam, scilicèt, sit differentia ultima, & quæ non ultima?

Et relictis pluribus modis dicendi apud AA. videndis placet nobis sententia Villa-Castin asserentis, differentiam ultimam in sensu D. S. esse illam, quæ est irresolubilis in plures realitates, & non ultimam, quæ resolubilis est; immò omnem differentiam à suprema usque ad ultimam esse, & appellari posse differentiam ultimam, si sumatur in ultima resolubilitate metaphysica à parte rei, & secundum id, quod significat. Undè *vitalitas* v. gr. potest dici ultima, si secundum suam ultimam, & puram metaphysicam abstractionem sumatur, & solùm est nou ultima, in quantum supponit pro anima, in qua includitur ens. Quibus sic prælibatis

Dicimus: ens nullatenus in suis passionibus, modis intrinsecis, & ultimis differentiis essentialitèr, & quidditativè includi, sed solùm realitèr, & identicè. Est contra D. Thom. 1. contra Gent. cap. 21. & Quæst. 23. de verit. artic. 1. quem sequuntur Discipuli cum Nominalibus, & aliis extraneis, ipsamque tenent meliores, & fideliores Scot. cum S. D. sæpè, sed clariùs in 1. dist. 3. Quæst. 3. §. *Ad quæstionem*, ℣. *Quantum*, n. 6. ubi ait: *Dico, quod ens, non est univocum dictum in quid de omnibus per se intelligibilibus, quia non de differentiis ultimis, nec propriis passionibus.*

Prob. concl. de ultimis differentiis 1.° Si ultima differentia v. gr. rationalitas includeret ens quidditativè, & essentialitèr, non includeret illud præcissè. Et prob. hoc. Tum; quia aliàs idem esset includens, & inclusum, commune, & particulare, quod implicat. Tum etiam; quia ultimæ differentiæ faciunt differre, & differunt

in-

inter se, ut patet; sed non in ratione entis; in hac enim potiùs conveniunt: ergo si differunt non includunt ens præcissè: ergo ultima differentia includit ens, & aliquid aliud. Modo sic; sit illud aliud *A*, tunc inquirimus: illud *A*, vel includit ens, vel non includit? Si secundum, habetur intentum, jam enim sequitur ultimam differentiam ut talem non includere ens. Si primum, iterum redit argumentum: illud *A*, non includit ens præcissè: ergo includit ens, & aliquid aliud. De quo rursùs idem inquiritur, usque in infinitum, vel usque dum perveniatur ad aliquas differentias, quæ non includant formaliter ens; & illæ erunt ultimæ, de quibus loquitur D. S.

Confirmatur: Si ultimæ differentiæ includerent quidditativè ens, essent ultimæ, & non essent ultimæ; hoc implicat: ergo. Prob. sequel. imprimis essent ultimæ, ut supponitur, deindè non essent ultimæ. Quod sic probat. nam ultima differentia est illa, quæ ita differt, & facit differre, ut nullam habeat rationem convenientiæ in illa linea, in qua est ultima; sed per te ultimæ differentiæ conveniunt in ratione entis, si illud includunt in suo conceptu formali: ergo non essent ultimæ: ergo essent, & non essent ultimæ.

Denique istæ etiam rationes æquè probant ens in suis passionibus, & modis non includi; nam si unitas, quę est passio, & finitas, quæ est modus v. gr. includerent ens quidditativè, non includerent illud præcissè; aliàs idem esset passio, & modus sui ipsius, includens, & inclusum, dimanaret à se ipso, supponereturque sibi ipsi; quæ omnia sunt absurda: ergo includerent ens, & aliquid aliud. De illo alio quæritur ut suprà: an includat ens, an non? Si non, habetur intentum. Si includit: ergo procedendum est in infinitum, vel standum in aliqua ratione unitatis, aut finitatis, quæ non includat ens quidditativè.

Objic. 1.° Cui convenit definitio rei, convenit etiam definitum; sed ultimis differentiis (idem dic de passionibus, & modis entis) convenit definitio entis realis: ergo. Prob. min. ens reale definitur per non repugnantiam ad existendum; sed ultimæ differentiæ habent non repug-

nantiam ad existendum; immò actualitèr existunt in rerum natura: ergo convenit illis definitio entis realis: ergo. Confirmatur; ens, & nihil opponuntur contradictoriè: ergo quod non est nihil, est ens; sed ultimæ differentiæ non sunt nihil; ex nihilo enim nihil fit; ex ultima autem differentia v. gr. rationalitate fit homo: ergo ultima differentia non est nihil: ergo est aliquid, & consequentèr ens. Resp. ad argum. neg. min. Ad prob. dist. min. habent non repugnantiam ad existendum realitèr, & identicè, ratione illius, cujus sunt differentiæ, conc. min. ex ratione sua formali, neg. min.

Contrà: Sed ex ratione sua formali habent non repugnantiam ad existendum: ergo. Prob. subsump. si ex ratione sua formali non haberent aptitudinem, seù non repugnantiam ad existendum, haberent ex se repugnantiam; nam inter repugnare, & non repugnare non datur medium, cum sint contradictiones immediatę, & pertinentes ad essentiam rei, inter quas adhuc cum addicto non datur medium: ergo. Resp. neg. subsump. Ad prob. neg. antec. Nam licèt inter repugnare absolutè, & non repugnare, non detur medium; datur tamen inter repugnare, & non repugnare formalitèr, etiam si sit inter primaria prædicata; sicut etiam inter esse, & non esse substantiam absolutè, non datur medium; datur tamen inter esse, & non esse substantiam ex sua ratione formali; rationalitas enim ex sua ratione formali, nec est substantia, nec non substantia.

Ad confirmationem autem conc. antec. dist. conseq. ergo quod non est nihil est ens, vel formalitèr, vel identicè, conc. formalitèr præcissè, neg. conseq. Itaque ens, & nihil opponuntur contradictoriè; hoc est, quod omne id, quod non est ens, nec formalitèr, nec identicè est nihil; cum autem ultimæ differentiæ (idem dic de aliis) realitèr, & identicè sint entia, non potest dici, quod sint nihil, seù non entia; quia ad veritatem propositionis identicæ non requiritur, quod extrema sint formalitèr idem; sed sufficit, quod sint realitèr idem; ideòque licèt formalitèr non sint entia, absolutè tamen nequeunt

di-

dici non entia, sed absolutè possunt appellari entia : ut expressè docuit S. D. Quæst. 21. de anima, ubi loquens de differentiis, ait : *Sunt entia realitèr, non tamen formalitèr; nec tamen ex hoc sequitur, quod secundum se sint non entia, sicut non sequitur ; homo secundum se non est albus : ergo secundum se est non albus; quia nec ex ratione humanitatis habet, quod sit albus, nec non albus; entis ergo differentiæ, non per rationem differentiæ sunt entia, nec tamen sequitur, quod per rationem differentiæ sint non entia.* Qua cum doctrina, & intelligitur Quæst. & argum. resolvuntur.

Objic. 2.° Objectum adæquatum nostri intellectus est ens: ergo nihil potest concipi, quod non sint formalitèr ens. Conseq. patet ; quia nulla potentia potest vagari extra suum objectum adæquatum. Modo sic; sed ultimę differentiæ sunt ex se intelligibiles, ut docet Scotus pluribus in locis: ergo formalitèr ex se sunt entia; implicat enim aliquid esse intelligibile ex se, & non esse formalitèr ens ; sicut implicat aliquid esse formalitèr risibile, & non esse formalitèr hominem. Hoc argumentum funditùs ruit præclara doctrina N. S. D. in 1. dist. 3. Q. 3. §. *Quantum*, n. 8. ubi ait: *Cum nihil possit esse communius ente, & ens non possit esse commune univocum dictum in quid de omnibus per se intelligibilibus, quia non de differentiis ultimis, nec propriis passionibus; sequitur, quod nihil est objectum primum nostri intellectus propter communitatem ipsius ad omne per se intelligibile ; & tamen hoc non obstante, dico, quod ens est objectum nostri intellectus; quia in ipso concurrit duplex primitas* (scilicèt) *communitatis, & virtualitatis; nam omne per se intelligibile, aut includit essentialitèr rationem entis, aut includitur virtualitèr, vel essentialitèr in includente essentialitèr rationem entis.* Undè colliges, quod ut aliquid sit intelligibile, sufficit, quod sit ens, vel quidditativè, & essentialitèr, vel saltim realitèr, & identicè, ut sunt ultimæ differentiæ, & passiones entis.

DIS-

DISPUTATIO SECUNDA.

De passionibus simplicibus entis.

QUÆSTIO UNICA.

In qua varia dubia circa entis simplices passiones ennodantur?

Dubitabis 1.° An unitas, veritas, & bonitas sint proprię passiones entis? Resp. affirmativè. Hæc est communis, & expressa Aristot. 4. Metaph. text. 5. ubi ait: *Quemadmodum numeri, prout numerus est, proprię passiones sunt, ut imparitas, paritas, &c. ita enti prout ens est, quædam proprię sunt*; sed paritas, & imparitas, & alia hujusmodi sunt veræ, & reales passiones numeri: ergo unum, verum, bonum sunt proprię passiones entis formalitèr ex natura rei ab ipso ente distinctæ.

Dubitabis 2.° An unitas consistat formalitèr in negativo, an verò in possitivo? Sentiunt nonnulli, unitatem transcendentalem entis importare solùm negationem divisionis in se, & identitatis cum alio. Communis tamen sententia, oppositum deffendit, nempè, unitatem in positivo formalitèr consistere, licèt in obliquo, & connotativè illam duplicem negationem importet. Est S. D. & suorum: prob. prima pars; divisio est formalitèr negatio, dividi enim, nihil aliud est, quam destrui unionem inter extrema; sed unitas est carentia divisionis: ergo est negatio negationis; atqui negatio negationis non est aliqua negatio; sed quid positivum, quia negatio cæcitatis in animali est ipse visus: ergo esse indivisum in se, idem est, ac esse unum positivè per formam oppositam tali divisioni. Prob. secunda pars; nam unitas divisionem excludit, redditque ens in se entitativè indivisum: ergo in ipso inducit negationem divisionis; sed non in recto, & ut principale significatum, ut patet: ergo in obliquo, & connotativè.

Dubitabis 3.° Quæ unitas sit passio entis? Supponimus

mus unitatem physicam aliam esse agregationis, aliam ordinis, aliam per accidens, aliam denique per se, quæ per se importat unicam essentiam in indivisibili consistentem; & est communis, ac indifferens ad unitatem per se ratione simplicitatis, qualis est unitas Angeli, & ad unitatem per se ratione compositionis, qualis est unitas hominis. Nunc ergo resp. unitatem per se, ut sic, & supremè, seù transcendentalitèr sumptam esse passionem entis; non verò contractam ad aliquam ejus speciem. Prob. quia passio debet habere æqualem latitudinem cum subjecto; sola unitas per se in tota sua latitudine æquatur cum ente transcendentali: ergo sola illa erit passio entis ut sic, seù transcendentalitèr accepti.

Dubitabis 4.° Quænam sit illa negatio, quam unitas importat secundariò, & connotativè? Resp. quod sola negatio divisionis in se transcendentalitèr sumpta, est quæ substituitur pro conceptu adæquato unitatis, dum illam per negationem explicamus. Hæc est communis cum S. D. pluribus in locis; & prob. quia negatio divisionis in partes convenit omni enti, sivè simplici, sivè composito, sivè actuali, sivè potentiali; nam ens simplex, v. gr. Angelus dicitur unus; quia nec est actu divisus, nec in potentia divisibilis; ens verò compositum dicitur unum; quia licèt sit divisibile, non tamen est actu divisum: similitèr animal v. gr. dicitur unum potentiale, seù universale, quando concipitur in suas partes objectivas, hominem scilicèt, & brutum, non divisum: ergo.

Dubitabis 5.° In quo formalitèr consistat veritas passio entis? Resp. Veritatem transcendentalem consistere in aptitudinali conformitate, seù cognoscibilitate rei, sicuti est. Hæc est communis, & prob. Veritas activa, seù in cognoscendo consistit in conformitate, & adæquatione intellectus cum objecto, quod representat: ergo veritas passiva, seù in essendo consistit etiam in conformitate, seù cognoscibilitate rei sicuti est. Antec. patet; tum ex dictis in Logica; tum à paritate rationis; tum quia veritas ut sic univocè dicitur de veritate rei, &

cog-

cognitionis; ideòque per conceptum utrique communem explicari debet. Igitur veritas in essendo consistit in conformitate, seù cognoscibilitate rei, sicuti est. Quæ autem conformitas (ut patet) est relatio realis transcendentalis, seù realitèr identificata cum ente, cujus est passio.

Dubitabis 6.° In quo formalitèr consistat bonitas passio entis? Et supposito, bonitatem primariam, seù essentialem, quæ importat integritatem, & perfectionem rei in proprio esse essentiali, non esse passionem entis, sed solùm secundariam, seù quasi accidentalem. Resp. Bonitas, quæ est passio entis consistit in appetibilitate, seù convenientia, aut conformitate aptitudinali rei ad appetitum, præcipuè rationalem. Hæc est communis in omni Schola, & probat. Sic se habet bonum ad appetitum, sicut verum ad intellectum; sed veritas consistit in aliquo addicto suprà ens, scilicèt, in cognoscibilitate sicuti est, seù conformitate ad intellectum: ergo bonitas etiam consistit in aliquo addicto suprà ens, scilicèt, in convenientia ad appetitum; sed ista convenientia nihil aliud est, quam appetibilitas, seù amabilitas formalitèr sumpta: ergo bonitas, quæ est passio entis, in appetibilitate, amabilitate, seù convenientia ad appetitum præcipuè rationalem consistit. Hic enim, & non sensitivus, potest ferri in totum ens, sivè illud appetere: ergo &c.

Et dictis colliges 1.° falsum, prout opponitur transcendentalitèr vero, sumi pro eo, quod apparet, id quod non est; ad quod adest in re probabilis similitudo, & apparientia, ut auricalchum est falsum aurum, & tamen apparet aurum. Undè falsum est, quod caret identitate cum eo, quod apparet esse. Quæ quidem falsitas reperitur à parte rei in rebus, sed non in omnibus, ut patet. Colliges 2.° malum bonitati transcendentali oppositum, esse, quod bonitate transcendentali caret. Cæterùm hoc nec datur, nec potest dari in rerum natura; implicat enim, quod detur aliquod ens, quod bonitate transcendentali careat. Solùm ergo potest dari malum, quod resultat ex defectu alicujus boni accidentalis, ut negatio visus in cæco &c.

DIS-

DISPUTATIO TERTIA.

De principiis entis.

QUÆSTIO UNICA.

Quodnam sit primum certæ cognitionis principium?

Omnibus *principiis* (ait Arist. 5. Metaph. cap. 1.) *commune est, esse primum, unde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur.* Cum autem ens utpotè abstrahens ab omnibus rebus, importet conceptum simplicitèr simplicem, non habet principia essendi, sed tantùm principia cognoscendi. Principium tamen cognoscendi illud est, quod omnibus aliis præstat tùm certitudine, & firmitate, tùm evidentia, tum officio, adeò ut cætera profluant ex eo, illud autem ex nullo. Hoc autem potest deservire, vel ad demonstrationem redarguitivam, vel ad ostensivam; proindèque principium primum certæ cognitionis in utroque genere inquirimus. In qua

Cartessius part. 1. princip. & in 2. medit. primum istud principium statuit: *Ego cogito: ergo sum.* Recentiores alii primi principi dignitatem huic solent tribuere propositioni: *Quidquid in idea clara, & distincta rei alicujus comprehenditur, id de ea re certissimè potest afirmari.* Peripatetici hoc unicum constituunt principium primum: *Imposibile est idem simùl esse, & non esse.* Cum quibus

Dicimus, neque illud Cartessii: *Ego cogito: ergo sum*; neque propositionem illam. *Quidquid in idea clara, & distincta rei alicujus comprehenditur, id de ea re certissimè potest affirmari*, haberi posse ut primum certę cognitionis principium; celebre autem illud Axioma: *Impossibile est, idem simul esse, & non esse*, ritè constitui primum cognoscendi principium in genere demonstrationis redarguitivæ.

Prob. prima pars: Primum certæ cognitionis principium debet habere intentionalem connexionem cum aliis re-

rerum cognitionibus, ita ut istæ possint probari per illud; hoc enim est, præstare officio omnibus aliis; sed illud Cartessii: *Ego cogito: ergo sum*, non est hujusmodi: ergo non est primum cognitionis principium. Min. prob. quia illa connexio nec demonstratur, nec demonstrari potest à Cartessianis: immo verò cum judicia nostra persæpè exerceantur circa universalia, illud autem effatum sit particulare, & contingens, haberi non potest ea intentionalis connexio: ergo &c. Tum illud Cartesii: *Ego cogito: ergo sum*, est propositio complexa, nec vim illationis, & veritatis obtinet, nisi ab hac altera propositione: *Quidquid cogitat, existit*, aut. *Operari sequitur esse*: ergo una ex istis potiùs, quam illud dici deberet primum principium. Existentia quoque affirmatur, dum dicitur: *Ego cogito*, & iterum traditur, dicendo: *Ergo sum*: ideòque effatum illud hunc reddit ridiculum sensum: *Si sum, sum; sum autem: ergo sum.* Igitur &c.

Prob. secunda pars: Qui prædictam propositionem constituunt, ut primum cognoscendi principium, committunt circulum vitiossum: ergo ea propositio non est primum principium. Prob. sequel. qui ad quæstionem responderent cum ipsa difficultate quæstionis, circulum certè commiterent vitiosum; hoc enim faciunt, qui prædictam propositionem constituunt, ut principium certæ cognitionis: ergo. Prob. min. nam dum quærimus, quodnam sit certæ cognitionis principium? Respond. *Quidquid in idea clara, & distincta rei alicujus comprehenditur &c.* quod est idem, ac dicere: *Quidquid clarè, distinctèque cognoscitur*: ergo respondent quæstioni cum ipsa dificultate quæstionis. Patet ampliùs hoc; nam dum inquirimus medium, seù regulam, cujus ope possimus discernere, quæ sit vera cognitio, quæ falsa, quæ sit reverà clara, distinctaque idea, quæ solùm apparens; ipsam cognitionem, ipsamque ideam claram pro medio, seù regula statuunt: ergo committunt circulum vitiosum.

Prob. tertia pars: Vis demonstrationis redarguitivæ

in

in eo sita est, ut contrarium sentientes ad absona, & imposibilia deducat; sed nihil est magis absonum, & imposibile, quam si duplex illud contradictorium; *simul esse, & non esse*, cogas aliquem concedere: ergo totum robur demonstrationis redarguitivæ resolvitur in hoc principium: *Imposibile est idem simul esse, & non esse.* Deindè principium istud est in hoc genere omninò primum, & in illud cætera resolvuntur: apertissimum quoque, & certissimum est, ita ut ab homine, qui terminos percipit, & loqui velit, ut sentit, nullatenùs negari possit: igitur &c.

At in genere demonstrationis ostensivæ regula hæc satis apta non apparet; quia non explicat quid sit res, sed solùm quid non sit; & probat tantùm non posse rem non esse, si reverà est. Absolutè tamen debet appellari primum principium, quia quæ pertinent ad genus ostensivum demonstratione redarguitiva probari possunt vi prædicti principii: undè aliquomodo notitiis omnibus conformandis deservit. Itaque in genere demonstrationis ostensivæ nequit constitui primum certæ cognitionis principium à priori, sed tantùm à posteriori possumus cognoscere intima, seù essentialia prædicata ex illarum propietate per effectus elucescente.

Objicies contra primam partem 1.° S. Aug. usus est ad veritates comprobandas illo Cartesii principio: *Ego cogito: ergo sum*: ergo est primum certæ cognitionis principium. Patet ant. nam Sanct. D. lib. 2. de lib. arbit. cap. 3. ajebat Evodio de omnibus dubitanti: *Prius abs te quæro:: utrum tu ipse sis: an tu fortasse metuis, ne in hac interrogatione fallaris, cum utique, si non esses, falli omninò non posses?* Idem ferè habet lib. 11. de Civit. Dei cap. 26.: ergo. 2.° Ex illo effato: *Ego cogito: ergo sum*; omnes veritates deducere possumus: ergo. Antec. sic prob. à Cartessianis; ex mea existentia ducor in cognitionem existentiæ Dei; ex Dei existentia comprobatur, veras esse ideas mentis nostræ; aliàs Deus esset causa falsitatis; & denique ex ideis nostris alias res cognoscimus: ergo illud effatum: *Ego cogito: ergo sum*,

est primum certæ cognitionis principium.

Resp. ad 1. S. August. uti illo effato tanquam exordio, non tanquam principio, seù axiomate, quo veritates aliæ possint demonstrari; ut patet ex verbis ipsius dicentis: *Prius abs te quæro, ut de manifestissimis capiamus exordium &c.* Idem enim facit in alio loco citat. Ad secundum neg. antec. & dist. primam partem prob. ex mea existentia ducor in cognitionem existentiæ Dei, quatenùs ex effectu causam colligo, concedo: propter intentionalem connexionem, quam illud effatum habet cum existentia Dei, neg. prob. cujus falsitas ex nostra patet probatione: ergo &c.

Objicies contra secundam partem: illud est primum certæ cognitionis principium, quod certissimum, & evidentissimum est; & quod per aliud non probatur; & per quod cætera possunt demonstrari; sed hujusmodi est ea propositio; *qnidquid in idea &c.*: ergo. Min. prob. omnis certitudo, & evidentia, quam de essentiis rerum habemus, in ideis claris, & distinctis continetur: Deindè nullum principium asignari potest prius illa, & illius ope demonstratur veritas illius principii; *Imposibile est &c.* nam idea essendi excludit ideam non essendi: ergo &c. Resp. neg. min. & probat. falsa utique est illa propositio, ut diximus in Logica, & ampliùs probabimus: ergo nequit esse certum, & evidens principium ad aliquid demonstrandum. Nec idea essendi excludit ideam non essendi, nisi quia *imposibile est idem simul esse, & non esse*: ergo hoc nostrum principium non infertur ex idea essendi, sed è contrà; idea essendi infertur ex ipso.

Objicies contra tertiam partem; principium illud: *Imposibile est &c.* probatur per aliud: ergo. Prob. antec. probatur per istud: *Quodlibet est, vel non est*, quod est legitima ratio *à priori* imposibilitatis simul essendi, & non essendi: ergo &c. Resp. neg. utrumque antec. Nam evidentior est imposibilitas duorum contradictoriorum, quam necessitas disjunctiva ipsorum, qua dicitur alterutrum eorum contingere in rebus. Hinc res è converso se

ha-

habet; potiùs enim ideò quodlibet est, vel non est, quia repugnat *idem simul esse, & non esse*: ergo &c.

DISPUTATIO QUARTA.

De entis possibilitate, & existentia.

QUÆSTIO PRIMA.

A quo oriatur possibilitas entis creati?

Entis creati possibilitas duplex est, *Logica* una, *Objectiva* altera. *Logica* est non repugnantia inter subjectum, & prædicatum in ordine ad intellectum; propterea que dixit S. D. in 1. dist. 2. Quęst. 7. §. *Ad quæstionem*, num. 7.: *Eam importare modum compositionis factæ ab intellectu: & notare non repugnantiam extremorum: de quibus dicit Philosophus lib. 5. Metaph. illud est possibile, cujus contrarium non est de necessitate verum.* Possibilitas autem objectiva est illa, per quam aliquid dicitur possibile, ut terminus potentiæ activæ alicujus agentis: sic rosa in hyeme dicitur possibilis, quatenùs est in virtute productiva roseti. Undè ista possibilitas dicitur proxima; illa verò remota; sed objectiva necessariò præsupponit possibilitatem Logicam; nam id, quod ex suis intrinsecis repugnat, non potest esse terminus virtutis effectricis. Quærimus itaque, undè nam possibilitas oritur? Et

Dicimus 1.° Prima possibilitas objectiva rerum unicè oritur à Divina Omnipotentia. Hæc est ferè communis, ipsamque tenet S. D. in 2. dist. 12. Quęst. 1. §. *Est igitur*, num. 10. & probat.: rem esse in potentia objectiva, est objici virtuti alicujus agentis potentis illam producere; sed prima omnium potentia activa est Divina omnipotentia: ergo prima possibilitas objectiva rerum à Divina omnipotentia oritur; adeò ut si per impossibile Deus non esset omnipotens, res, non ampliùs dicerentur objectivè possibiles, sed impossibiles. Diximus, primam possibilita-

tatem objectivam rerum desumi à Divina omnipotentia: quia secundariò, & dependentèr à prima, etiam à causa secunda potest res dici possibilis extrinsecè, & objectivè; ut patet.

Dicimus 2.° Possibilitas Logica rerum extrinsecè, & principiativè oritur ab intellectu Divino; formalitèr verò, & intrinsecè habetur ex rationibus formalibus ipsarum rerum. Conclus. habet tres partes; unam implicitam, scilicèt, quod creaturæ non habent possibilitatem à se, seù independentèr à Deo; aliam, quod principiativè id habeant ab intellectu Divino: & tertiam, quod ex se ipsis formalitèr hanc possibilitatem habeant. Prima autem est expressa S. D. in 1. dist. 30. Quæst. 2. §. *Ad secundam quæstionem*, ℣. *Et tunc*, n. 16. ubi ait: *Neque illæ quidditates* (loquitur de creaturis in esse quidditativo possibilis) *sunt ex se necessariæ in illo esse quidditativo; sed per participationem sunt sic necessariæ entes, &c.* Ex quo sic deducitur ratio.

Implicat creaturam secundum aliquod esse ita esse necessariam, & indefectibilem sicut Deus; sed si haberet possibilitatem à se ipsa, seù independentèr à Deo, esset ita necessaria, & indefectibilis sicut Deus: ergo. Maj. ex ratione naturali, & fide videtur manifesta: unum enim est necessarium, seù primæ, & absolutissimæ necessitatis, scilicèt. D. O. M. Min. verò probat.: nulla major necessitas, aut indefectibilitas excogitari potest, quam illa, quæ est à se, & omninò independens ab alio; sed hanc haberent creaturæ in contraria sententia: ergo essent equè necessariè, & indefectibiles sicut Deus. Quod, an benè audiat? tu videris.

Secunda verò pars, quod, scilicèt, res habeant possibilitatem logicam principiativè ab intellectu Divino, habetur à S. D. sepè sed clarissimè in 1. dist. 43. per totam, præcipuè num. 3. ubi ait: *Reducendo quasi ad primum principium extrinsecum, intellectus Divinus est illud, à quo est prima ratio possibilitatis in lapide.* Prob. etiam ratione; potentia logica, ex dictis, est modus quidam compositionis factæ ab intellectu judicante, prædicatum

in

in aliqua propositione convenire, & non repugnare subjecto; sed primus omninò intellectus judicans est intellectus Divinus: ergo ab isto habent res principiativè suam possibilitatem logicam.

Tertia denique pars, nempè, quod creaturæ ex se ipsis habeant possibilitatem logicam, infertur etiam ex S. D. in 1. dist. 36. §. *Concedo*, ℣. *Ita*, num. 14. ubi ait: *Quidquid repugnat alicui formalitèr, ex se repugnat ei; & quod non repugnat formalitèr, ex se non repugnat.* Et subdit: *Quia homini non repugnat* (esse aliquid) *ideò possibile est potentia logica; & quia chymera repugnat, ideò est impossibile impossibilitate opposita*: ergo secundum S. D. possibilitas logica formalitèr attendi debet penes rationes formales ipsarum rerum. Patet etiam ratione; si res acciperent esse possibile præcissè ex eo, quod cognoscerentur ab intellectu Divino, tunc etiam chymera esset possibilis; sed hoc est falsum: ergo. Prob. sequel. quia Deus equè cognoscit tàm possibilia, quàm impossibilia: ergo si præcissè ex terminatione intellectus Divini, possibilitas logica desumenda esset, etiam chymera esset possibilis.

Contra primam partem conclus. Objic. 1.° Objectum scientiæ speculativæ non fit per illam, sed præsupponitur ipsi; atqui scientia, qua Deus cognoscit creaturas possibiles ab æterno, est scientia speculativa, cum sit simplicis intelligentiæ: ergo per talem scientiam non tribuit creaturis possibilitatem: ergo à se ipsis talem possibilitatem habent. Resp. dist. maj. objectum primarium, quod est essentia Divina, conc. maj. objectum secundarium, quale est creatura, neg. maj. & conc. min. neg. conseq. Essentia enim Divina, utpotè objectum primarium præsupponitur Divinę cognitioni; secùs essentia creaturarum, quæ est objectum secundarium; hoc enim non est priùs intelligibile, quàm intellectum; aliàs non objectum secundarium, sed primarium esset. Et licèt illa scientia sit speculativa, non tollit, quod sit productiva rerum in esse cognito; sed tantùm, quod nequeat dictare voluntati Divinę, res ad extra faciendas per modum regulæ.

Ob-

Objic. 2.° In illo priori, antequam Deus cognoscat creaturas, vel illæ sunt logicè possibiles, vel impossibiles? Si primum, habetur intentum. Si secundum: ergo illis repugnat fieri possibiles, & ad extra produci; nam impossibile, nequit reddi possibile, nec in rerum natura poni. Resp. neg. suppositum; nam in illo priori creaturę nullum habent esse proprium, & formale in Deo; sed tantùm radicale, & virtuale in Divina essentia; ac proindè, nec sunt possibiles, nec impossibiles formalitèr; possent tamen dici radicalitèr possibiles, in quantùm continentur in virtute suæ causæ; sed hoc non est aliquod esse proprium creaturæ; sed est esse ipsius causæ effectum producere potentis; sicut esse caloris in sole non est aliquod esse formale proprium caloris, sed est formalissimè esse solis calorem producere valentis.

Ad calcem: rogabis, undè oritur impossibilitas rerum? Resp. S. D. in 1. dist. 43. §. *Aliter*, V. *Quantum*, num. 16. dicens: *Sicut Deus suo intellectu producit possibile, in esse possibili, ita producit duo entia formalitèr utrumque in esse possibili; & illa producta, se ipsis formalitèr sunt incompossibilia, ut non possint simul esse unum, nec aliquod tertium ex eis: hancque incompossibilitatem, quam habent formalitèr, habent ex se, & principiativè ab eo quodammodò, quia ea produxit, id est, quasi mediatè, & remotè.* Undè habes, quod impossibile, non est aliquod unum, sed plura possibilia inter se incompossibilia, seù repugnantia; incompossibilia quidem, seù repugnantia ex se formalitèr, & principiativè à Divino intellectu; non proximè, sed mediatè, & remotè, seù quatenùs cognovit illa plura ut possibilia.

QUÆSTIO SECUNDA.

An rerum creatarum essentiæ sint immutabiles?

Cartesius etsi 2. part. Princip. num. 16. Vacuum omne, etiam spectata Dei Omnipotentia, prorsùs esse impossibile contendat, nihilominus sæpè docet: *Essentias re-*

rerum, mathematicasque veritates, quia Deus sic voluit, quia sic disposuit, esse immutabiles, & æternas. Ita apud Gassendum, tom. 3. in dubitationibus, & instantiis ad Cartessii metaphysicam, & responsa in Meditationem quintam. Quamobrem Deus, quem admodum existentias rerum mutare potuit, ita, & illarum essentias, & potuisset falsa reddere prima, & certiora principia, atque efficere, ut bis quatuor non sint octo, & simùl vera sint contraria, & repugnantia ennuntiata. Ita docet pluribus in locis à nostro Ferrari hic citatis. Sed contra illum

Dicimus, essentias rerum creatarum esse omninò immutabiles. Hæc est communis, & prob. Si Deus pro mutu suo posset essentias rerum mutare, & falsa reddere prima, ac certiora principia; posset etiam Synderesis principia destruere, aliam Decalogi legem condere, & falsum reddere principium illud: *Impossibile est, idem simùl esse, & non esse*; sed hæc omnia sunt absurda: ergo. Prob. min. tunc nulla esset lex naturæ, quæ actiones aliquas per se, & ex suis intrinsecis malas esse manifestaret; tunc etiam nihil omninò esset impossibile, ne Deorum quidem pluralitas: tunc denique in eadem re jungi simùl possent esse, & non esse; atque ipsum non esse, non diceret necessariò destructionem essendi: ergo &c. Deindè etiam potuisset Deus falsa reddere illa principia Cartesii: *Quidquid clarè percipio, verum est: Deceptorem esse, est impossibile*; immò si Scepticus credere nollet, Deum, re ipsa, has duas propositiones veras esse, voluisse, non posset Cartesius earum veritatem demonstrare. Patet hoc; quia earum veritas juxta ipsum pendet ex libera Dei voluntate, cujus beneplacitum, non lumine naturæ, sed sola revelatione sciri potest: ergo. Denique essentiæ rerum sunt formalitèr ipsemet res: ergo essentiæ rerum sunt omninò immutabiles; aliàs si, mutata essentia, res permaneret, separaretur, quod est absurdum: ergo &c.

Objicies; S. Aug. Serm. 242. aliàs 147. de tempore ait: *Totum ad voluntatem suam redegit Deus, qui potest & quod impossibile est*; & cap. 97. Enchiridii: *Non ob aliud*

aliud Deus veracitèr vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus; & denique libro 21. de Civit. Dei, cap. 8. inquit: *Natura rei cujusque, est voluntas conditoris*: ergo Deus, & potest impossibilia, & etiam rerum mutare essentias. Resp. ad 1. loc. Deum posse, quod impossibile est naturalitèr, & non posse, quod impossibile est supernaturalitèr, & metaphysicè; & hoc non impotentia sua, sed impossibilium repugnantia. Ad secundum, solùm intendit Sanct. D. probare, voluntatem Dei ab hominis voluntate vinci non posse. Ad tertium dicimus, Aug. non velle, quod voluntas Dei sit formalitèr ipsamet natura, seù essentia creaturæ; hoc enim esset hæreticum; solùm ergo vult, vel naturas rerum quoad accidentalia esse secundum suum beneplacitum, vel potiùs Deum, juxta suum beneplacitum uti rerum naturis ad mirabilia facienda. Neutiquam ergo favet D. Aug. Cartesianorum asserto; immò oppositum expressè docet cap. 1. de Symbolo dicens: *Multa non potest Deus, & omnipotens est; & ideò omnipotens est, quia ista non potest.*

QUÆSTIO TERTIA.

An creaturæ in statu possibilitatis aliquam actualitatem importent?

Sensus quæstionis est; an creaturæ possibiles in tali statu aliquod esse actuale præseferant? An verò nudam, & puram possibilitatem? In qua triplex est sententia prima asserit, creaturas possibiles ab æterno habuisse quoddam esse actuale, non quidem existentiæ, sed essentiæ improductum, ac sibi proprium independentèr à Deo, ratione cujus terminare possunt scientiam. Hęc tribuitur Henrico, Ægidio, Capreolo, & aliis, quos refert Mast. disp. 8 Metaph. Quæst. 1. Secunda tribuit possibilibus quoddam esse ab æterno in mente Dei medium inter reale, & rationis, quod dicitur esse *cognitum*, seù *dimi-*

nu-

nutum. Hanc attribuit Cajet. & alii Thomistæ Subt. D. Sed quam immeritò hoc asserant, & quam injustè oblatrent piissimum Doctorem turpitèr lapsum in errorem Wicleffi asserentis, creaturas in mente Divina aliquod esse reale habere distinctum ab esse Dei; postea constabit. Præterquamquod Bazquez, Suarez, & Eminentissimus Aguirre, Subt. D. à prædicta calumnia defendunt. Tertia denique, & communis in utraque Schola docet, creaturas in tali statu solùm habere esse reale potentiale, nullum tamen esse actuale proprium, & in se.

Dicimus: ergo 1.° creaturæ ab æterno, seù in esse possibili non habuerunt aliquod esse reale actuale essentiæ proprium, & distinctum à Deo. Hæc conclus. est de Fide definita in Concil. Constant. contra Wicleffum, & expressa D. August. sup. Gen. circa finem, ubi ait: *Res antequam fierent, erant, & non erant; erant quidem in Divina scientia; sed non erant in natura propria.* Estque communis Theologor. cum D. Thoma, & Scoto; & prob. ratione istius; quia ex opposita sententia sequeretur, nullam creaturam posse verè, & propriè creari, nec etiam anihilari; consequens est absurdum: immò, & impium: ergo. Prob. sequel. Creatio est productio totius rei ex nihilo, & anihilatio est totius rei in nihilum reductio; sed si res præhabuit verum esse reale ab æterno, quod producitur ab agente, non producitur ex nihilo, cum præsupponeretur esse illius secundum essentiam; & quando desinit esse, non reddit in nihilum, cum semper remaneret secundum esse essentiæ: ergo nec posset res ulla de novo creari, nec anihilari.

Ex quo sequitur, creaturas ab æterno in se, & secundum esse proprium, & reale nullam actualitatem nec essentiæ, nec existentiæ importare; sed solùm nudam, & puram rationem entis realis possibilis, seù possibilitatem: tùm logicam, tùm objectivam. Solùm hic ocurrit quæstio, potiùs de nomine, quàm de re, sed tamen scitu digna ad majorem intelligentiam, & plures æquivocationes vittandas, an, scilicèt, creaturæ in statu possibilitatis dici possint verum ens reale possitivum? Pro qua

Dicimus 2.° Partem affirmativam esse tenendam cum S. D. in 1. dist. 36. §. *Concedo*, ℣. *Ad primum principale*, num. 11. ubi docet: quod licèt homo possibilis non sit ens ratum sumpto pro illo, quod habet esse actuale essentiæ, seù existentiæ; tamen sumpto ente rato pro illo, quod primò distinguitur à figmentis, cui, scilicèt, non repugnat esse verum essentiæ, vel existentiæ, homo est ens ratum, quia formalitèr ex se non repugnat sibi esse. Ex quo sic prob. Ens reale, & positivum, ut distinguitur à nihilo, & ab ente rationis, definitur, esse illud, quod habet, vel habere potest entitatem extra animam; sed creatura possibilis habere potest entitatem, & existentiam extra animam, seù extra suas causas: ergo creatura possibilis est verum ens reale positivum.

Objic. 1.° Ex S. D. in 1. dist. 36. propè finem, ℣. *Ita*, num. 14. ubi ait, hominem in æternitate tàm esse nihil, quàm chymæram; sed chymęra non est ens reale positivum: ergo. 2.° Si creatura possibilis est ens positivum, & habet prædicata essentialia: ergo possemus cognoscere, quid sit res, ignorando, an res sit? Sed hoc est contra Arist. 1. Poster. ubi docet, præcognitionem an sit, esse priorem præcognitione quid sit: ergo. Resp. ad 1. D. S. velle hominem in æternitate tàm esse nihil, quàm chymæram solùm quoad esse actuale, quia utrumque habet negationem actualitatis, non verò quo ad esse possibile, quod habet homo, & quo chymęra caret. Ad 2. Arist. docuit præcognitionem an sit res, non actualis, sed possibilis esse priorem præcognitione quid sit, quo in sensu nil dicit contra nos.

Dicimus 3.° Creaturæ ab æterno, seù in statu possibilitatis habuerunt aliquod esse actuale, non quidem reale essentiæ, aut existentiæ, sed secundum quid diminutum, & cognitum. Hæc conclus. est S. D. pluribus in locis à nostro Villa-Castin cit. estque communis Theol. & prob.: certum est ratione, & fide, intellectum Divinum omnes creaturas possibiles ab æterno cognoscere quoad eorum possibilitatem scientia simplicis intelligentiæ: ergo res ab æterno denominantur cognitæ ab intellec-

lectu Divino: ergo convenit creaturis ab æterno esse cogniti, sicut intellectui Divino esse cognoscentis. Confirmatur; quia prorsus irrationabile est concedere oculum videre parietem, & negare parietem esse visum: ergo pariter mera stultitia foret asserere Deum ab æterno cognoscere creaturas possibiles, & negare illas habere esse actuale cogniti in mente Divina. Hoc enim est esse actuale, quod D. S. concedit creaturis ab æterno, quod nullus, nisi insensatus, illis denegabit: taceant ergo Cajet. cæterique Thomistæ; qui S. D. hac de causa cum Wicleffo confundunt: *Non intelligentes* (ut ait Apost.) *neque quæ loquentur, neque de quibus affirmant.*

Objicies cum Thomistis; ex hac sententia sequeretur 1.° quod res essent ab æterno creatæ secundum illud esse cognitum. 2.° Deum secundum tale esse creaturas necessariò, & non liberè producere. 3.° Quod Deus absque tali esse diminuto, & cognito esse non posset, quod dicere scandalosum est. Resp. ad primum neg. seq. quia creatio terminatur ad verum esse simplicitèr, non verò ad esse cognitum, seù secundum quid. Ad secundum concedimus, quod sicut Deus naturali necessitate intelligit ab æterno creaturas, ita illas necessariò producit secundum esse *cogniti*, seù secundum quid, quod non est producere ad extra simplicitèr; hoc enim pertinet ad Divinam voluntatem. Ad tertium dicimus, nullum ex nostra sententia sequi scandalum, nisi in non intelligentibus, quod sicut Deus non potest esse sinè scientia simplicis intelligentiæ, qua cognoscit possibilia; ita ista nequeunt esse sinè esse cogniti, quod ex Dei cognitione resultat.

Dicimus 4.° Illud esse cognitum, quod creaturæ habuerunt ab æterno in Divina mente, non est medium inter ens reale, & rationis. Hæc conclus. est S. D. infrà citandi, est etiam communis inter Scotistas contra Pontium, & Herrera. Prob.: implicat dari medium inter contradictoria; sed ens reale, & rationis in suis formalibus rationibus contradicunt: ergo non est dabile ens medium inter illa. Prob. min. ens reale dicitur illud, cui

non

non repugnat esse à parte rei, seclusa operatione intellectus; ens autem rationis est, cui repugnat esse à parte rei, tantùmque habet esse objectivè in intellectu; sed repugnare esse à parte rei, & non repugnare contradicunt: ergo &c.

Dicimus 5.° Illud esse diminutum, & cognitum est ens rationis, non quidem formale, & fabricatum, sed materiale, & derelictum, seù fundamentale. Ita S. D. sæpissimè locis citatis, sed clariùs dist. 36. cit. per totam præsertim, num. 12. ubi ait: *Concedo, quod Deus ab æterno intellexit lapidem:: nec tamen plus sequitur ex hoc de lapide, quod sit essentia, quam existentia, nec magis comparando ad intellectum Divinum, quam meum. Sequitur quidem: igitur res semper fuit intellecta. Sed arguendo: ergo res fuit in aliquo esse reali, dico, quod est fallatia secundam quid ad simplicitèr.*

Ex quo sic prob.: illud esse cognitum, quod res ab æterno habent in intellectu Divino, est ejusdem rationis cum esse, quod habent ab intellectu meo, ut ait Dr. S. sed intellectus creatus ex terminatione ad objectum nihil reale intrinsecum ponit in ipso, sed solam denominationem, quæ licèt sit aliquid extrinsecum reale, ut dictum est in Logica, tamen præbet fundamentum cogens, ut intellectus efformet ens rationis, concipiendo esse cognitum per modum alicujus intrinseci in objecto: ergo esse cognitum creaturarum est ens rationis, non formale, sed fundamentale, & derelictum.

Undè licèt cognitio Divina sit forma realis, & verè terminetur ad possibilia; at illud esse cognitum, quod ex terminatione derelinquit, non est esse reale, sed intentionale, & purum ens rationis. Sed nota maximè, hoc esse cognitum non esse idem cum illo esse possibili Logicè, seù cui non repugnat existentia; nam hoc secundum, ut diximus, est verum ens reale potentiale. Quare cognitio Divina respectu possibilium duplicem quasi causalitatem exercet; unam quasi efficientis, seù principiantis esse possibile, seù reale nominalitèr; aliam de genere quasi formalis extrinsecæ, quia se habet ut forma

dans

dans esse cogniti. Argumenta, quæ hic fieri possunt (ait Villa-Castin) ex doctrina data se ipsis corruunt, quæ enim ex sinistra intelligentia procedunt, data intelligentia, statim evanescunt.

QUÆSTIO QUARTA.

Quomodo essentia actualis creata distinguitur ab ejus existentia?

Diximus *creata*, quia certum est existentiam Divinam nullo modo ab essentia distingui, sed esse prædicatum quidditativum, & essentiale Dei. Dubium itaque ad existentiam creatam debolvitur. Pro quo; suppone 1.° existentia esse *id, vi cujus res ponitur extra nihil, seù constituitur actu, & formalitèr extra causas.* Undè ex vi nominis existere est, quasi extra sistere, & existentia, quasi extra sistentia; nam quod existit, sistit extra nihil sui; quia antea nihil erat actu; sistit extra potentialitatem essendi; nam antea solùm erat in potentia; sistit tandem extra causas, in quarum virtute priùs continebatur.

Suppone 2.° Existentiam esse quid reale intrinsecum rei existenti, & quid positivum. Est quid reale; quia, exercet effectum realem, nempè constituere rem verè extra causas. Est quid intrinsecum; quia prædictum effectum exercet in genere causę quasi formalis, quę suum effectum præstat per intrinsecam exhibitionem suæ entitatis. Est tamen quid positivum; per negationem enim nihil potest existere. Suppone 3.° Existentiam, ut hic de ea loquimur, seù prout importat exercitium existendi contingentèr se habere ad essentiam; non enim est prædicatum ejus quidditativum, & essentiale; aliàs sempèr res necessariò existeret, quod proprium est solius Dei. Undè hæc propositio *Deus existit* est necessaria, immò essentialis; hæc verò *homo existit* est contingens, & quinti prædicabilis. His suppositis.

Triplex in hac re circunfertur sententia. Thomist. com-

communitèr asserunt, essentiam actualem realitèr entitativè distingui ab existentia. Nominales verò, & communitèr Suaristæ tenent, utramque nullomodò à parte rei, distingui, sed solùm per intellectum. Scotistæ tamen cum S. D. mediam tenent viam, scilicèt, non distingui realitèr, nec ut res à re, nec ut res à modo extrinseco, nec sola ratione; sed distinctione formali ex natura rei infrà explicanda. Cum quibus

Dicimus 1.° Essentia actualis creata non distinguitur realitèr ab existentia. Hæc conclus. est DD. secundæ sententiæ cum S. D. pluribus in locis citatis à Villa-Castin, quem sequuntur omnes discipuli, nullo excepto, ut malè affirmant Aguirre, & Palanco, qui quosdam Scotistas innominatos citant pro opposita; sed nullum nominare possunt.

Prob. 1.° Ratione fundamentali, & quidem demonstrativa; nam existentia est id, vi cujus res ponitur extra nihil, & extra suas causas; sed res per suam essentiam actualem, & non per aliquid à se distinctum ponitur extra nihil, & extra suas causas: ergo essentia actualis, seù producta cujuslibet est realitèr existentia ipsa. Maj. est definitio existentiæ. Min. prob. 1.° per id aliquid ponitur extra nihil, & extra suas causas, per quod opponitur, & excludit sui non esse; sed res per suammet essentiam opponitur, & excludit sui non esse, ut patet: ergo per suum esse ponitur extra causas: ergo per se ipsam, & non per aliquid distinctum existit. 2.° Essentia hominis in statu possibilitatis non est actu, & in statu existentiæ jam est actu: ergo per se ipsam formalissimè est. Prob. conseq.: unum contradictorium solùm aufertur per suum contradictorium; sed non esse essentiæ non opponitur contradictoriè, nisi esse essentię; non autem alteri possitivo ab essentia distincto: ergo non esse essentiæ tollitur per ipsam essentiam; proindèque per ipsam formalitèr est, seù existit, & non per aliud.

Respondent aliqui Thomistæ, rem per suam essentiam esse extra nihil essentiæ, non verò extra nihil existentiæ, sed ad hoc requiri existentiam distinctam. Sed

hæc

hæc solutio est mera nugatio, & petitio principii, destruitque definitionem existentiæ ab omnibus admissam. Patet; quia quod est extra causas in actu secundum suam essentiam, verissimè existit, seù habet actum existentię: ergo nugatio est, dicere rem esse extra causas productam secundum actum essentiæ, & non secundum actum existentiæ. Prob. antec. illud est formalitèr existentia, quo formalitèr res est in actu opposito potentiæ objectivæ; ut ait Philos. 9. Metaph. text. 11. ubi inquit: *Est autem actu existere rem, non ita sicut dicimus potentia*; sed essentia in actu præcisso essentiæ, est in actu opposito potentiæ objectivæ: ergo verissimè existit independentèr ab omni alio distincto, & superaddicto. Impugnatur ampliùs; res posita extra nihil essentiæ per actualem essentiam, non est nihil: ergo est aliquid. Modo sic; sed quod est aliquid in rerum natura est existens, quia est productum à causa efficiente, & est terminus actionis ejus: ergo.

Respondent alii, essentiam pro priori ad existentiam esse in quodam statu viali, seù medium inter possibilitatem, & existentiam, atque ita pro illo priori esse extra statum possibilitatis, sed nondum ad existentiam pervenisse, quousque habeat illam existentiam distinctam. Contrà; existentia solùm desideratur ad hoc, ut res excludat potentiam objectivam, & recedat à nihilo sui; quia ex Philosopho cit. est actu rem existere, non ita sicut dicimus potentia; sed per illum actum entitativum, aut vialem res satis excludit potentiam objectivam, & à nihilo sui recedit: ergo plenè existit absque alio superaddicto.

Prob. ergo 2.° conclus. nihil potest constitui intrinsecè, & formalitèr in esse, seù in ratione entis per aliquid à se diversum; nam quidquid est, se ipso, & formalitèr est; aliàs se ipso esset nihil; sed essentia ratione existentiæ est in actu intrinsecè, & formalitèr ens: ergo implicat, quod existentia sit, quid realitèr ab essentia distinctum; aliàs non esset intrinsecè, & formalitèr ens; neque secundum suum esse formale intrinsecum esset

for-

formalitèr extra causas. Confirmatur; vel essentia mea est extra causas, & in actu opposito potentiæ objectivæ intrinsecè, & formalitèr, vel tantùm denominativè, & per aliud? Si primum: ergo erit intrinsecè, & formalitèr existens per propriam, & indistinctam actualitatem; quia actualitas excludens potentiam formalissimè objectivam, est ipsa existentia. Si secundum: ergo intrinsecè, & formalitèr erit adhuc possibilis, seù in potentia objectiva, quamvis ei uniatur existentia; sicùt licèt forma uniatur materiæ, nihil illius esse immutat intrinsecè, sed eam adhuc relinquit in sua potentialitate.

Prob. denique conclus.: ideò præcipuè distingunt Thomistæ essentiam creatam ab existentia, quia essentia creata est indifferens ad existendum, vel non existendum; & aliquando existit, aliquando non; hinc enim infferunt, quod quando essentia existit, habet aliquid, quod non habebat, quando non existebat; sed hoc idem cernitur in ipsa existentia, ut patet in existentia Antichristi, quæ nunc non habetur, & aliquando habebitur: ergo etiam existentiæ possibili debet assignari aliquid distinctum ratione cujus existat, & sic in infinitum. Vel si existentia sinè aliquo superaddicto est actu à parte rei, idem poterit de ipsa essentia sustineri. Confirmat. existentia, qua nunc gaudeo, non fuit ab æterno; aliàs essem æternus, sicùt Deus: ergo fuit possibilis, sicùt essentia: ergo æquè indifferens est ad existendum, & non existendum: ergo indiget alia existentia distincta, sicùt essentia, & sic in infinitum.

Objic. 1.° Inter recipiens realitèr, & realitèr receptum necessariò concedenda est distinctio realis; sed existentia est actus realitèr in essentia receptus: ergo. Prob. min. si existentia non esset actus realitèr in essentia receptus, esset actus simplicitèr infinitus, nam esset simplicitèr actus purus; sed hoc implicat: ergo. Prob. seq. maj. careret existentia omni potentialitate: ergo esset simplicitèr actus purus. Prob. antec. omnis potentialitas provenit, ex eo, quod forma est receptiva alicujus, vel in altero recepta; sed existentia nequit esse alicujus re-

receptiva, cum sit ultima actualitas rei, & non ulteriùs actuabilis per aliam: ergo si existentia non esset in altero receptibilis, vel recepta omni potentialitate careret: ergo est recepta in essentia, & consequentèr distincta.

Hac ratione, dicit Froilan, Thomistarum acies armatas, & invincibilitèr ordinatas procedere. Sed nobis id legentibus statim occurrit illud Poœtæ. *Pugnabant aliî tardis apud Illion armis, quo tulerat vires Græcia tota suas:* & *illud Senecæ: Licèt arma longè, latèque miles explicet, fortuna belli semper ancipiti in loco est.* Resp. ergo: solùm primam maj. argumenti esse veram, reliquas verò, vel penitùs falsas, vel æquivocas. Itaque ut aliquid non sit actus purus, seù simplicitèr infinitus, sufficit, quod sit receptum ab alio tanquam á causa productiva sui esse, sivè quod dependat ab alio tanquàm á causa efficiente: & hoc modo omnis creatura tàm quoad essentiam, quàm quoad existentiam est ab alio, nempè, á Creatore. Ac proindè est finita, & limitata: *Nam quod habet á se aliquid (ait S. D. quodl. 7. §. ad argumenta principalia. ℣. sed numquid, num. 31.) habet illud in tota plenitudine, quæ sibi competere potest: nihil enim habetur limitatè in aliquo, nisi habeatur determinatè ab aliquo agente determinante illud ad certum gradum, &c.*

Undè ut existentia creata non sit actus purus, sufficit, quod creatura habeat illam, non necessariò, sicut Deus, sed dependentèr à causa prima, non autem requiritur, quod existentia sit recepta in essentia tamquàm in subjecto. Immò si juxta Froylan omnis potentialitas provenit ex eo quod forma sit receptura alicujus, vel in altero recepta, jam habetur ex hoc capite, quod essentia, & existentia creata sint limitatę; nam licèt neutra recipiatur, tamen utraque recipit accidentia; nam omnia illa recipiuntur in subjecto existente; siquidem una ex præcipuis conditionibus, ut aliquod accidens recipiatur in subjecto, est existentia ipsius.

Objic. 2.° Quod convenit alicui per accidens; aut contingentèr, realitèr ab illo distinguitur; sed existentia per accidens, & contingentèr convenit essentiæ: ergo. Prob. min.

min. quia existentia potest essentiæ deficere; nam potest essentia non existere, seù non habere existentiam; sed quod potest alicui deficere, accidentalitèr, & contingentèr ei convenit: ergo. Resp. 1.° argumentum posse instari in sententia Thomistarum in ipsamet existentia, ut patet in ultima prob. conclus. Resp. 2. dist. maj. quod convenit per accidens prędicamentalitèr, conc. maj. prædicabilitèr, neg. maj. & dist. min. per accidens prędicabilitèr, conc. min. prędicamentalitèr, neg. min. & conseq. Existentia enim dicitur per accidens convenire creaturæ, non quia distinguitur realitèr ab essentia creata, sed quia non intrat conceptum ejus quidditativum; quod sufficit, ut sit accidens prædicabile, & non conveniens per se, quamvis identificetur realitèr cum essentia creaturæ; nam rationale in homine identificatur cum animali, & tamen per accidens animali convenit.

Objic. 3.° Terminus generationis realitèr distinguitur ab eo, quod non est terminus generationis; sed existentia est terminus generationis, non verò essentia; nam essentiæ rerum sunt ingenerabiles, & incorruptibiles: ergo. Resp. neg. min. nam tàm essentia, quàm existentia est generabilis, & corruptibilis, seù terminus generationis, & corruptionis; solùmque essentiæ dicuntur ingenerabiles, & incorruptibiles verificativè, seù quo ad connexionem prædicatorum; ratione cujus propositiones in ipsis fundatæ sunt verę, necessarię, & æternæ.

Objic. 4.° Nihil potest esse in potentia ad seipsum; sed essentia est in potentia ad existentiam; nam actuatur, & exercetur per illam: ergo realitèr ab existentia distinguitur. Dist. maj. nihil potest esse in potentia subjectiva ad seipsum, conc. maj. in potentia objectiva, neg. maj. & paritèr dist. min. essentia est in potentia objectiva ad existentiam, conc. min. in potentia subjectiva, neg. min. & conseq. Itaq. potentia subjectiva respicit actum formalem, inadęquatum, & à se distinctum; at potentia objectiva respicit actum entitativum, qui non est aliquid distinctum; sed eadem tota res, quæ latebat intra causas, totalitèr posita extra illas, solùmque distincta

ta ratione status. Essentia ergo est in potentia objectiva ad existentiam, non verò in potentia subjectiva; immò loquendo de essentia actuali, de qua hic loquimur, nullomodo est in potentia, nec objectiva; aliàs esset intra causas; nec subjectiva: quia non se habet ut aliquod tertium indifferens ad existere, & non existere; quemadmodum materia eadem permanens, modo est sub forma, modo sub carentia illius. Potest tamen non esse, seù dependere esse, quod habet, non transeundo cum eodem esse ad alium statum, sed illud amittendo.

Dicimus 2.° Essentia actualis distinguitur ab existentia formalitèr ex natura rei, & non solùm per intellectum. Hæc est ferè communis apud Nostrates. Prob.: major distinctio statuenda est inter essentiam, & existentiam creatam, quam inter essentiam, & existentiam Divinam; nam existentia est prædicatum Dei quidditativum, non autem creaturæ, ut tenent communitèr Theologi; sed essentia, & existentia Dei possunt distingui ratione ratiocinante, immò & ratiocinata: ergo major distinctio, quam ista reponi debet inter essentiam, & existentiam creatam. Prob. min.: Quis enim dicet, me non posse per rationem distinguere essentiam, & existentiam Divinam? Cum ad hanc distinctionem nullum requiratur fundamentum cogens, nec requiratur partitio, aut imperfectio in objecto; sed se habeat omninò extrinsecè ex imperfectione modi concipiendi intellectus: ergo talis distinctio in Deo poni potest; ac proindè alia distinctio major ista inter essentiam, & existentiam creatam statui debet.

Prob. 2.° Ea, de quibus actualitèr à parte rei verifficantur prædicata aliàs contradictoria, actualitèr à parte rei distinguntur; sed de essentia, & existentia creata à parte rei, & nullo cogitante intellectu, prædicata aliàs contradictoria verifficantur: ergo à parte rei utraque distinguntur. Maj. ferè est evidens ex terminis, ut posteà dicemus. Min. verò prob.: quia de essentia verificatur, quod sit quidditas rei ex 7. Metaph. 53. de existentia verò, quod nec sit quidditas, nec de rei quidditate,

essentia est reponibilis in prædicamento, secùs verò existentia, & alia hujusmodi; sed hæc verifficantur à parte rei, ut patet: ergo.

Dicimus 3.° Hanc distinctionem existentiæ ab essentia non esse formalem perfectam, sed imperfectam, seù formalem modalem. Prob. nam existentia est modus essentiæ creatæ, ut expresè habet S. D. Quodl. 1. §. *contra ista*, ℣. *ad secundum*, num. 4. ubi ait: *Quod essentia, & ejus existentia in creaturis se habent sicut quidditas, & modus::: in Divinis autem existentia est de conceptu essentiæ, & prædicatur in primo modo dicendi per se*; sed quidditas, & ejus modus intrinsecus distinguntur tantùm distinctione formali imperfecta, seù modali: ergo essentia, & existentia in creatis solùm distinguntur præfata distinctione.

Sed objic. Per id formalitèr essentia existit, per quod distinguitur á se ipsa, ut posibili; sed distinguitur á se ipsa, ut posibili per suammet entitatem formalem: ergo per seipsam formalitèr existit. Prob. min. non esse essentiæ solùm per essentiam excludi potest; modus enim sicut non constituit essentiam, ita non opponitur, nec excludit negationem essentiæ: ergo essentia ipsa formalissimè distinguitur à se ipsa, ut possibili, & excludit sui non esse. Confirmatur; entitas essentiæ actualis specifficativé sumpta, & prout formalitèr distincta ab existentia; vel est aliquid, vel nihil? Non secundum, aliàs essentia, & existentia distinguerentur, sicut ens, & non ens: ergo est aliquid: ergo ex se est existens; nam existentia est id, quo res ponitur formalitèr extra nihil.

Resp. conc. maj. dist. min. Per suammet entitatem actuatam, & existentem, conc. min. Per suammet entitatem formalem præcisivè sumptam, neg. min. Ad prob. dist. antec. non esse essentiæ metaphysicum, conc. min. non esse reale, seù actuale subdist. per essentiam, ut *quod*, conc. ut *quo*, neg. antec. & conseq. in eodem sensu. Existere enim, vel non existere, non sunt contradictoria metaphysica, quæ possunt cadere suprà formalitates, quia non est contradictio secundum esse formale,

sed

sed secundum esse reale, & physicum. Undè essentia actualis specificativè sumpta, & prout condistincta à modo superaddicto, nequit se sola excludere non esse realitèr, proindèque requirit modum, vel actualitatem, quæ sit *quo*, seù forma actuandi omnes formalitates, & ratione illius excluduntur extra nihil, seù extra non esse reale; non quia ille modus det quidditatem, aut essentiam; sed quia ipsam quidditatem, & essentiam actuat, & facit existere. Per quod patet.

Ad confirm. Dicimus enim, essentiam actualem specifficativè sumptam, & proùt formalitèr ab existentia distinctam esse adhuc existentem, quia cum illa distinctio, aut præcissio non excludat statum realem, nequit illa formalis exclusio tollere, quin essentia tûnc sit existens per modum subsequutum ob realem identitatem inter utrumque; cui distinctio formalis non opponitur, nec illam excludit. Quod si intendat arguens, essentiam pro statu specifficativo excludere modum, & adhuc tunc esse extra nihil, seù existere? neg. suppositum: quia esse, & existere, prout excludunt non esse, & nihil, non mensurantur per instantia naturæ, sed temporis, quod multa instantia naturæ complectitur.

APENDIX.

Ubi varia dubiola de essentia, & existentia cursim resolvuntur.

Dubitabis 1.° An ex essentia, & existentia fiat compositio, & qualis? Resp. essentiam cum existentia efficere compositionem metaphysicam modalem, quæ minima est inter omnes compositiones ex natura rei. Prob. compositio est distinctorum unio habentium se per modum actus, & potentiæ: ergo qualia fuerint extrema distincta, talis indè resultabit compositio. Modo sic; sed extrema in præsenti nec sunt distincta realitèr, nec formalitèr perfectè, sed solùm modalitèr, ut diximus: ergo compositio, quæ est in illa, nec erit realis physica, nec for-

formalis perfecta; sed formalis imperfecta, seù modalis, quæ quasi compositio meritò ab aliquibus appellatur.

Dubitabis 2.° Utrùm essentia sit perfectior existentia? Resp. affirmativè contra Thomistas; & prob. essentia est radix passionum, & proprietatum rei, estque primum principium substantiale operationum ejusdem: ergo est perfectior, & nobilior, quam existentia. Probat. antec. humanitas est rationalis, discursiva, risibilis, &c. & essentia Angeli est intellectualis, volitiva, capax beatitudinis; sed nihil horum habet existentia, quæ tantùm est conditio ad hoc, ut essentia exerceat istas operationes: ergo. Confirmatur; id, quo res essentialitèr, & quidditativè, sivè specificè constituitur, est perfectius in tali re; sed res essentialitèr, quidditativè, & specificè constituitur per essentiam, non verò per existentiam: ergo.

Dubitabis 3.° Quibus conveniat existentia? Supponimus, quamlibet entitatem physicam habere suam propriam existentiam, nec unam rem per existentiam alterius existere posse, nec plures res per unicam existentiam. Undè nec materia existit per existentiam formæ, nec accidentia per existentiam subjecti, nec modi extrinseci per existentiam rerum, nec humanitas Christi Domini per existentiam Verbi Divini. Ratio generalis est: si enim existentia realitèr non est aliud, quam essentia in actu, sequitur manifestè, non posse existere, nisi per propriam existentiam. Quare sicut impossibile est, quod aliqua res sit ens per alienum esse; ita impossibile est, quod sit actualis, vel actu ens per alienam actualitatem, vel existentiam. Hoc supposito, ut satis probato.

Dubium ad formalitates metaphysicas devolvitur; an, scilicèt, cuilibet formalitati metaphysicę (idem dic de proprietatibus, & modis intrinsecis) quæ est in homine v. gr. correspondeat propria existentia distincta formalitèr ab existentia alterius? An verò omnes formalitates unica indivisibili existentia existant?

Dicimus; formalitates metaphysicas ejusdem rei non ha-

habere propriam existentiam; sed omnes, & singulas existere per unicam, & adæquatam existentiam ejusdem rei. Hæc est probabilior in Schola S. D. licèt opposita quoque non careat probabilitate; eamque tenet in 2. dist. 3. Quæst. 3. ubi ait: *Non enim esse existentiæ habet proprias differentias, alias à differentiis esse essentiæ, quia tunc oporteret ponere propriam coordinationem existentiarum, aliam à coordinatione essentiarum &c.*

Prob. ex ipso ibi: existentia est natura sua posterior tota essentia, & supponit eam completam, & integram in ordine suo, secundum omnem coordinationem prædicamentalem illius, ita ut possimus adæquatè concipere essentiam cum omnibus suis gradibus prædicamentalibus, etiam cum individuali, absque eo quod concipiamus existentiam, quia hic homo (ait Doct.) non plus includit existentiam actualem, quam homo: ergo prius intelligitur tota essentia adæquatè constituta, adhuc in esse individuali, quam adveniat existentia; & consequentèr nulla formalitas potest per se ipsam immediatè habere existentiam. Prob. conseq. nam si in homine formalitas viventis v. gr. haberet propriam existentiam, illa existentia præintelligeretur aliis gradibus inferioribus, sicut illa essentia, cujus esset: ergo non supponeret totam coordinationem prædicatorum; ac proindè existentia non intelligeretur post omnem coordinationem prædicamentalem.

DISPUTATIO QUINTA.

De identitate, & distinctione in communi.

QUÆSTIO PRIMA.

In quo consistat ratio formalis identitatis in communi?

Relictis variis modis dicendi, passim apud AA. videndis. Dicimus, identitatem formalitèr sumptam in relatione consistere. Ita Arist. 5. Metaphysicę, text. 20. ubi iden-

identitatem enumerat inter relationes primi modi, quæ in unitate fundantur. Undè est commune axioma in cap. de relatione, quod unum in substantia facit idem, sicut unum in quantitate æquale, & unum in qualitate simile. Ita etiam S. D. 5. Metaphys. Quæst. 12. §. *De quæstione primi modi*, per tot. &

Probat. Nam res dicitur eadem, vel quia convenit cum alia in aliquo prædicato communi, generico, scilicèt, vel specifico; vel quia est idem sibi? Si primum; clarè constat talem identitatem esse relationem, quia nequit concipi sinè habitudine ad aliud. Si secundum; etiam constat, identitatem esse relationem; nam talis identitas nequit concipi, aut explicari nisi conceptu relativo; quia in tali identitate utimur uno, tanquam pluribus, ut expressè docet Aristol. ibid. text. 16. ubi ait: *Quare patet, quod identitas unitas quædam essentiæ est, aut plurium, aut unum ut pluribus utatur, ut putà cum dicit ipsum sibi ipsi idem, ut duobus enim ipso utitur*: ergo secundum Philosophum ad quamlibet identitatem requiritur pluralitas extremorum; aut realis, si identitas sit inter extrema realia; aut saltim rationis, si est identitas ejusdem ad seipsum.

Confirmatur; sicut similitudo est convenientia in qualitate, & æqualitas in quantitate; ita identitas: v.gr. generica, vel specifica est convenientia plurium in eadem essentia, & substantia; sed illæ convenientiæ sunt formalitèr relationes: ergo & identitas. Sed adverte, quod identitas erit relatio realis, si versatur inter extrema realia, & realitèr distincta. Si verò extrema nec sunt realia, nec realitèr distincta, ut in identitate numerica, non erit relatio realis, sed rationis; nam talis est relatio, qualis est distinctio extremorum: ergo inter extrema realitèr distincta dabitur relatio realis, & inter extrema sola ratione distincta dabitur relatio rationis.

Objic. 1.° Quod est à parte rei idem, habet identitatem realem, sicut quod est à parte rei album, est tale per albedinem realem; sed Petrus est idem sibi ipsi à parte rei: ergo per identitatem realem. 2.° Identitas nu-

me-

meralis est omnium maxima, & perfectisima: ergo non est identitas rationis, sed realis. 3.° Distinctio numeralis est relatio realis: ergo etiam identitas numeralis, quæ est ejus oppositum, erit realis; nam quando unum contrariorum est reale, etiam & reliquum. 4.° Identitas numeralis est passio entis realis: ergo aliquid reale importare debet. Prob. antec. Identitas ut sic est passio entis realis: ergo & identitas numeralis.

Resp. ad 1. Quod identitas ejusdem ad se ipsum solùm est realis fundamentalitèr, non verò formalitèr, seù ratione unitatis realis numeralis, à qua intellectus sumit fundamentum ad talem identitatem. Ad secundum etiam talis identitas dicitur maxima non formalitèr, sed fundamentalitèr; quia in maxima fundatur unitate, nempè, numerali. Ad tertium dicimus, identitatem, qua Petrus est idem sibi ipsi, non opponi cum distinctione numerali, sed cum distinctione Petri à se ipso; ex quo nil contra nos. Ad quartum negamus identitatem numeralem esse passionem entis; nam hæc est quid rationis; at passio entis est quid reale, seù ex natura rei: ergo &c.

QUÆSTIO SECUNDA.

In quo ratio formalis distinctionis consistat?

Quidam Scotistæ affirmant distinctionem consistere in negatione identitatis. Eandem sententiam sequuntur Pasqualig. & novissimè Peynado. Thomistæ verò tenent, distinctionem, vel esse negationem identitatis, vel aliquid positivum absolutum juxta naturam extremorum, inter quæ versatur. Nos tamen.

Dicimus: conceptus formalis distinctionis est quædam forma relativa ipsi essentiæ superaddicta, vel realitèr, si relatio sit prædicamentalis, vel formalitèr, si sit transcendentalis. Ita colligitur ex Philosopho cap. de ad aliquid: ubi inter relationes primi generis ponit relationes identitatis, & diversitatis, seù distinctionis. Et ex S. D. in 2. dist. 3. Quæst. 1. §. *Contra istud*, ℣. *Item*

sexto, num. 5. ubi ait: *Distinctionem in entibus realibus esse relationem.*

Et probat. quia distinctio opponitur identitati, sicut dissimilitudo opponitur similitudini; nam sicut præter unitatem in qualitate datur similitudo, ita præter unitatem in substantia, seù essentia datur identitas; sed dissimilitudo præter negationem unitatis in qualitate importat formam relativam sequutam ad illam negationem, ut constat: ergo similitèr distinctio præter negationem identitatis unius essentiæ cum alia importat formam relativam ad illam negationem sequutam, essentiæque superadditam, vel realitèr, si distinctio est relatio prædicamentalis, qualis est illa sinè qua res potest esse, ut distinctio, qua Petrus v. gr. distinguitur à Paulo existente, quæ, defuncto Paulo, desinit esse in Petro; vel formalitèr, si distinctio est transcendentalis; illa, videlicèt, sinè qua extremum non potest esse: talis est distinctio, qua Petrus distinguitur à Paulo, sivè Paulus existat, sivè non. Et hæc præcipuè est distinctio, quæ dicitur passio entis, & prædicatum cum quolibet ente necessario connexum.

Objic. 1.° Distinctio formalitèr consistit in eo, quod ex duobus entibus possitivis unum non sit aliud; sed unum non esse aliud est formalitèr negatio: ergo distinctio consistit formalitèr in negatione. Resp. dist. maj. distinctio impropria, seù negativa, conc. maj. distinctio propriè dicta, neg. maj. & conc. min. disting. conseq. in eodem sensu. Duplex enim est distinctio; alia impropria, seù negativa, quæ consistit in non identitate, & inter ens, & non ens versatur; quia sicut negationes, & non entia propriè non sunt, ita nec propriè distinguntur; alia propria, & stricta, quæ est passio entis; ideòque in aliquo positivo debet consistere, quia negatio est non ens, & non ens nequit esse passio entis; proindèque eo ipso, quod intelliguntur aliqua non esse idem, intelliguntur quidem distincta impropriè, & fundamentalitèr, non tamen formalitèr, & propriè.

Objic. 2.° *Principium constitutivum, & distinctivum*

idem

idem sunt; sed essentia rei est ejus principium constitutivum: ergo etiam ejus distinctivum: ergo distinctio non est aliquod suprà ipsam essentiam superaddictum. Resp. disting. maj. principium constitutivum, & distinctivum sunt idem fundamentalitèr, conc. maj. formalitèr, neg. maj. & conc. min. dist. eisdem terminis primum conseq. & neg. secundum. Itaque sensus illius axiomatis est, quod essentia rei, quæ est ejus formale constitutivum, est ratio fundandi relationem distinctionis, cum alia re, quæ non habet eamdem essentiam. Ex quo nil contra nos.

QUÆSTIO TERTIA.

Quotuplex sit distinctio in communi?

Distinctio ergo primo (divisione æquivoca) dividitur in distinctionem ex natura rei, seù præter opus intellectus, & rationis, seù per opus intellectus. Rursùs utraque distinctio, scilicèt, ex natura rei, & rationis subdividi potest in adæquatam, & inadæquatam. Inadæquata est, quæ versatur inter illa, quorum unum ratione alicujus in se inclusi distinguitur ab alio, in se etiam incluso; & hoc modo homo distinguitur inadæquatè ab anima, quam includit ratione corporis in se inclusi. Adęquata verò datur inter illa, quorum, vel nihil unius est alterius, quomodo distinguitur Petrus à Paulo, materia à forma, vel licèt unum includat aliud, unum tamen realitèr, vel formalitèr non est aliud, quo sensu tertia entitas cathegorematicè sumpta, non inadæquatè, & per aliquid sui, sed adæquatè, & se tota distinguitur ab omnibus suis partibus.

Distinctio autem rationis subdividitur in distinctionem rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ. Illa est, quæ non habet fundamentum cogens in re ipsa, sed fingitur ab intellectu; ut cum Petrus à se ipso distinguitur in prædicatum, & subjectum; & universalitèr contigit, cum concipitur idem omninò objectum, licèt diverso modo, sivè grammaticè, ut homo, hominis; sivè etiam logicè,

ut

ut homo, humanitas. Distinctio rationis ratiocinatæ est illa, quę habet fundamentum in re ipsa, quę ut distincta concipitur: dicitur rationis; quia formalitèr actu non est in rebus, sed actuatur, & fit formalitèr per rationem. Dicitur verò rationis ratiocinatæ, quia est quasi, inchoata à parte rei, licèt complementum, vel formam accipiat ab intellectu; quatenùs res, circa quas versatur ratio, præbent ocasionem, seù fundamentum talis distinctionis; & hæc coincidit omninò cum distinctione virtuali posteà explicanda.

Distinctio ex natura rei, seù præter opus intellectus, subdividitur in distinctionem ex natura rei realem, & distinctionem ex natura rei formalem. Illa versatur inter plures res, seù inter plura entia, quæ per veram, & physicam causalitatem accipiunt esse; sivè solitariè possint existere, sivè non. Hoc modo omnes substantiæ, sivè completæ, sivè incompletæ, omniaque accidentia, sivè absoluta, sivè respectiva, omnes denique modi extrinseci rerum distinguuntur, licèt distinctio modi extrinseci à re, cujus est modus, sit imperfecta ratione unius extremi defficientis à ratione rei. Distinctio autem ex natura rei formalis est illa, quæ versatur inter realitatem, & realitatem, seù inter plures realitates, aut formalitates in eadem re physica actu, & non tantùm virtute contentas, licèt realitèr identificatas. Hac distinctione secernuntur perfectiones attributales in Deo, gradus metaphysici in composito substantiali &c. Ad quam etiam redducitur distinctio modi intrinseci à re, cujus est modus, quæ est formalis licèt imperfecta ratione alterius extremi deficientis à ratione formalitatis, ut diximus.

Deindè distinctio realis simplicitèr talis subdividitur in negativam, quæ intercedit inter duo non entia, ut inter duas privationes, & inter ens, & non ens, ut inter materiam, & privationem; sed hæc ab aliis vocatur mixta; & in positivam, quæ versatur inter duo entia realia existentia, quorum unum non est realitèr aliud. Et hæc est duplex, alia essentialis, alia accidentalis. Illa est, quæ oritur inter duo ex principiis eorum essentialibus,

bus, qua ratione distinguntur, quæ habent essentias specie, vel omninò diversas. Undè etiam dividi solet in genericam, & specificam; & hanc vocat S. D. distinctionem realem naturarum. Accidentalis est, quæ per principia accidentalia causatur; sic homo albus, & niger distinguntur realitèr accidentalitèr. Ad quam distinctionem reduci potest distinctio numerica individuorum; nam licèt Petreitas v. gr. non sit accidens prædicamentale, cum tamen non distinguat essentialitèr Petrum ab aliis individuis, in hoc sensu potest dici accidens, & distinctio indè orta accidentalis. Et hanc vocat S. D. distinctionem realem suppositorum.

APENDIX.

Ubi varia dubia circa distinctiones relatas resolvuntur.

Rogabis 1.° Quænam sit distinctio realis propriè dicta? aut quæ extrema distinguantur realitèr? Resp. distinctionem realem perfectam, & per anthonomasiam talem, esse illam, quæ versatur inter rem, & rem, prout res distinguitur contra realitatem, & formalitatem. Quid autem sit res in hoc sensu explicat S. D. in 1. dist. 36. §. *Ad primum principale*, num. 11. ubi ait: res in hac acceptione desumi à *ratus*, *rata*, *ratum*; quia habet esse firmum, & verum essentiæ, & existentiæ, vel etiam subsistentiæ, vel actualis, vel saltim possibilis. Undè res in hoc sensu est illa, quæ habet, vel nata est habere existentiam propriam, & realem, vel saltim subsistentiam; quæ in creatis solùm convenit his, quæ accipiunt esse per veram efficientiam, & physicam causalitatem, sivè solitarie possint existere, sivè non; quales sunt omnes physicæ entitates, sivè completæ, sivè incompletę, substantiales, vel accidentales, absolutæ, vel relativæ, ac etiam modales. Hæc enim omnia se ipsis terminant propriam productionem, & dependentiam. In Divinis autem id dicitur *res*, quod habet propriam essentiam, & existentiam directè, & per se; qualis est sola Deitas, vel pro-

priam

priam subsistentiam, & relationem producentis, & producti; ut inter personas Divinas.

Rogabis 2.° Quænam sint signa illativa distinctionis realis? Resp. cum S. D. in 2. dist. 2. Quæst. 2. § *Contra*, ℣. *Confirmatur*, num. 3. Signum adæquatum distinctionis realis esse separationem duorum ad invicem; triplex autem est separatio, nempè, actualis, potentialis, & proportionalis. Prima est, quando aliqua extrema nullam habent unionem ad invicem. Secunda, quando extrema, licèt sint actu unita, separari tamen possunt, ut corpus, & anima, partes continui, res à modo extrinseco. Tertia est, cum aliqua extrema nec sunt actu separata, nec separari possunt adhuc Divinitùs; sed tamen se habent proportionalitèr ut separabilia: Quia illa inseparabilitas non provenit ab intrinseco; ut patet in motu Cœli, nam contradictio est secundum Arist. Cœlum esse sinè motu; non quidem ex ratione intrinseca in Cœlo, quia est indifferens ad motum, & quietem; sed à causa extrinseca necessariò movente. Undè ex inseparabilitate Cœli à motu non benè infertur identitas realis utriusque.

Vel si illa extrema sunt inseparabilia ab intrinseco, tamen se habent ut producens, & productum; causa, & causatum; dependens, & id, à quo essentialitèr dependet, &c. Hæc enim capita, vel signa sufficiunt, ut de his extremis talia contradictoria verificentur, qualia verificantur de illis, quæ reverà sunt actu separata, vel separabilia, & in hoc consistit separatio proportionalis. Undè ob hanc proportionem separationis Personę Divinę sunt realitèr distinctæ, quamvis sint ab intrinseco inseparabiles propter unitatem essentiæ; quia una est producens, & altera producta. Idem dic de toto substantiali respectu partium essentialium, quia ab illis dependet essentialitèr; & aliis similibus. Ex dictis colliges, quid sit identitas realis. Nam illa extrema sunt realitèr idem, quæ nec separata sunt, nec separabilia, nec proportione correspondent his, quę separari possunt; quia nec se habent, ut producens, & productum; causa, & causatum, &c. quod satis constat ex dictis.

Ro-

Rogabis 3.° Quid sit distinctio virtualis, & rationis ratiocinatæ. Resp. quod utraque hæc distinctio in unam prorsùs coincidunt, aut certè virtualis est fundamentum alterius, & dicitur distinctio virtualis, quatenùs fundamentum præcedit in re; dicitur verò ratiocinata, quando per intellectum inadæquatè concipientem illa virtualis distinctio reducitur ad actum, formando de eadem re simplici plures conceptus inadæquatos. Nam quanto res est eminentior, eo plures in se coadunat perfectiones, & simpliciori modo; quæ enim in inferioribus sunt dispersa, in superioribus sunt unita. Duplicitèr autem possunt perfectiones in inferioribus dispersæ in superiori adunari. Primo, ita ut in eo contineantur secundum proprias rationes formales; & tunc transeunt in eamdem rem, non tamen in eamdem formalitatem, suntque realitèr idem, sed formalitèr distinctæ, non tantùm virtualitèr. Sic Justitia, Misericordia, Bonitas, &c. quę in creaturis sunt dispersæ, in Deo ob ejus infinitatem sunt realitèr unitę; attamen quia quælibet importat perfectionem simplicitèr, ideò sunt in Deo formalitèr, & non virtualitèr tantùm, ut sunt lapis, lignum, &c. & consequentèr distinctæ actu, & formalitèr. Alio modo possunt perfectiones in superiori uniri; ita ut virtualitèr tantùm, & eminentèr in eo contineantur, ut calor, & siccitas in Sole. Undè non extant in eo, nec tamquam res actu diversę, nec tamquam formalitates actu distinctæ; proindèque nec distinguntur actu realitèr, nec actu formalitèr, sed tantùm distinctione virtuali.

Rogabis 4.° Quodnam sit fundamentum hujusmodi distinctionis? Resp. nec solam eminentiam rei, ut volunt Thomistæ, nec sola connotata extrinseca, ut tenent Nominales, sed utrumque in suo genere concurre ad constituendum adæquatum hujus distinctionis fundamentum; adeò ut unum sinè alio non sufficiat; ita ut eminentia rei concurrat principalitèr, diversitas verò connotatorum minus principalitèr. Nam hæc causalitas est vera à priori: *Ideò Sol respicit diversa connotata, v. gr. calorem, & siccitatem, quia ob sui eminentem naturam*

æqui-

æquivalet illis qualitatibus, easque virtualitèr in sua simplici entitate continet: ergo nisi res in se, & intrinsecè haberet hanc æquivalentiam, nullomodo ex illa haberemus fundamentum distinguendi; aliundè verò nisi adessent connotata extrinseca, non posset intellectus manuduci ad distinctionem virtualem, aut rationis ratiocinatæ efformandam; nisi enim videremus Solem calefacere, & exsicare, fortè numquam cognosceremus, nec distingueremus illam unicam virtutem.

Nota tamen hic, hanc distinctionem numquam formari posse sinè eo, quod intellectus respiciat ad aliquam distinctionem realem, ad cujus similitudinem fingat distinctionem rationis; nam intellectus quidquid rationis efformat, non nisi ordine quodam, & proportione ad ens reale machinatur. Undè licèt admiteretur, hanc distinctionem fieri posse sinè ordine ad connotata (quod in doctrina Scoti non est penitùs improbabile) numquam tamen dici debet, efformari posse sinè aliquo ordine ad distinctionem realem. Satis de his, quæ aliqualem explicationem exposcebant, & ad implacabile bellum cum Thomistis accedamus.

QUÆSTIO QUARTA.

An cum identitate reali possit stare aliqua distinctio actualis ex natura rei?

Ut in hac celeberrima, & satis hinc inde agittata quæstione, ex qua sanior, & melior pars Scoticæ doctrinæ pendet, claritate procedamus possibili: notandum est primo, quod ex ente physico, sivè ex quolibet ente reali, quod propriam habet existentiam, productionemque physicam terminare potest, postquam illud intelligimus constitutum, & à parte rei existens, videntur quasi pullulare aliqui gradus metaphysici, per quos convenit, & differt ab aliis rebus. Id patet in homine, in quo statim, ac est constitutus physicè ex materia, & forma, videntur dimanare aliqui gradus v. gr. corporis, vi-

viventis, animalis, &c. per quos convenit, & differt ab aliis rebus. Nam per gradum entis finiti convenit cum accidenti, & differt ab illo per gradum substantiæ; & per hunc convenit cum lapide, à quo differt per gradum viventis; & per istum assimilatur plantæ, à qua dissidet per gradum animalis. Et sic de aliis usque ad differentiam individualem inclusivè.

Isti autem gradus sic appellantur, quia tota linea prædicamentalis à supremo genere usque ad singularia videtur scalla quædam constans ex variis generibus, speciebus, & differentiis, quibus ascenditur ab individuis ad supremum genus, & indè ad singularia descenditur; ideòque sumpta metaphora, appellantur gradus metaphysici. Dicuntur etiam realitates, quod est nomen diminutivum rei; ut ostendatur, non importare totam rem, sed aliquid rei. Appellantur etiam formalitates; ut indicetur, non dicere totam formam, seù totam rei essentiam, & quidditatem, sed tantùm aliquitatem formæ, & essentiæ, seù aliquem gradum ejus in primo, vel in secundo modo dicendi per se. Undè quia deficiunt ab integritate rei, & formæ, diminuto vocabulo appellantur realitates, & formalitates.

Notandum est secundo, quod realitas, seù formalitas sic communitèr à Scotistis definitur: *Est ratio objectiva conceptibilis in re aliqua conceptu perfecto, & adæquato, distincto à conceptu, quo adæquatè attingitur alia formalitas ejusdem rei.* Dicitur esse conceptibilem *conceptu perfecto, & adæquato*; quia diversa conceptibilitas imperfecta, & inadæquata non infert distinctam formalitatem à parte rei; ideòque gradus transcendentales non sunt formalitates à parte rei communes, ut diximus; quia non sunt conceptibiles conceptu perfecto, & adæquato, sed imperfecto tantùm, & inadæquato. Modus etiam intrinsecus excluditur à ratione formalitatis propriè dictæ; quia nequit conceptu perfecto, & adæquato attingi sinè re, vel quidditate, cujus est modus; ideòque non distinguitur formalitèr propriè, sed impropriè, ut jam diximus. Dicitur *ejusdem rei*; quo significatur,

formalitates debere esse immersas per realem identitatem in re propriè dicta; ideòque licèt humanitas, & equinitas sint conceptibiles sinè se invicem, non ideò formalitates, aut realitates appellari possunt; quia non sunt aliquitates ejusdem rei, sed potiùs quælibet est tota res, seù essentia.

Notandum est tertio, ad tollendam æquivocationem, tàm identitatem, quàm distinctionem formalem tribus præsertim modis à S. D. usurpari. Primo modo illud dicitur formalitèr idem alicui, cum illud includit in sua ratione formali; & sic inferius est idem formalitèr cum suo superiori, totum cum partibus inclusis; è contrà superius erit distinctum formalitèr ab inferiori, quia illud non includit, & similitèr partes à toto. Secundo modo, & magis proprio aliquid dicitur formalitèr idem alteri, cum est de ratione formali illius: quo sensu superius est idem formalitèr inferiori, & partes sunt de essentia totius, non è contrà; è contrà inferius distinguitur à superiori, quia non pertinet ad rationem ejus formalem, & totum à partibus; nam substantia est de essentia viventis, non è contrà. Tertio modo, & adhuc magis proprio, & frequenti distinctionis formalis est, quando ratio objectiva adæquata unius formalitatis ejusdem rei est alia à ratione adæquata objectiva alterius; quo sensu superius, & inferius sunt formalitèr ex natura rei distincta. Et hæc est distinctio formalis, de qua in præsenti loquimur. Hæc omnia benè nota, ut plures Thomistarum æquivocationes, quæ ex non intelligentia hujus materiæ procedunt, vitare queas. Quibus suppositis.

Dicimus: cum identitate reali, seù inter extrema realitèr identificata posse compati, & de facto dari distinctionem ex natura rei formalem, actualem, seù omninò præcedentem omnem actum intellectus, non solùm in creatis, sed etiam in Divinis. Hæc est celebris, & plausibilis sententia S. D. non tàm novitate doctrinæ, quàm subtilitate rationum: hæc in tota Seraphica Religione ferè quinque adhinc sæculis adulta: hæc sæpiùs coram Summis Pontificibus propugnata: hæc in pluribus

Con-

Conciliis ad stateram appensa, sospes, & incolumis evasit: hæc demum in celeberrimis Academiis, Parisiensi, Salmanticensi, Romana, Complutensi, Patavina, Conimbricensi, Viennensi, Bononiensi, Ferrariensi, & pluribus aliis locum, & Cathedram adinvenit: hæc bassis Scoticæ doctrinæ, qua olim ipse Begardorum, & Veguinarum Barbaram Sectam profligavit; adeòque Hæreticis invissa, ut Londini, postquam tota Anglia Fidem deseruit, impia juventus magnam librorum S. D. & Scotistarum copiam feretro evectam tumularit, in hæc verba prorumpens: *Hæ sunt Scoti, & Scotistarum exequiæ.* Dicta sufficiant, ut nonnulli in angulis, interque Tyrones contra illam musitantes manum ori imponant.

Subt. Doctori omnes adherent discipuli, uno excepto Herrera, qui in Thomistica doctrina à tenero enutritus Magistrum injutè derelinquit. Eandem aliqui Suaristæ defendunt; Fonseca 5. Metaph. cap. 6. Quæst. 6. Amicus tract. 1. de distinct. Quæst. 14. art. 5. & tract. 4. Logic. Quæst 3. dub. 3. & 4. Conimb. in præfactione Porphir. Quæst. 4. art. 2. Egidius libro 5. de Visione, Quæst. 6. art. 4. ubi asserit, saltim in creatis non posse prædictam distinctionem negari. Nec desunt Thomistæ hac in re S. Doct. manus dantes; nam ipsam tenent ut probabilem Joannes Martinez de Prado, tom. 1. Metaph. controv. 1. art. 2. §. 1. ubi pro ea citat plures Thomistas, Scoto, Zumel, Bannez, Araujo, Ferrara, Marcum Serra, & alios; immò ibid. §. 2. testatur contrariam sententiam se non judicare omninò veram, nec illam ut talem proponere. Eandem sequitur noviter Lumbier in Theologia tract. de Attributis, contra alios Thomistas, & Suaristas oppositam communitèr substinentes.

Hanc denique docuit S. D. mille in locis, præcipuè in 1. dist. 8. Quæst. 4. §. *Ad quæstionem*, n. 17. ubi ait: *Est ergo ibi distinctio tertia* (scilicèt inter attributa Divina) *præcedens intellectum omnimodò; & est ista, quod Sapientia est in re ex natura rei, & Bonitas est in re ex natura rei; Sapientia autem in re formalitèr non est Bonitas in re.* Idem clarissimè habet in 1. dist. 2. Quæst. 7.

§. *Sed*

§. *Sed hic restat*, per totum, & deinceps, ubi hanc distinctionem subtilitèr propugnat inter Essentiam, & Personalitates Divinas; immò illam statuit in creatis his verbis: *Est tamen in albedine aliquid realitèr, undè habet rationem coloris, & aliquid, undè habet rationem differentiæ; & hæc realitas formalitèr non est illa realitas, nec è converso formalitèr; immò una est extra realitatem alterius, formalitèr loquendo; sicut si essent duæ res, licèt modò per identitatem, istæ duæ realitates sint una res.* Idem habet in 2. dist. 1. Quæst. 4. §. *Ad quæstionem*, num. 21. ubi ait: *Relationem transcendentalem esse idem realitèr cum fundamento, sed tamen formalitèr ex natura rei ab ipso distinctam.* Idem deniquè docet pluribus aliis in locis apud nostrates videndis. Nunc autem

Prob. hæc sententia primo, ex Philosopho pluribus in locis. Nam 4. Metaph. text. 3. ait, quod ens, & unum sunt una natura (ecce identitatem realem) distincta verò ratione quidditativa (ecce distinctionem formalem; nam duplex quidditas nequit salvari per ullam distinctionem rationis, quæ unicam à parte rei quidditatem inadæquatè considerat). Idem ferè docet 5. Ethic. cap. 1. in fine, ubi inquit, virtutem, & justitiam esse eandem rem, esse tamen distincta secundum rationem quidditativam; ubi clarè rationem communem virtutis à differentiali justitiæ distinguit quidditativè, quod est distingui formalitèr. Et 3. Metaph. text. 10. ait, genus esse extra rationem differentiarum, ita ut secundum proprias rationes formales se invicèm excludant: ergo genus, & differentia distinguuntur formalitèr ex natura rei; si enim à parte rei essent omninò idem, tunc differentiæ participarent genus, & è contrà.

Secundo probari posset innumeris ferè PP. & Concil. auctoritatibus, quas congerunt Nostrates, præsertim Mastrius tom. 1. Theologiæ, disp. 2. Quæst. 2. art. 2. Sed ne nimis à metaphysica exorbitemus, paucis contenti erimus. Et imprimis D. Aug. 7. de Trinit. cap. 4. ait: *Aliud est Deum esse, & aliud Patrem esse.* Et ibid. cap. 5. *Non eo Pater, quo Deus; nec eo Deus, quo Pater.* Et ibid. c. 2.

Ver-

Verbum Sapientia est, sed non eo Verbum, quo Sapientia; Verbum enim relativè, Sapientia verò essentialitèr dicitur. Nota ibi sumere *essentiale*, prout opponitur notionali. Idem passim inculcant alii PP. & Concilia. Ex quo sic arguitur. Pater, & Verbum constituuntur à parte rei in esse Personarum per aliquid; sed non per essentiam: ergo per aliquid, quod à parte rei non sit formalitèr essentia: ergo essentia, & relationes à parte rei sunt distincta. Probat. hæc ultima conseq.: principium constitutivum, & distinctivum à parte rei sunt idem: ergo principium constitutivum, & principium non constitutivum à parte rei non sunt idem (in ea linea, in qua constituunt, & non constituunt) sed juxta Aug. Deitas non est formale constitutivum Patris ut talis, & Sapientia non est constitutivum Verbi ut talis: ergo Deitas, & Sapientia à parte rei distinguntur à constitutivis formalibus Patris, & Filii.

Resp. Gonet ad auctoritatem D. Aug.: quod quando dicit, Deum non eo esse Deum, quo Patrem; intelligit *non eo*, non quo ad realitatem, & entitatem, sed quo ad modum significandi; quia Deus Paternitate significatur ut ad alterum se habens; Deitate verò ut in se consistens. Sed contrà; si illa auctoritas D. Aug. non intelligeretur de distinctione à parte rei quo ad realitatem, sed solùm quo ad modum significandi; sequitur, Patrem solo nostro modo significandi esse Patrem, non autem quo ad veritatem, seù realitatem; quod est absurdum. Prob. seq. Pater eo reverà sensu est Pater, quo reverà habet aliquid sibi proprium, quod non sit essentia communis; sed per te hoc proprium reverà est ipsissima essentia, & solùm nostro modo intelligendi distinctum: ergo Pater reverà non habet aliquid, quo constituatur, nisi ipsam formalissimam, & solam essentiam: & consequentèr esse Patrem reverà, & à parte rei idem est, ac esse Deum; sed Deitas, seù essentia est in Filio: ergo, & Paternitas; quod est plus quam falsum.

Tertio prob. conclus. ratione desumpta ex via contradictionis, quæ omnium validissima est. Sed ante pro-

ba-

bationem supponimus, ex hoc primo principio lumine naturæ noto: *Quodlibet est, vel non est*; alia duo principia similitèr nota consequi. Primum est: *Impossibile est, idem simul esse, & non esse*; quod utique verum est, aliàs darentur duo contradictoria simul vera, vel simul falsa: ergo cum quodlibet sit, vel non sit disjunctivè, implicat, quod utrumque extremum contradictionis simul sit, & non sit. Secundum principium est: *Idem secundum eamdem rationem non potest esse simul idem, & diversum*; quia identitas, & diversitas secundum eumdem conceptum repugnant. Ex quo infertur, quod quando in aliqua re inveniuntur similitudo, & dissimilitudo, convenientia, & disconvenientia, inveniri etiam debent conceptus, vel realitates distinctæ, ut secundum unam verificetur similitudo, & convenientia, & secundum alteram disconvenientia, & dissimilitudo, juxta qualitatem similitudinis fundamentalis, vel actualis.

Ex istis principiis ortum duxit aliud in Schola nostra receptum, scilicèt: *Idem in quantum idem semper est natum facere idem.* Undè istæ consequentiæ inferuntur: ergo impossibile erit, quod idem in quantum tale sit alteri idem, & non idem: ergo si sit idem, & diversum à parte rei, non per unicam, sed per plures formalitates, & realitates erit idem. Hoc supposito.

Sic efformatur ratio: quoties à parte rei, & independentèr ab intellectu verificantur prædicata aliàs contradictoria, dari debet aliqua distinctio à parte rei inter extrema, de quibus verificantur; idem enim à parte rei non potest simul esse, & non esse; atqui de pluribus realitèr identificatis à parte rei verificantur prædicata aliàs contradictoria: ergo plura realitèr identificata debent actu à parte rei, & independentèr ab intellectu distingui. Maj. videtur lumine naturæ nota. Min. verò probat. homo à parte rei per animalitatem convenit cum æquo, & non convenit cum ipso per rationalitatem; sed convenire, & non convenire sunt prædicata contradictoria: ergo de homine à parte rei prædicata aliàs contradictoria verificantur; & consequentèr animalitas, & rationa-

li-

litas, proptèr quas homini hæc prædicata aliàs contradictoria conveniunt, aliquomodo à parte rei distingui debent; sed non distinctione reali simplicitèr, ut patet: ergo distinctione formali à parte rei.

Innumeras huic efficaci rationi solutiones adhibent Thomistę, quas singilatim referre nimis esset molestum, quæ autem novissimis hisce temporibus magis viget inter ipsos, hæc est. Respondent enim, illa contradictoria, scilicèt, esse similem æquo per animalitatem, & non similem æquo per rationalitatem; non verificari de illis ut sunt in se; sic enim sunt unica indistintissima formalitas, aut entitas; sed verificari de illa unica formalitate, ut inadæquatè concepta, seù ut distincta per rationem in duas formalitates. Undè cum negatur de rationali esse rationem conveniendi, non negatur de illo proùt est à parte rei, sic enim etiam est ratio conveniendi; sed solum negatur de illo præcissivè sumpto, & proùt per rationem distincto ab animali. Ita Palancus; quam tandem solutionem amplectitur Froylan.

Sed contrà; quia Deus verè, & independentèr ab intellectu creato cognoscit, hominem esse similem æquo per animalitatem, & dissimilem per rationalitatem; sed Deus concipit res adequatè, & ut sunt à parte rei: ergo à parte rei datur distinctio inter animalitatem, ratione cujus est similis, & rationalitatem, ratione cujus non est similis. Ne dicat Froylan, intellectum Divinum non affirmare convenientiam de animali, & illam negare de rationali, ut fundamentalitèr distinctis per ordinem ad intellectum Divinum, sed per ordinem ad intellectum humanum, qui potest actualem distinctionem rationis efformare, & fingere inter utrumque prædicatum.

Nam contra est, vel Deus in ordine ad suum intellectum cognoscit, & afirmat, hominem, & æquum in tota essentia penitùs differre; vel afirmat, in tota essentia penitùs convenire à parte rei? Si primum: ergo homo, & equus reverà nedum specie, sed genere, & plusquam genere differunt; nec magis à parte rei homo erit similis equo, quam lapidi; immò duo homines non magis

in-

inter se erunt ejusdem rationis, quam homo, & lapis; quod nullus sanæ mentis concedet. Si secundum: ergo Deus non cognoscit reverà differentiam inter hominem, & ęquum; nec in quo uterque differat; aut qua ratione ęquus non sit homo, nec homo ęquus. Patet conseq. nam si uterque in re convenit in tota essentia: ergo nihil est, quod verè distinguatur à parte rei; proindèque Deus nullum distinctivum inter utrumque cognoscit. Quod, an in bona Metaphysica, aut Theologia dici possit? prudentium esto judicium.

Quarto prob. nostra conclus. eadem via contradictionis in Divinis, ubi majorem habet efficaciam. In Divinis actu, & formalitèr, nulloque cogitante intellectu, verificantur prædicata aliàs contradictoria de extremis realitèr identificatis; sed contradictoria nequeunt verificari de eodem, & secundum idem; nam id est primum principium in Metaphysica: ergo inter illa, de quibus contradictoria verificantur à parte rei, debet dari aliqua distinctio, quę sit compatibilis cum identitate reali. Min. & conseq. tenent. Prob. maj. nam de essentia Divina verificatur, quod communicatur Filio; & de Paternitate, quod non communicatur; item quod Filius procedat per intellectum, non per voluntatem; & quod Spiritus Sanctus procedat per voluntatem, & non per intellectum. Rursus: quod essentia non sit producens, nec producta; Personæ verò sint producentes, vel productæ. Pariter, quod essentia Divina sit communis tribus, non sic Relationes; quod Personæ ratione essentiæ sint unum, & idem; & ratione Relationum sint distinctæ, & plures.

Denique; in misterio Incarnationis Relatio terminat immediatè dependentiam, & unionem naturę humanę, non verò essentia; aliàs tres Personæ essent incarnatæ, quod est hæreticum; & alia hujusmodi. Sed hæc omnia verificantur actu, & formalitèr, nulloque cogitante intellectu; pertinent enim ad veritatem Misterii Sanctissimæ Trinitatis, ut est in se, & ut à Deo revelatur, & à Fidelibus creditur: ergo verificantur de extremis à parte rei distinctis; sed non distinctis realitèr simplicitèr, ut

do-

docet fides: ergo formalitèr ex natura rei.

Confirmatur hoc: vel à parte rei, & independentèr à nostro intellectu, verum est, essentiam communicari, & non communicari Paternitatem; Filium per intellectum procedere, & non per voluntatem, &c. vel id solum est verum per ordinem ad conceptus inadæquatos nostri intellectus? Si primum; habetur intentum; nam cum idem nequeat à parte rei simul esse communicatum, & non esse communicatum, sequitur, non esse penitùs idem à parte rei id, quod communicatur, & id, quod non communicatur; & consequentèr à parte rei esse distinctam essentiam communicatam à Paternitate non communicata. Si secundum: ergo illæ propositiones à parte rei sunt falsæ; quod, an benè audiat, tu cogita. Prob. conseq. ubi à parte rei non est actualitèr unum, & aliud; non est verum à parte rei, unum communicari, & aliud non communicari; sed à parte rei essentia, & Paternitas, per te, non est unum, & aliud, sed unum indistinctissimum: ergo falsum est à parte rei, essentiam communicari, & Paternitatem non communicari.

Urgetur hoc; Deus, cum sit summa veritas, nobis revelat hoc Misterium, ut ipse cognoscit, & ut illud in re est; sed revelat, communicari essentiam, & non communicari Paternitatem, &c.: ergo ita Deus cognoscit, & ita à parte rei est: ergo independentèr ab omni intellectu creato, & ejus inadæquato modo concipiendi communicatur essentia, & non communicatur Paternitas; sed hæc aliàs esset contradictio: ergo ideò sinè contradictione verificatur, quia non est de eodem, & secundum idem à parte rei. Ideòque concludimus, Misterium Santissimæ Trinitatis meliùs intelligi (quantum fas est viatori) posita distinctione formali Scotica, quam illa negata. Sed de hoc latiùs in Theologia.

Quinto prob. conclus. ratione desumpta ex via definitionis, qua utitur D. S. loc. cit.: Illa, quæ diversis definitionibus adæquatis, & traditis ab intellectu rem adæquatè, & intuitivè cognoscente, definiuntur, debent ex natura rei formalitèr distingui; sed plura realitèr iden-

tificata, tùm in Divinis, tùm in Creatis diversis definitionibus quidditativis adæquatis definiuntur: ergo plura realitèr identificata distinguntur ex natura rei formalitèr. Maj. est certa, & conceditur à Gonet, Disp. 3. de Attrib. art. 2. num. 22. & meritò; nam definitio exprimit rem sicuti est, præsertim quando ab intellectu perfectè concipiente exprimitur res per conceptum adæquatum, cui, scilicèt, correspondet totum id, quod in re est exprimendum.

Min. vero, quæ sola est difficilis, prob.: animalitas, & rationalitas, v. gr. in homine se invicem adæquatè à sua ratione formali excludunt; sed quæ sic se excludunt, habent conceptum adæquatum, secundum quem possunt definiri, & exprimi per definitionem adæquatam, & traditam de re secundum se: ergo. Prob. maj. quando duo comparantur, ut determinans à parte rei, & à parte rei determinabile; ut ratio essentialitèr propria, & ratio essentialitèr communis, ita distinguntur, ut neutrum includatur in conceptu adæquato alterius, sed se invicèm adæquatè excludant; sed animalitas est ratio essentialitèr determinabilis, & communis; rationalitas verò est ratio essentialitèr propria, & determinans, & advenit animalitati tanquam accidens prædicabile: ergo utraque alteram adæquatè excludit; proindèque quælibet terminare potest adæquatum conceptum, & definitionem absque eo, quod concipiatur, & definiatur altera.

Sexto prob. conclus. via demonstrationis; nam omnes concedunt demonstrationem propter quid, seù potissimam procedere ex præmissis, quæ sint causa conclusionis, nedum in cognoscendo, sed etiam in essendo (non quidem ita ut sint veræ causæ, quia subjectum non distinguitur realitèr à passione; sed ita ut sint principia pullulationis, & dimanationis metaphysicæ, ut se habet rationalitas respectu risibilitatis) sed hoc nequit intelligi, nisi subjectum, aut ejus definitio aliqualitèr à parte rei distinguatur à passione demonstrata; idem enim nequit à parte rei esse causa sui ipsius, aut à se ipso dimanare, ut est evidens: ergo.

Sep-

Septimo prob. ratione S. D. in 1. dist. 8. cit. sapientia in communi v.gr. non est formalitèr bonitas in communi: ergo nec Sapientia infinita erit formalitèr infinita Bonitas: ergo formalitèr actu distinguntur. Antec. patet: quia si sapientia in communi esset formalitèr bonitas in communi, omnis sapientia etiam creata esset formalitèr bonitas; nam quod convenit sapientiæ ut sic, cuilibet sapientiæ in particulari convenire debet. Conseq. verò probat.: quia infinitas non destruit rationem formalem illius, cui additur; gradus enim alicujus perfectionis, & lineæ non tollit rationem formalem illius perfectionis; sed tolleret rationem formalem bonitatis, vel sapientiæ, si utramque in unam formalitatem confunderet; quia utraque amitteret rationem formalem suæ lineæ: ergo.

Objic. 1.° Cum Godoy Concil. Florentinum Sess. 15. 18. 19. & 24. sic ait: *Relatio est eadem re cum natura, solùm verò secundum modum intellectionis nostræ differre; non re, sed sola ratione Paterna hypostassis à substantia sejungitur.* Sed attributa non minori identitate gaudent cum essentia, & natura Divina, quam Relationes: ergo non re, sed sola ratione distinguntur ab essentia. Resp. cum Villa-Castin, hanc auctoritatem sic propositam in toto non inveniri Concilio. Gonet autem sic allegat Conc. Sess. 18. *Divina autem Substantia, & Paternitas re quidem sunt idem, secundum autem modum intellectionis nostræ differunt.* Sed hic etiam peccat; nam Concilium non ait absolutè, *differunt*; sed *differre videntur.* Itaque verba Concilii sunt hæc Sess. 12. *Nequaquam putare debetis, quod re differant, quandoquidem sola ratione, aut iutelligentia differre creduntur.* Et Sess. 18. *Divina substantia, & Persona re quidem sunt idem, secundum autem nostrum intelligendi modum differre videntur.* Et Sess. 25. *Ne ipsam eandem substantiam re, & non sola ratione ab hypostassibus, & personis differre, credere videamur.*

Nunc resp. 1.° adhuc verba ista non esse definitionem Concilii. Sed sententiam gravissimorum Theologorum in illo disputantium; nimirum Marci Ephesii, ex parte Græcorum; ex Latinis verò Joannis Theologi. Resp. 2.°

Quod

Quod licèt essent verba Concil., nil adhuc inde contra nos; quia solùm intendit excludere distinctionem realem inter Divinam essentiam, & Relationes. Loquendo verò de modo, quo differunt, dubitativè loquitur, ut patet ex illis verbis: *Differre videntur*; nam quod differre videtur, non pro certo statuitur; sed refertur ut sententia eorum, qui sic differre affirmant. Resp. 3.° Potiùs in illo verbo *sola ratione*, nostram confirmari sententiam; ratio enim sæpè sumitur pro quidditate objectiva, quę fundat distinctionem formalem, ut ait S. D. in 1. dist. 2. Quæst. 7. §. *Secundo oportet*, ℣. *Sed numquid*, n. 43. *Non quod ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu, sed ut ratio accipitur pro quidditate rei.* Et forsam Jòan. Latinus, qui longo tempore post D. Bonav. & Scotum floruit, hunc loquendi modum ab illis accepit. Et licèt addatur, *aut intelligentia*, non obest; quia postquam statuit unum certum, nimirùm, non distingui realitèr; addit distingui, vel ratione, prout *ratio* accipitur pro quidditate, ut tenet S. D. vel *intelligentia* ipsa, ut volunt Thomistæ, relinquendo utramque sententiam in sua probabilitate.

Objic. 2.° Ex Concil. Remensi definiente contra Gilbertum, Relationes, & Essentiam Divinam non distingui *ratione Theologica*, id est, propria, & ex natura rei; sed *mathematica abstractione*, hoc est, distinctione rationis: ergo &c. Resp. Concil. damnantem Gilbertum non esse contra nos; nam hic dicebat inter Naturam, & Personam, *non mathematica abstractione, sed theologica consideratione quoquomodo rationem dividere.* Undè per divisionem secundum rationem Theologicam intellexit rationem considerantem in Deo distinctionem realem, & abstractionem divisivam, ut constat ex ipso divisionis nomine; quod Concil. meritò damnavit, & solam abstractionem mathematicam, seù præcissivam admittit; quæ cum in distinctione formali, vel virtuali indifferentèr fundari possit, nullum præjudicium sententiæ Scoticæ intulit; sed disputationi Scholasticorum relinquit, an talis abstractio præcissiva relationum ab essentia fundetur super distinc-

tinctionem formalem, actualem, vel tantum virtualem.

Objic. 3.° Distinctio est proprietas entis; sed tantùm sunt duo entia, nempè, reale, & rationis: ergo tantùm dantur duæ distinctiones, scilicèt, realis, & rationis. Resp. dist. maj. est proprietas entis, quod est tale, sivè formalitèr, & immediatè, sivè identicè, & ratione alterius, conc. maj. quod est tale præcissè formalitèr, & secundum se, neg. maj. & in eodem sensu disting. min. & consequens. Distinctio est proprietas entis; atque ita supremè divisa, alia est rationis, quæ est propria entis rationis; & alia ex natura rei, quæ est propria entis realis, sumpto ente reali pro omni eo, quod est extra nihil, & distinguitur à figmentis. At quia ens in hoc sensu est duplex, aliud, nempè, quod est ens, & res in recto, & ratione sui, propriamque habet existentiam, ut lapis, homo, &c.; aliud verò, quod vel est ens reale tantum per identitatem, quia est aliquitas alterius, ut rationalitas, risibilitas &c. vel licèt includat ens in recto, & quidditativè, ut substantia, vivens, animal, non tamen est res, & essentia propriè dicta, quia non est capax existentiæ, ut infra dicemus; ideò distinctio ex natura rei subdividitur in realem simplicitèr, quæ versatur inter rem, & rem: & in formalem ex natura rei, quæ versatur inter aliquitates, seù formalitates ejusdem rei. Undè patet, hanc distinctionem esse membrum distinctionis ex natura rei.

Objic. 4.° Cum Cajetano; si daretur distinctio formalis ex natura rei, non solum esset realis propriè dicta, sed major illa: ergo. Prob. ant. illa est distinctio major, quæ fit per intimiora rei; sed distinctio formalis fit per intimiora rei: ergo. Min. patet, quia distinctio formalis fit per prædicata essentialia, quæ sunt magis intima rebus; realis verò sumitur in ordine ad existentias. Prob. maj. distinctio, quæ datur per differentias essentiales, major est distinctione, quæ datur per differentias accidentales, & extrinsecas: ergo. Resp. neg. seq. ad prob. dist. maj. præcissè, quia datur per differentias magis intrinsecas, neg. quia magis recedit ab identitate conc. maj. & omissa

min.

min. neg. conseq. Distinctio ergo major, vel minor non provenit ex eo, quod detur per magis, minùsvè intima principia; aliàs distinctio specifica esset major generica, quia fit per differentias magis proprias, & intimas; ista verò per communiores, & remotiores. Major ergo distinctio provenit absolutè ex eo, quod magis identitati opponatur, & quod aliam inferat distinctionem: distinctio autem formalis nec opponitur identitati reali, nec illam infert; immò è converso contingit.

Objic. 5.° Cum Bayona: formalitates realitèr identificatę sunt formalitates formalitèr identificatæ: ergo non possunt esse formalitèr distinctæ. Prob. antec. formalitates esse in re formalitèr identificatas, nihil est aliud, quam rationem formalem unius esse rationem formalem alterius; sed implicat formalitates realitèr identificari, quin unius ratio formalis sit ratio formalis alterius; quandoquidem formalitates identificari est unam in re esse aliam: ergo. Resp. neg. antec. ad prob. neg. suppositum maj. scilicèt, quod identificatio in re sit identificatio formalis: vel permissa maj. neg. min. cum prob. implicita. Ex identificatione enim in re, seù reali malè infertur identificatio formalis; quia ex minori unitate, quæ est realis, non benè infertur major unitas, quæ est formalis. Nec solutio implicat in terminis, ut perperàm urget Bayona, sed potiùs argumentum, dum intendit eamdem esse identitatem realem, ac formalem. Itaque aliud est formalitates esse idem realitèr, & in re; & aliud esse idem formalitèr; identitas realis est quidem formalitatum, sed non est identitas formalis.

Objic. 6.° Cum Oviedo; distinctio formalis præsertim à S. D. excogitata est ad explicandum Misterium Sanctissimæ Trinitatis, ut scilicèt, sinè contradictione verificentur ibi prædicata aliàs contradictoria; sed distinctio formalis ad hoc non sufficit: ergo. Probat. min. distinctio formalis non sufficit ad hoc, ut formalitatibus realitèr identificatis possint convenire hæc contradictoria; communicatur, & non communicatur; producitur, & non producitur: ergo non possunt in Divinis

hæc

hæc prædicata componi ratione similis distinctionis; vel minor distinctio requiritur in Divinis, ut illa prædicata contradictoria componantur, quam in creatis; ac proindè illa distinctio ad componenda contradictoria in Divinis nihil juvat.

Resp. 1.° Quod quamvis distinctio formalis existimata fuerit à S. D. idonea ad explicandum aliqualitèr Misterium Trinitatis, non tamen præcissè ea de causa eam invenit, sed ex manifesta necessitate illius, etiam in creatis, præcipuè ad salvandam compositionem metaphysicam; qua ratione ait Egidius cit. saltèm in creatis prædictam distinctionem negari non posse. Sed adhuc majori admissa, neg. min. Ad probat. conc. antec. neg. suppositum conseq. Cum enim diximus communicari, & non communicari; produci, & non produci esse contradictoria, quæ cadunt super esse physicum, id non debet intelligi absolutè, sed determinatè, & proùt in creatis. Undè productio, & non productio ut sic petit distinctionem ex natura rei præscindendo à reali, & formali; talitèr verò produci, & non produci cadunt supra esse formale, vel reale juxta qualitatem productionis; nam produci, & non produci Divinum cadunt solùm suprà esse formale; ibi enim non producitur totum esse reale Filii, aliàs produceretur essentia Divina, quod est hæreticum; at verò produci, & non produci creatum cadunt suprà esse reale; quia in creatis totum esse reale rei producitur, proindèque ibi salvatur cum distinctione formali; hic verò requirit distinctionem realem.

Objic. 7.° Cum Quirós; implicat, quod independentèr ab intellectu sit vera hæc propositio, *A non est B*, quin detur distinctio realis inter hæc extrema: ergo implicat distinctio media. Prob. antec. magis separat, & distinguit negatio, quam productio; sed implicat quod *A sit producta à B*, quin detur inter illa distinctio realis stricta: ergo & &c. Resp. dist. antec. *A non est B*, realitèr strictè, conc. antec. *A non est B* formalitèr, neg. antec. Ad prob. neg. maj. quia productio semper est de linea physica, arguitque distinctionem realem inter

pro-

producens, & productum; negatio verò non ita; nam quandoque est formalis tantùm, seù quo ad esse formale; aliàs si negatio magis separat, quàm productio, quomodo erit verum apud adversarios, *genus non esse differentiam*? *Essentia Divina non est proprietas*? & alia hujusmodi, cum nulla distinctio actualis inter illa versetur?

Objic. 3.° Cum Linceo; non minùs per se notum est hoc principium: *Totum est majus sua parte*, quam illud, *Prædicata contradictoria non possunt de eadem indistincta formalitate verificari*; sed illud principium non tenet in Divinis; siquidem Personæ Divinæ collectivè sumptæ non sunt aliquid majus solo Patre v. gr. nam in Divinis nihil majus, aut minus, ut docet Fides: ergo. Resp. conc. maj. neg. suppositum: Quia ubi nulla est pars, & totum, non tenet illud principium; in Deo enim nec datur pars, nec totum; aliàs non esset simplicissimus: ergo &c.

DISPUTATIO SEXTA.

De principio individuationis.

QUÆSTIO UNICA.

Quodnam sit principium individuationis entis naturalis?

In hac plausibili, celebrique quæstione, in qua valde dissident inter se Thomistæ, & Scotistæ; supponimus 1.° Quod omne, quod in rerum natura existit, est singulare, & individuum; sivè primariò, & per se, ut Deus, & diferentiæ individuales; sivè identicè, & concomitantèr, ut naturę communes. Supponimus 2.° Quod in essentiali, & quidditativo conceptu naturæ creatæ, v. gr. humanæ, non includitur singularitas, ut patet ex dictis in Logica; sed est accidens prædicabile illi superadditum non realitèr, sed formalitèr; ut docet Scotus mille in locis. Supponimus 3.° Quæstionem non esse de principio extrinseco individuationis, quod constat esse Deum, ut videbimus in physica; sed de principio intrinseco, seù de fun-

fundamento, & radice proxima, & immediata individuationis, & unitatis numeralis; nam sicut unitas ut sic est passio entis ut sic, ita unitas numeralis est passio hujus numero entis. His ita suppositis, age, ut referamus sententias contrariorum.

Et omissa sententia quorundam veterum asserentium, existentiam esse principium individuationis; & paritèr omissa opinione aliorum, qui tenent, collectionem omnium accidentium esse principium individuationis; quia ferè ab Scholis sunt relegatæ, & à S. D. subtilitèr impugnatæ. Prima opinio asserit, quamlibet rem individuari per ordinem ad circunstantias extrinsecas, scilicèt, loci, temporis, subjecti, agentis, &c. Ita Vazquez, & alii RR. Sed hæc sententia valdè dissonat, quia idem numero individuum, saltèm de potentia Dei absoluta, potuit produci cum ordine ad alias circunstantias extrinsecas loci, temporis, subjecti, agentis, &c. nec in hoc ulla apparet repugnantia: ergo non individuatur per ordinem ad circunstantias prædictas.

Secunda sententia, quam docuit Gotfredus, & ex nostris Aureolus, docet, quantitatem esse principium individuationis, saltim respectu substantiæ materialis. Et etiam hæc est falsa; nam substantia est naturalitèr prior quantitate; hæc enim dependet ab illa, non è contra: ergo etiam substantia singularis est prior quantitate; consequenterquè non fit singularis per quantitatem. Tertia sententia tenet, solam, & nudam materiam primam esse principium individuationis rerum materialium. Ita D. Thomas, 1. part. Quæst. 3. art. 1. ad 3. & alibi. Sed hæc sententia substineri non potest; quia genitum est individuum distinctum à corrupto, & tamen eadem materia, quæ erat in corrupto, manet in genito: ergo materia prima non est principium individuationis. Hac, aliisque rationibus hæc sententia inuritur; undè ab omnibus rejicitur, & à Scholis penitùs relegatur.

Ideòque Thomistæ melioris notæ assignant pro principio individuationis, non materiam nudè sumptam, sed signatam quantitate. Quid autem dicat, seù importet in

materia hæc signatio quantitatis? adhuc inter se non conveniunt. Nam aliqui dicunt, materiam signatam quantitate esse materiam quantitate formali affectam; alii, esse materiam potiùs hujus, quàm alterius quantitatis capacem; alii denique, esse materiam, proùt est radix, & principium quantitatis. Sed contra illos sic insurgo; quia hæc signatio, quomodocumque sumatur, vel est quid essentiale in materia, vel quid accidentale? Non primum; aliàs genitum, & corruptum non essent individua numero distincta, cum materia secundum se maneat in utroque. Non secundum; quia sicut unitas, & distinctio specifica in substantiis est substantialis, ita etiam unitas, & distinctio numeralis; sed accidens nequit afferre distinctionem, & unitatem substantialem, sed accidentalem: ergo nullum accidens potest afferre unitatem numeralem; nec proindè esse principium individuationis.

Relictis jam, & rejectis aliorum opinionibus, dicimus, quod differentia individualis, seù hæcceitas est proximum, & formale principium individuationis omnium rerum. Ita S. D. in dist. 3. Quæst. 6. §. *Ad quæstionem ergo*, num. 9. Doctorem sequuntur discipuli, & plures alii. Prob. conclus. rationibus ipsius Scoti cit. 1.: ita se habet differentia individualis ad individuum, sicuti differentia specifica ad speciem; sed differentia specifica dicitur principium specificationis; quia contrahit, & determinat genus ad speciem: ergo differentia individualis est principium individuationis, quia naturam specificam contrahit ad esse hoc. Secundo: principium individuationis est illa entitas, ad quam sequitur unitas numerica; quia quælibet unitas propriam sequitur entitatem ut ejus passio; sed unitas numerica non sequitur naturam, seù entitatem specificam, hanc enim consequitur alia minor unitas, quæ dicitur formalis: ergo consequitur entitatem individualem; sed hæc est hæcceitas, seù differentia individualis: ergo.

Tertio: principium individuationis tribuit individuo indivisibilitatem in plura, tanquam in partes subjectivas; sed hæcceitas est proximum, & immediatum fundamentum

tum repugnantiæ divisionis in partes subjectivas; nam sicut differentia specifica athoma contrahit genus ad speciem, nec est ulteriùs divisibilis in species; ita differentia individualis contrahit naturam ad individuum, nec ampliùs est divisibilis in plura, tanquam in partes subjectivas: ergo. Quarto tandem, hic modus dicendi est communis, & adæquatus, convenitque omnibus rebus, sivè substantialibus, sivè accidentalibus, sivè materialibus, sivè spiritualibus, sivè totalibus, sivè partialibus, sinè ulla necessitate recurrendi ad varia principia individuationis; ut faciunt Thomistæ, & alii AA.: ergo hic modus dicendi cæteris aliis est præferendus.

Objic. 1.° Ex Philosopho, 2. Physic. text. 38. ubi ait; quod actus singularis supponit potentiam singularem; nam actus supponit potentiam proportionatam; sed hęcceitas est actus singularis: ergo supponit potentiam singularem: ergo hæc est singularis ante hæcceitatem, & consequentèr ista non est principium individuationis. Secundo: quod convenit uni individuo, & repugnat alteri ejusdem speciei, necessariò præsupponit illa distincta; sed Petreitas convenit Petro, & repugnat Paulo: ergo supponit illos distinctos; sed non specificè: ergo numericè, & individualitèr; ideòque Petreitas non est principium individuationis. Tertio: principia individuationis debent esse primò diversa, seù in nullo quidditativè convenientia, nè detur processus in infinitum; sed hæcceitates non sunt primò diversæ, quia quidditativè conveniunt in ratione individuationis ut sic: ergo non sunt principia individuationis.

His rationibus impugnat Aureolus Scoticam sententiam, & ex ipso Cajetanus, & Bannez, quas ipsi tenentur solvere. Nam si materia signata quantitate est principium individuationis, debet esse actus singularis; undè supponere debet potentiam singularem. Similitèr materia signata, quæ est principium individuationis in Petro, repugnat Paulo: ergo supponit illos distinctos. Denique, duæ materiæ signatæ conveniunt in ratione signationis ut sic, licèt differant in ratione talis signationis. Ecce

quo-

quomodo Thomistis incumbit, his argumentis satisfacere.

Resp. ergo ad primum, quod certum est, actum physicum, qualis est quælibet forma physica, supponere potentiam, à qua realitèr strictè distinguitur; sed non sic actus metaphysicus, seù differentia, quæ nec distinguitur realitèr à potentia metaphysica, seù natura communi, nec illam supponit singularem; immò per ipsam differentiam hæcceitatis constituitur in ratione singularis. Ad secundum negamus, quod illud, quod uni convenit, & alteri repugnat semper supponat illos distinctos; nam rationalitas convenit homini, & repugnat bruto, illosque distinctos non supponit; quia est differentia individualis, ut primò constitutiva in esse talis, & hoc modo convenit individuis differentia individualis, ut primò constitutiva ipsorum in ratione talium; proindèque illa distincta non supponit. Ad tertium concedimus principia individuationis debere esse primò diversa à parte rei, seù quoad realitatem; sed non debent esse primò diversa quoad conceptum inadæquatum nostri intellectus; & hæc est univocatio, & convenientia, quam nos ipsis concedimus in Logica.

DISPUTATIO ULTIMA.

De subsistentia entis creati.

QUÆSTIO UNICA.

In quo formalitèr consistat subsistentia creata?

Notandum est primò contra Durand. & alios, subsistentiam suprà naturam singularem, quam reddit subsistentem, aliquid reale superaddere ab illa realitèr distinctum, quod etiam separari possit, saltim per potentiam Divinam; ut patet ex Misterio Incarnationis, quo fide docemur, Verbum Divinum asumpsisse naturam humanam singularem, non tamen personatam, aùt subsis-

sistentem ; ut passim loquuntur Concilia , & SS. PP. Ex quo sequitur, quod subsistentia etiam distinguitur realitèr ab existentia; quia existentia inseparabilitèr convenit naturæ singulari , non autem subsistentia ; natura enim asumpta à Verbo, secundum communiorem , & veriorem sententiam, propriam adhùc retinet existentiam, non verò subsistentiam.

Notandum est secundò; ex S. D. sæpè , sed clariùs quodlib. 9. §. *de Secundo*, ℣. *Prima ratio*, num. 3. quod subsistere, vel per se existere multiplicitèr sumi potest. Primò communissimè, proùt est idem, ac solitariè existere; in quo sensu subsistentia potest accidenti convenire, quando est à subjecto separatum , ut in Eucharistia. Secundò minùs communitèr, pro eo, scilicèt, quod nec alteri inhæret, nec habet aptitudinem ad inhærendum; hoc modo omnis substantia, sivè completa, sivè incompleta, composita, vel simplex, potest dici ens subsistens; nam licèt forma substantialis insit materiæ informando, non tamen per inhæsionem; quia inhærere non est actus simplicitèr, sed secundum quid ; forma autem substantialis dat esse simplicitèr, & facit unum per se cum materia. Tertiò denique dicitur ens per se, seù subsistens, quod est in ultima actualitate, ita ut non sit ampliùs ordinabile ad aliquem actum simplicitèr ultra istum, quem habet ; qui quidem actus ulteriùs possit esse actus ejus per se; & in hoc ultimo sensu idem est ens subsistens, ac natura completa incommunicabilis alteri ut supposito. Undè illa ratio , à qua prædicta natura redditur inordinabilis, & independens ab alio, ut à supposito, dicitur subsistentia ; per quod distinguitur à substantia, quæ tantùm dicit independentiam ab alio , ut à subjecto inhæsionis.

Notandum est tertiò, quod hæc tria nomina, scilicèt, subsistentia, suppositalitas, & personalitas in recto eamdem formalitatem important ; & solùm in obliquo, seù penès connotata differunt, id est, penès diversas naturas , quas afficiunt. Si enim hæc formalitas afficit naturam substantialem completam , sivè intellectualem,

si-

sivè non, non solùm dicitur subsistentia, sed etiam suppositalitas; & totum, quod constituit, dicitur subsistens, & suppositum. Si verò illa forma adveniat naturæ incompletæ, v.gr. animæ rationali separatæ (in sententia, quæ illi tribuit partialem subsistentiam) dicitur subsistentia; & totum, quod constituit, tantùm dicitur subsistens. Si denique natura, cui advenit, est intellectualis, nedùm dicitur subsistentia, & suppositalitas, sed etiam personalitas; quia denominatio personæ, seù personalitatis datur tantùm in natura intellectuali. Totum autem constitutum, non solùm dicitur subsistens, & suppositum, sed etiam persona, seù *hypostasis*.

Ubi nota, quod licèt hoc nomen *hypostasis* antiquitùs sonuerit idem, quod *substantia*; & ideò SS. PP. renuebant admittere in Divinis tres hypostases, ne viderentur, tres essentias, aut substantias ibi admittere; jam tamen ex communi usu DD. idem significat, quod persona, seù personalitas. Ex quo sequitur, quod hæc tria, nempè, subsistentia, suppositum, & persona, seù hypostasis, ad invicem comparata, se habent sicut superius, & inferius. Benè enim sequitur: *Est suppositum: ergo subsistens*; sed non vice versa; quia anima rationalis separata est quidem subsistens, sed non suppositum. Similitèr optimè infertur: *Est persona: ergo suppositum*; sed non è contrà: Leo enim est suppositum, & non persona. Istæ verò consequentiæ sunt optimæ: *Est persona: ergo suppositum: ergo subsistens.*

Notandum quartò ex Ricard. lib. 4. de Trin. cap. 22. quod *persona est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia.* Hæc definitio est optima; nam ly *existentia* est genus; quia in hoc convenit persona cum aliis, quæ nec sunt personæ, nec supposita. Et similitèr est genus ly *incommunicabilis*, quia hoc convenit etiam supposito. Ly denique *intellectualis naturæ* ponitur loco differentiæ, per quod differt persona à supposito. Ex quo infertur, quod subsistentia ut sic, seù ut præscindit à personalitate, & supposito, ita definiri potest: *Est substantialis naturæ incommunicabilis existentia.* Quæ quidem definitio

con-

convenit personæ, ac etiam supposito; ideòque optimè explicat rationem subsistentiæ ut sic.

Notandum denique, communicabile esse duplex; *ut quod*, scilicèt, & *ut quo*. Communicabile *ut quod* est illud, quod est idem cum illo, cui communicatur, & de illo potest in recto prædicari; hoc modo, superius est communicabile inferioribus, de quibus in recto prædicatur, ut animal de homine, & æquo. Communicabile *ut quo* est illud, quod alterius est forma, vel pars, qua aliquid sit tale secundum ipsam, sed non est ipsa; sic albedo est communicabilis parieti, forma materiæ, anima corpori. Ex his clarè constat, quid sit incommunicabile *ut quod*, & *ut quo*; & de utraque incommunicabilitate intelligenda est definitio personæ, quia utraque incommunicabilitas ita pertinet ad rationem illius, ut esse incommunicabile *ut quo*, & *ut quod*, sit effectus formalis, quem subsistentia tribuit naturæ, quam afficit. Undè difficultas est: an consistat in aliqua entitate positiva, per quam natura reddatur formalitèr incommunicabilis alteri supposito, & ad quam sequatur, ut effectus secundarius duplex ille negatio communicationis ad aliud? an verò consistat in negatione communicationis, vel communicabilitatis ad alterum suppositum; ita ut negatio communicationis, vel communicabilitatis sit effectus primarius subsistentiæ? In qua

Prima pars est omnium Thomistarum, & inter Suaristas communior; quos citat, & sequitur novissimè Peynado 1. Physic. disp. 6. Sect. 1.; immò S. D. eam tenet ut probabilem; nam in 3. dist. 1. Quæst. 1. §. *Ideò*, n. 6. ait: *Duæ videntur viæ probabiles; una, quod persona sit persona per aliquid positivum in natura ultra illud, quo natura est individua::: alia via quod per solam negationem additam naturæ sit persona.* Et hic orta est divisio Scotistarum; nam Lichetus, Barg. Rada, Mauritius, Gavatius, & alii huic parti adhærent. Alii verò censent, utramque opinionem esse æquè probabilem; ut Aretinus. Cæteri autem sententiam de negativo, ut probabiliorem defendunt. Cum quibus

Di-

Dicimus subsistentia consistit formalitèr in negatione communicationis, seù communicabilitatis alteri supposito, ita ut natura singularis præcissè per incommunicabilitatem, seù negationem unionis constituitur in esse subsistentis. Pro cujus intelligentia nota ex S. D. in 3. dist. 1. Quæst. 1. §. *Non asserendo*, num. 9. & alibi, quod incommunicabilitas est triplex, scilicèt, actualis, potentialis, & aptitudinalis. Actualis est, cum actualitèr non dependet à supposito extrinseco; ut natura Petri, quæ actualitèr non dependet à supposito Pauli. Potentialis incommunicabilitas dicit repugnantiam ad actum, seù est, ratione cujus repugnat alicui ab alio dependere, ut natura Divina, cui repugnat dependere à supposito creato. Denique aptitudinalis incommunicabilitas est, cum natura non habet inclinationem, ut communicetur supposito alieno; ut prædicta natura Petri, quæ non habet naturalem propensionem ad suppositum Pauli.

Ex his negationibus, secunda non requiritur, ut natura sit subsistens, quia nulli naturæ creatæ potest repugnare uniri Personæ Divinæ, ut patet in natura humana asumpta, & ita in hac negatione non potest consistere personalitas. Prima negatio non sufficit; nam illam habet anima rationalis separata, & tamen non est persona. Nec etiam tertia est per se sufficiens; quia natura asumpta à Verbo habet talem negationem, & tamen secundum se non est persona. Undè utraque negatio, actualis, scilicèt, & aptitudinalis communicabilitatis ad aliud suppositum, seù ad aliam subsistentiam est requisita, ut constituatur personalitas; quælibet autem singilatim non sufficit; ideòque hac duplici incommunicabilitate, seù negatione unionis posita, quocumque alio positivo secluso, ponitur ratio formalis subsistentiæ, cujus effectus primarius, & per se est merè negativus.

Conclusio sic explicata est communior, & probabilior inter Scotistas cum S. D. Quodlib. 12. §. *De tertio*, num. 19. in fine, ubi ait: *Ad personalitatem igitur propriam, sivè creatam oportet concurre duas negationes, primam, & tertiam, ita quod tertia est quasi habitualis*

ne-

necessariò conveniens naturæ, cui convenit, sivè sit personata in se, sivè in persona aliena; sed alia negatio, scilicèt, actualis dependentiæ superveniens isti negationi complet personalitatem propriam. Et in 3. dist. 6. Quæst. 1. §. *Respondeo, ℣. Sed ad istud*, num. 2. ait: *Quod persona non dicit nisi duplicem negationem, ultra esse naturæ.* Id. ait dist. 1. Quæst. 1. §. *Non asserendo*, num. 9. & n. 10. solvit argumenta contra sententiam de negativo. Et dist. 5. Quæst. 2. §. *Ad aliam quæstionem*, num. 4. ait: *Sententiam de positivo fuisse sufficientèr improbatam in 3. dist. 1. Quæst. 1. cit.* Ex quo patet, quod opinio de negativo fuit semper probabilior, & conformior menti Mariani Doct.

Prob. ergo conclus. Primò: si subsistentia importaret formalitèr aliquid positivum, humanitas in Christo D. esset substantialitèr mutilla, & manca; sed hoc est contra Damascenum, lib. 3. cap. 6. ubi ait: *Verbum assumpsise omnem rem, quam in humana natura plantaverat*; & PP. qui docent, Verbum assumpsise naturam integram, & perfectam, seù cum omni sua perfectione substantiali: ergo non importat aliquid positivum, sed negativum. Prob. maj. nam humanitas in Christo D. caret propria subsistentia, ut docet Fides; sed subsistentia est aliqua perfectio positiva substantialis spectans ad naturam humanam: ergo si consistit in positivo, natura humana esset in Christo D. mutilla, & manca. Secundò: si subsistentia creata consisteret in positivo, posset natura Divinitùs manere nuda absque omni subsistentia, tàm propria, quàm aliena; sed hoc est absurdum: ergo. Maj. est certa; quia ut ait S. D. in 2. dist. 12. Quæst. 2. §. *Respondeo ad quæstionem*, num. 3. omne absolutum prius, & realitèr distinctum ab alio ente absoluto potest esse sinè contradictione, sinè illo; subsistentia autem est entitas absoluta posterior natura, & ab illa realitèr distincta: ergo. Min. verò prob. quia tunc illa natura esset, & non esset subsistens. Non esset, quia careret subsistentia: & etiam esset subsistens; quia nec actualitèr, nec aptitudinalitèr dependeret ab alio, tamquam à supposito: ergo.

Tertiò tandem ; quia in hoc modo dicendi meliùs ocurritur hæreticis Nestorianis, qui in Christo D. duas ponunt personas, Divinam, scilicèt, & humanam. Nam vel sermo est de personalitate, vel de natura personata? Si primum ; personalitas in negativo consistens non est assumptibilis; nequit enim fundare positivam, & realem unionem ad aliud suppositum ; & consequentèr neque assumi. Si secundum ; contradictoria verificarentur ; si enim natura personata assumeretur, actualitèr dependeret ab alio; ex eo autem, quod esset personata actualitèr, non dependeret ab alio; undè simul, & semel dependeret, & non dependeret, quod est absurdum.

Ubi quæres. An subsistentia formalitèr consistat in utraque negatione actuali, scilicèt, & aptitudinali? Resp. personalitatem solùm dicere pro formali negationem actualis communicationis ; negationem verò aptitudinalis communicationis tantùm materialitèr, & præsuppositivè. Patet, quia negatio, quam importat personalitas, debet esse à natura separabilis, sicut ipsa personalitas; sed negatio actualis dependentiæ ad alieno supposito est separabilis à natura , ut patet in natura assumpta à Verbo; negatio autem aptitudinalis dependentiæ non est separabilis, ut patet: ergo negatio actualis dependentiæ est constitutiva personalitatis ; tamen fundamentalitèr, & præsuppositivè requiritur negatio ordinationis, & communicationis aptitudinalis ; alioquin anima separata esset persona, quia in ea adest negatio actualis communicationis.

Objic. contra conclus. 1.° Suppositum, ut suppositum, dicit perfectionem, & subsistentia est perfectissimum in genere substantiæ ; sed negatio nullam dicit perfectionem, cum sit non ens : ergo subsistentia non consistit formalitèr in negativo. Prob. maj. quod addit suppositum individuæ substantiæ, est de perfectione, & complemento substantiæ : ergo dicit perfectionem. Resp. neg. maj. Ad prob. dist. antec. quod addit suppositum individuæ substantiæ , est negativè de perfectione, & complemento substantiæ, conc. antec. propriè, & positivè, neg.

neg. antec. & conseq. Subsistentia autem, cum sit mera negatio, nequit nisi negativè perficere naturam, quatenùs illi negat dependentiam ab alio tanquam à supposito. Undè non verificatur, quod sit perfectissimum in genere substantiæ ratione negationis, quam formalitèr importat; sed ratione naturæ completæ, quam præsupponit, & in qua fundatur.

Objic. 2.° Subsistentia est ultima actualitas, per quam natura redditur non ordinabilis ad ulteriorem actum; ut ait D. S. Quodl. 9. §. *De secundo*, ℣. *Prima ratio*, num. 3.; sed sola negatio nequit dici ultima actualitas alicujus positivi constituens illud non ordinabile ad ulteriorem actum: ergo. Prob. min. quia ultima actualitas est ultimum complementum substantiale naturæ; sed hoc debet esse quid positivum: ergo. Resp. dist. maj. subsistentia est ultima actualitas impropriè, conc. maj. propriè, neg. maj. & distinct. min. inversis terminis, dicimus ad probationem, quod istæ voces, scilicèt, *perfici*, *inniti*, *esse ultimum complementum*, *ultimam actualitatem*, *&c.* non nisi impropriè acceptę verificantur de subsistentia. Dicitur enim natura perfici, quatenùs negatio, quam subsistentia formalitèr importat, excludit à natura dependentiam ab alio, ut à supposito, in quo aliquomodo ipsa perficitur, innitendo proprio supposito, & excludendo alienum. Dicitur compleri, seù esse ultimam actualitatem, quatenùs natura sub tali negatione existens, nequit alteri communicari. Undè neque est propria actualitas, nec proprium complementum substantiale, quia non influit in ipsam naturam; sed solùm impropriè, nec aliud intendit Doct. loco cit.

Objic. 3.° Personalitas Verbi Divini supplet in humanitate vices, & munus subsistentiæ creatæ, quam haberet humanitas, si non esset Verbo unita; sed personalitas Verbi Divini est positiva: ergo, & creata. Patet conseq. quia positivum nequit supplere vices, & munus negationis. In hoc argumento valdè confidunt adversarii. Sed argumentum, quod adeò magnificant, tenentur ipsi solvere; nam de ratione subsistentiæ, sivè consistat

in

in positivo, sivè non, est reddere naturam independentem à quocumque supposito extrinseco; sed hoc munus nequit supplere personalitas Verbi Divini; nam si actu dependet à Verbo, implicat, quod actu sit independens à supposito alieno: ergo personalitas Verbi nequit supplere vices personalitatis creatæ, etiam si ista consisteret in positivo.

Sicut ergo huic argumento respondent, personalitatem Verbi supplere vices, & munus personalitatis creatæ, non quia natura accipit à Verbo omne, quod haberet à propria subsistentia, quia hoc est imposibile; sed solùm quia personalitas Verbi constituit naturam subsistentem, & supplet munus personalitatis propriæ, quoad aliquos effectus. Ita, & nos dicimus, quod non requiritur, ut verificetur, quod personalitas Verbi supplet munus creatę personalitatis consistentis in negativo, quod tribuat humanitati assumptę effectum formalem, & denominationem negationis; hoc enim enti positivo prorsùs repugnat; sed sufficit, naturam constituere subsistentem pro eodem instanti, pro quo subsisteret propria subsistentia, & esse principium denominationis actionum humanarum: & utrumque verificatur de personalitate Verbi Divini; ut est evidens: ergo &c.

Objicies denique CC. & SS. PP. definiunt contra Nestorium, & sequaces, non mansisse personalitatem humanam in Christo: ergo personalitas creata non consistit in negativo. Patet conseq. si consisteret in negatione unionis ad Personam Divinam, idem esset definire, quod, posita unione naturæ humanæ ad Verbum, non mansit persona humana, ac definire, quod, posita unione naturæ humanæ ad Verbum, non mansit carentia unionis ad Verbum; sed non est credibile, quod Concilium definiret id, quod nullus hæreticus negabat, nec negare poterat: ergo dum definiunt, non mansisse personalitatem creatam simul cum unione hypostatica, clarè supponunt, subsistentiam esse aliquam entitatem positivam.

Hoc argumentum potest instari adhuc in sententia adversariorum, qui, licèt in positivo constituant subsis-

tentiam, tamen concedunt, dicere de secundario, & inseparabilitèr negationem unionis ad aliud suppositum. Resp. ergo, quod CC. & PP. definiunt, inter naturam humanam, & Verbum esse veram, & physicam unionem contra Nestorium, qui tantùm cognovit unionem moralem, scilicèt, solum per affectum, dignitatem, & gratiam. Et ita poterat consequentèr asserere, ibi esse duas personas; quia numquam asseruit unionem naturæ humanæ ad Verbum factam fuisse in persona. Undè argumentum procedit ex falsa suppositione, proindèque nihil valet.

Ex dictis in hac quæst. infertur: Primò, subsistentiam naturæ singulari solùm superaddere negationem dependentiæ ad alienum suppositum in sensu explicato. Secundò, suppositum creatum non posse alienam terminare naturam; aliàs unio hypostatica terminaretur ad negationem, in qua creatum suppositum consistit, quod est absurdum. Tertiò, crassiùs errasse Lochium, dum lib. 2. de intellectu humano, cap. 27. §. 1. concedit, *conscíam notitiam efficere personalem identitatem.* Quæ sententia, & repugnat cum prædictis in hac quæstione, & cum Augustissimo Sacrosanctæ Trinitatis Misterio; in quo sunt tres Personæ; una tamen est notitia, qua Deus sibi conscius est omnium suarum operationum.

APENDIX.

Ubi aliqua dubia circa subsistentiam resolvuntur.

Dubitabis 1.° An si subsistentia consisteret in positivo, concurreret tunc elicitivè ad actiones, & operationes naturæ? Resp. negativè cum omnibus Scotistis, & Suaristis contra Thomistas. Et prob. quia subsistentia est modus extrinsecus; sed modus nullam virtutem activam confert naturæ, sed advenit post ejus integram constitutionem: ergo subsistentia non concurrit elicitivè, sed tantùm est conditio ad agendum in natura prærequisita, maximè in nostra sententia de negativo, in

qua

qua natura singularis nec de potentia Dei absoluta potest esse, & conservari sinè propria, vel aliena subsistentia.

Dubitabis 2.° Quæ res dicantur verè, & propriè subsistere. Resp. 1.° Quod accidens, nec conjunctum, nec separatum à subjecto potest dici verè, & propriè subsistere. Prob. quia subsistentia dicit incommunicabilitatem supposito alterius naturæ; accidens verò ex se importat communicabilitatem supposito substantiæ: ergo. Respond. 2.° Partes integrales, etiam in toto dicuntur verè, & propriè subsistere. Prob. quia quælibet pars integralis est ens completum, sicut totum, ut apparet in gutta aquæ; & etiam quia quælibet est incommunicabilis *ut quod*, & *ut quo*; ut patet: ergo. Resp. 3.° Partes essentiales, nec conjunctæ, nec separatæ verè, & propriè subsistunt. Ita S. D. Quodl. 9. §. *De secundo*, n. 3. Prob. subsistentia fundamentalitèr, & præsuppositivè requirit, quod natura subsistens non sit communicabilis alteri, nec ut toti, nec ut comparti; sed partes essentiales semper sunt communicabiles per modum partis: ergo nec conjunctæ, nec separatæ potest eis convenire subsistentia propriè dicta. Et hæc sufficiant de ontologia, seù prima metaphysicæ parte; proindèque sit

PARS SECUNDA METAPHYSICÆ,

SIVE PNEUMATOLOGIA.

Hic agendum erat de existentia, unitate, essentia, & attributis Dei, deque existentia Angelorum in quantum ratio naturalis hæc omnia valet attingere; at quia adhuc in hoc sensu prædicta omnia à Theologis nostris fussè tractantur; ideò illa pro nunc omittimus, ne idem bis repetamus. Proptereaque ad agendum de anima rationali referamus calamum; non de anima rationali in ordine ad corpus, in quo sensu pertinet ad Animasticam; sed

de

de illa ut in se se, proùt attinet ad metaphysicam. De illaque in hoc sensu sit

DISPUTATIO UNICA.

De anima rationali.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrùm anima rationalis sit spiritualis, & indivisibilis?

Anima rationalis rectissimè describitur à S. Aug. lib. de Quantitate animæ, cap. 13. *Est substantia quædam, rationis particeps, regendo corpori accommodata.* Porrò decretis Fidei sancitum est: *Animam humanam esse incorpoream, immortalemque substantiam, quæ non ex Divina Essentia, aut ex cœlesti domicilio prius existens deducatur, sed quæ creetur ex nihilo, ac multiplicetur pro numero corporum.* Ita decreverunt Catholicę Ecclesię CC. Bracarense I, Lateranense IV, sub Innocentio III, Viennense sub Clemente V, & Lateranense V sub Leone X. Undè falsa est sententia Tertuliani, aliorumque Veterum, animas rationales ex semine corporeo propagari docentium. Et etiam illorum Philosophorum antiquorum opinio, qui animam hominis divisibilem esse, & corpoream putaverunt. Contra quos omnes

Dicimus cum Arist. à Tullio, lib. 1. Tusculan. QQ. cit. animam rationalem esse spiritualem; atque adeò indivisibilem. Prob. 1.° Ex Sacra Scriptura, Ecclesiast. cap. 12. ℣. 7. ait: *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat; & spiritus reddeat ad Deum, qui dedit illum.* Et Luc. 23. dicebat Christus D.: *In manus tuas commendo spiritum meum*: igitur anima rationalis est spiritualis. Quare veritatem hanc definivit Concil. Lateranense IV, in cap. *Firmiter*, dicens, *naturam humanam esse constitutam ex spiritu, & corpore.*

Prob. 2.° Ratione ex D. S. in 4. dist. 43. Quæst. 2. Effectus, qui ab anima rationali præstantur manifestè

os-

ostendunt, eam esse spiritualem: ergo spiritualis est. Anteced. patet: nam anima contemplatur res abstractissimas à materia; & non solùm singularia, sed etiam universalia; possibilia, & impossibilia; entia, & negationes entium; materialia, & spiritualia; immò etiam ipsum Deum; super actus suos etiam reflectit; ex una in aliam notitiam, ratiocinando progreditur; & operationes istas independentèr ab organo corporis effectivè producit, facultatesque ab ipso independentes habet; sed hæc omnia præstare non posset, si non esset spiritualis; ut ex Arist. ajebat Cicero cit.: ergo &c. Confirmatur; quia materiale nequit attingere perceptione sua res spirituales; nec accidens spirituale, qualis est cognitio, recipi potest in subjecto materiali, & divisibili; ut probabimus in Physica; sed anima rationalis percipit res spirituales, & recipit in se suas cognitiones spirituales: ergo non materialis, sed spiritualis est; proindèque indivisibilis in partes.

Objic. 1.° Anima rationalis in suis operationibus pendet à corporeis organis; nam ideæ rerum non sunt ingenitæ, ut infrà dicemus: igitur anima, cum habeat potentias organicas, materialis est. Resp. ex pluriès dictis, animam non dependere à sensibus, vel ut à causa partiali suarum operationum, aut quasi *ab organo*; sed unicè pendere à sensibus tamquam *à nunciis, & ministris.* Quod patet; quia languente sensu, non languet intellectus; immò corpore languente, magis viget, ut apparet in senibus, qui prudentiores, & sapientiores sunt juvenibus. Rursus, anima separata intelligit, & percipit spiritualia: ergo ejus intellectus non est potentia organica, & materialis.

Objic. 2.° Quidquid recipitur, admodum recipientis recipitur; sed anima recipitur in corpore divisibili; ergo recipitur divisibilitèr: ergo corporea, & divisibilis est. Confirmatur; quia si non esset divisibilis, non posset explicari, quomodo aliqui, abscisso capite, potuerunt ambulare, & loqui; ut videmus in S. Dionisio: ergo. Resp. ad hoc ut anima recipiatur in corpore divisibili sufficere, quod ipsa sit divisibilis virtualitèr; quomodò

se

se habet Angelus respectu loci, & Deus respectu universi; sicque intelligendum est axioma prædictum. Ad confirmationem dicimus, illud factum fuisse per miraculum; non quia pars animæ esset in capite abscisso, & pars in corpore; sed vel quia tota erat utrobique, vel quia Deus alio modo supernaturali hoc fecit.

Hic denique venit advertendum, ut plures Concilior. Sanctorumquè PP. auctoritates, quæ animæ corpus concedere videntur, facilè solvantur; corpus in duplici sensu posse sumi. Primò: strictè, & propriè, pro illo, quod materia constat, ac certa mole, & figura, magnitudineque terminatum est. Secundò: in lactiori significatione, quo in sensu appellatur corpus, quod reale est, ac subsistit, innaniquè, ac vacuo opponitur. Hocque in posteriori sensu plerique Veterum Deum ipsum corpus esse dixerunt; ut Theologi ostendunt. Atquè ita Concilia, & PP. quandoquè animæ etiam corpus attribuunt; ut etiam optimè notat noster Ferrari.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrùm anima rationalis sit immortalis? Et ratio naturalis id non solùm suadeat, sed demonstret?

Epicurus, Lucretius, aliique Veteres rationalem animam mortalem esse, & cum corpore interire, & destrui arbitrabantur. Aliorum Philosophorum communis sensus animæ rationali immortalitatem attribuit. Immortalitas autem est triplex. Vel enim dicit solam negationem actualis desitionis, quo sensu etiam corporibus potest convenire; nam Deus potest in æternùm illa servare, licèt, ex se petant corrumpi: vel etiam dicit negationem aptitudinalis desitionis, quomodo Angelis convenit, qui Divina virtute destrui possunt, sed ex eorum natura ad corruptionem non inclinantur; soloque indigent generali cursu Dei, ut permaneant, nec ulla vi creaturarum destrui possunt: vel denique dicit negationem potentialis desitionis, & ita solius est Dei; propter-

tereaque dicebat Apost. in 1. Ep. ad Timotheum, cap. 6. ℣. 16. *Qui solus habet immortalitatem.* Et hanc in anima rationali non quærimus. Nunc tamen

Dicimus, animam rationalem esse immortalem: rationem naturalem id ipsum suadere; non tamen certò, evidentèrque demonstrare. Prob. prima pars: Nil frequentiùs utriusque Testamenti paginæ prædicant, quàm animam rationalem esse immortalem: ergo. Patet antec. Sap. cap. 3. legimus: *Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Et Christus D. dicebat Math. cap. 10. *Nollite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Milleque aliis in locis catholica ista veritas elucet: igitur anima rationalis est immortalis.

Prob. secunda pars: Nempè, rationem naturalem multiplici fundamento immortalitatem animæ suadere. Et primò quidem: Anima rationalis est spiritualis: ergo etiam immortalis. Patet conseq.: Anima rationalis vi suæ spiritualitatis est independens à corpore quantùm ad operari; ut in quæst. præcedenti diximus: ergo etiam est independens quantùm ad esse: Operari enim sequitur esse. Modo sic; sed quod est independens à corpore, non periit, eo destructo; siquidem nihil periit ex defectu ejus, à quo essentialitèr non dependet: ergo anima rationalis non periit, destructo corpore; proindèque est immortalis.

Secundò: anima rationalis libertate gaudet: ergo non dependet quo ad existentiam à corpore: ideòque est immortalis. Prob. conseq. si anima rationalis dependeret à corpore quo ad esse, non esset libera: ergo. Prob. antec. si anima ita dependeret à corpore, mutaretur ad mutationem corporis; ideòque mores animi necessariò sequerentur temperamentum corporis; nam sensus, & sensitivi appetitus, quia materiales sunt necessariò trahuntur ad mutationem materiæ: ergo. Deindè, quod ab organo pendet materiale est; sed nullum materiale libertatem habet; quia necessariò debet se accommodare corporeis objectis, à quibus determinatur; nec aliud

bo-

bonum respicit, nisi sensibile; nec contra consuetudinem, & præter naturam operari potest; ideòque nec præmii, nec pœnæ capax est; sed talis esset anima rationalis: quibus omnibus humanitas funditùs evertitur: ergo.

Tertiò: Veritas ab omnibus concessa, pro certa habenda est; sed omnes penè gentes animam rationalem esse immortalem fatentur; nam id sanè omnium nationum sapientes docuerunt, & ut ait Seneca, Epist. 117. *Consensus hominum firmat, aut timentium inferos, aut colentium.* Quæ omnia ex historiis sunt manifesta. Hinc Legum institutio, hinc tanta apud omnes posteritatis cura, hinc tot egregia facinora ab antiquis pro patria, pro republica patrata. Quæ omnia elegantissimè prosequitur Cicero lib. 1. Tusculan. QQ. ubi de hoc argumento fussisimè disputat: ergo.

Quartò: Mundi hujus gubernatio debet fieri justissimis Providentiæ legibus; nam ut ait Arist. lib. 12. Metaph. *Entia nolunt male gubernari*: ergo anima hominis est immortalis. Prob. conseq. Iniqua est gubernatio, qua vitia præmiis, virtutes supliciis plectuntur; sed sæpissimè contingit in hac vita, ut vitia præmiis, virtutes supliciis plectantur: ergo nisi anima immortalis sit, & post mortem corporis perseveret, atque tunc pœnas, aut præmia pro merito accipiat, non rectè gubernatur mundus. Hinc unusquisque Deum esse justissimum judicem, vel solo lumine naturæ cognoscit. Hoc argument. extollunt SS. PP. præsertim S. Joannes Chrisostomus, & S. Petrus Chrysologus.

Quintò: Fortitudo, quæ terribilia, mortemque pro patria contemnit, honestissima est, præmioque digna; sed si anima esset mortalis, ea fortitudo nec esset honesta, nec præmio digna: ergo anima non est mortalis. Prob. min. Nulla tunc esset felicitas, nisi in hac vita. Porrò fortitudo illa vitam auferret; atque ideò omnem auferret felicitatem: ergo non esset virtus, sed vitium.

Sextò: Omne ens habet suum finem sibi à natura constitutum, in quo perfectissimè quiescit, delectatur,

& beatitudinem suam assequitur; sed anima nostra finem hunc non obtinet in hac vita; in nullo enim bono creato quiescit: ergo vitam aliam concedere oportet, in qua anima nostra suum finem assequi possit. Et sanè naturalitèr cognoscimus, beatitudinem nostram debere esse sempiternam. Si enim homo moriens beatitudinem amitteret, aut eam amitteret volens, aut nollens? Si volens, quomodo est beata illa vita, quam nolluit, qui eam habebat? jam enim non esset summum bonum amabile. Si nollens, deberet sempèr homo pertimescere, ne eam perdat, atque ita tristari. Nec dicere valent adversarii, hominem indifferentèr illam respicere; nam tunc maximum suum bonum negligeret. Quæ ratiocinatio est S. Aug. lib. 13. de Trinit. igitur &c.

Prob. tertia pars: Scilicèt, prædicta argumenta immortalitatem animæ evidentèr non demonstrare. Ipsam enim docuit S. D. in 4. dist. 43. Quæst. 2. post S. Aug. qui lib. 13. de Trinit. cit. cap. 8. postquam scripserat, omnes cupere beatam vitam, ideòque sempiternam, statim addit: *Si fides adsit, quæ inest eis, quibus dedit potestatem Jesus Filios Dei fieri, nulla quæstio est. Humanis quippe argumentationibus hæc invenire connantes, vix pauci magno prædicti ingenio, abundantes otio, doctrinisque subtilissimis eruditi, ad indagandam solius animæ immortalitatem pervenire potuerunt*: ergo S. August. non agnoscit in rationibus naturalibus vim evidentis demonstrationis; nam vix illa communis est omnibus, nec est ita difficultatibus implicata, ut magnam ingenii præstantiam, magnumque connatum ad sui assensum requiratur.

Hoc ipsum agnovit Cicero lib. Tuscul. QQ. cit. qui eum in præsens argumentum sua fundamenta esset expositurus, multum probabilitatis eis inesse sentiebat, evidentiam autem attribuere non audebat. *Ea, ut potero* (inquit) *explicabo: nec tamen quasi Pythius Apolo, certa ut sint, & fixa, quæ dixero, sed ut homunculus unus è multis, probabilia conjectura sequens. Ultra enim quo progreditur, quam ut verisimilia videam, non habeo.* Quarè

cum

cum jam rationum momenta declarasset, dicenti Auditori suo : *Sed me nemo de immortalitate depellet* ; sic Cicero respondet : *Laudo id quidem* ; *etsi nihil nimis oportet confidere. Movemur enim sæpè aliquo acutè concluso : laudamus, mutamusque sententiam clarioribus etiam in rebus. In his enim est aliqua obscuritas* : ergo rationibus probantibus animæ immortalitatem, non evidentia, sed obscuritas adest.

Hinc Epicureus, aliusvè purus Philosophus singulis alatis rationibus tales potest adhibere responsiones, quæ, vel eorum vim evacuent, vel dificilè queant improbari, aut certò, & evidentèr falsitatis convinci. Itaque ad primam posset talis respondere Philosophus, ipsam sic instando ; anima utpotè spiritualis est in sui esse independens à corpore : ergo existit priusquam corpus. Sicut enim hæc consequentia non infertur, ita nec quod anima existet post corporis corruptionem. Et hoc non quia corrumpitur cum corpore, sed quia sicut Deus illam non produxit nisi ad productionem corporis, ita ipsam non conservabit nisi ad conservationem corporis ; proindèque ipsam, destructo corpore, destruit. Nec contrarium potest evidentèr convinci.

Ad secundam posset dicere, solùm probare spiritualitatem animæ, & ejus independentiam à corpore tamquam ab organo. At quemadmodum hæc non convincunt, animam creari sinè corpore, ita nec demonstrant evidentèr, animam sinè corpore conservari. Rursùs hęc probant, animam vera corruptione destrui non posse ; sed non demonstrant, ipsam non desinere per substractionem Divini concursus conservantis ; multoque minus animam petere ex natura sua, ut sinè corpore conservetur, sicuti non ostendunt, animam ex sui natura petere, ut sinè corpore creetur.

Ad tertiam diceret, falsum esse omnes immortalitatem animæ docuisse ; nam Philosopho non lateret, tot ex Epicureorum secta homines, tot etiam alios populos contrarium tenuisse. Immò plerosque Veterum præstantes ingenio, scientiaque eruditos de animę immortalitate du-

dubia reliquisse scripta: atque ideò cum ipsis, & ipse dubitaret. Cætera autem, quæ adjecimus, diceret Philosophus ex naturæ instintu evenire, ut propagatio filiorum etiam in brutis contingit, vel ex præconcepta satis probabili spe immortalitatis; vel ex ambitione captandæ gloriæ, quamdiu hic vivitur; vel ex usitato nationum more.

Ad quartam concederet Philosophus, quod est verisimilius cæteris, sed vi demonstrationis non gaudere. Nam, licèt, concedatur, unum extare Rectorem hominum secundum leges justitiæ rettribuentem, & punientem, adhuc ad hoc non requiritur altera vita; quia maxima culpæ vindicta est turpitudo ipsa, cruciatus animi, concientięque flagellum; quemadmodum non exigua merces, & præmium est fructus ipse virtutis, quo mirificè delectantur probi. Undè illud D. August. lib. 1. Confess. cap. 12. *Jussisti* (Domine) *& sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus.* Est, & altera responsio, quæ Stoicorum esse videtur, dicente Cicerone lib. cit. *Stoici ajunt: Animos manere, è corpore cum excesserint, sed non sempèr.* Proindèque juxta ipsos posset dicere Philosophus, animam non petere immortalitatem, sed tamèn post mortem à Deo conservari, usque dum, vel ipsam præmiaret, vel puniret. Per quod etiam patet responsio ad quintam.

Ad sextam tamen diceret, omne ens in suo fine quiescere, quemadmodum est illi possibile. Porrò Philosophus arbitraretur, animam nostram quiescere in naturali contemplatione Dei, aliarumque substantiarum separatarum, & in veritatis assecutione, in suarumque directione operationum juxta regulas Ethicæ: aliamque beatitudinem naturalitèr non cognosceret. Visio enim intuitiva Dei, & beatifica inter illa misteria à Theologis enumeratur, quæ ratione naturali nec possibilia possunt demonstrari nec impossibilia. Undè Philosophus ille volens amitteret sempiternam beatitudinem, quia eam sibi non agnosceret esse possibilem. Nec de isto loquitur Aug. sed de illo, qui lumine fidei beatitudinem cognosceret.

Ad-

Advertendum tamen est hic primò, quod sicut non est demonstrabile animam rationalem esse immortalem, ita nec demonstrari potest, esse mortalem. Ideòque Concil. Lateranense V. damnavit quosdam Philosophos, qui cum animam rationalem ex fide immortalem esse confiterentur, ex principiis Philosophiæ mortalem esse arbitrabantur. Secundò: Arist. agnovise animam rationalem esse spiritualem, & immortalem; nam illud docuit in lib. 1. de Anim. cap. 5. refellens Democritum, qui materialem esse hominis animam docuerat: istud autem in lib. 2. de Gener. animal. cap. 3. non tamen negamus, Philosophum quandoque de immortalitate animæ dubitasse, ut cæterorum mos est, quibus veritas aliqua non liquidò apparet.

QUÆRES.

Utrùm anima rationalis sit immortalis ex sui natura?

Respond. affirmativè, & probatur; aliquod debet assignari discrimen inter immortalitatem corporis, & immortalitatem animæ spiritualis; sed corpora nostra, ut docet fides, erunt immortalia ex speciali Dei privilegio, & concursu: ergo anima, quæ est spiritualis, erit immortalis ex sui natura. Quod ipsum de Angelis dicendum est.

QUÆSTIO TERTIA.

Quænam sit essentia animæ rationalis?

Cartessius quemadmodum essentiam substantiæ materialis in ipsa actuali extensione constituit, ita essentiam substantiæ spiritualis in actuali cogitatione. Ait enim Part. 1. Princip. num. 8. *Solam cogitationem ad nostram naturam pertinere*; & num. 9. addit: *Cogitationis nomine intelligo illa omnia, quæ, nobis consciis, in nobis fiunt, quatenùs eorum in nobis conscientia est; atque ita non modò intelligere, velle, imaginari, sed etiam sen-*

ti-

tire, idem est hic, quod cogitare. Hinc infantes materno adhuc in utero conclusos, sempèr cogitare, sępiùs scribit, ut notat noster Ferrari. Sed hic modus dicendi non placet; proptereaque

Dicimus, essentiam animæ rationalis non esse actualem cogitationem. Est communissima, & prob. Essentia rei est ejus primum, & intimius prædicatum; sed cogitatio non est primum, & intimius prædicatum animæ: ergo non est ejus essentia. Prob. min. non est primum, & intimius prædicatum, quod aliud supponit, ad quod sequitur; sed cogitatio aliud supponit, ad quod sequitur: ergo. Prob. min. Ad esse sequitur operari, ait commune proloquium ab omnibus admissum; sed cogitatio est operatio: ergo sequitur ad esse: ergo &c. Et ampliùs; quia sinè suficienti ratione asserit Cartessius, animam nostram, & pueros etiam materno utero inclusos sempèr cogitare; & aliundè nos eas cogitationes habuisse, nullatenùs recordamur: ergo Chymeræ sunt à Cartessio inventæ.

Resp. Cartessius, apud Gassendum Dubit. 4. in 2. Meditationem: *Mirum non esse, quod non recordemur cogitationum; quas mens habuit in matris utero; ad recordationem enim cogitationum requiritur, ut quædam ipsarum vestigia in cerebro impressa sint, ad quæ se convertendo, sivè applicando, mens recordatur: cerebrum autem infantis vestigiis illis recipiendis est ineptum.* Contrà. Cartessius his, similibusque doctrinis nullam affert doctrinam, qua probet infantes in utero conclusos re ipsa cogitare: ergo falsum est. Deindè Cartessius docet neminem cogitare, quin per refflexionem se cogitare sciat, atque ex hac refflexione memoriam in nobis effici docet; sed pueri non habent hanc memoriam juxta ipsum: ergo non cogitant in utero. Denique imperceptibile omninò est, vestigia cogitationum, quæ incorporeæ sunt, imprimi posse in cerebro: ergo de primo ad ultimum falsa est hæc Cartessii oppinio.

Objic. 1.° Inter materiam, & animam ea est differentia, ut illa sit *potentia*, hæc autem *actus*: ergo ejus

es-

essentia est actualis cogitatio. Secundò: Si anima aliquando esset sinè cogitatione, vel hoc esset, quia non posset, vel quia non vellet? Si primùm; jam ejus essentia destruitur. Si secundùm; jam cogitaret, dum non cogitat, quia nemo potest nolle, quin cogitet, quod non vult: ergo. Tertiò: Nequit haberi lux, quæ actualitèr non luceat; nec calor, qui non sit sempèr calidus; nec substantia sinè actuali *perfeitate*: ergo nec existere potest anima, quæ non semper cogitet.

Resp. ad primùm, animam esse *actum*, sivè perfectionem in actu primò, hoc est, natam perficere corpus, aut cogitare, si ad seipsam comparetur; non tamen est *actus*, sivè perfectio in actu secundo. Per rationem verò actus primi sufficientèr differt à materia. Ad secundùm dicimus, animam posse esse sinè actuali *cogitatione*; & hoc, vel quia non potest ex defectu organi, ut contingit in pueris in utero conclusis; vel quia non vult, non quidem actu positivo nollens, sed nullum actum voluntatis eliciens: quod quidem postea ostendemus esse possibile. Ad tertium exempla illa nil probant; omnia enim sunt in genere causæ formalis; atque ideò lux sempèr lucet, calor sempèr est calidus, & substantia sempèr est per se: at cogitatio pertinet ad genus causæ efficientis; proindèque longè dispar est ratio. Undè essentia animę, non in actuali cogitatione, nec in facultate, aut principio cogitandi, sed in istius facultatis radice constituenda est; ut in similibus sæpè docuimus.

QUÆSTIO QUARTA.

Utrùm operationes animæ rationalis realitèr ab ipsa distinguantur?

Negant Recentiores Philosophi, ne cogantur admitere qualitatem aliquam, seù formam accidentalem, etsi spiritualem. Proptereaque docent, diversas cogitationes, seù volitiones nostras aliud non esse, nisi diversas modificationes animæ, diversasque ejusdem tendentias,

ac diversorum objectorum terminationes. É contrà Peripatetici omnes docent, intellectionem, & volitionem realitèr distingui à suis principiis intellectu, & voluntate, seù ab ipsa anima; esseque entitates illi realitèr superadditas. Cum quibus

Dicimus, intellectionem, & volitionem realitèr distingui ab anima rationali. Prob. Si intellectio non distingueretur ab anima rationali, ipsa operaretur per actum realitèr indistinctum, & sinè intrinseca mutatione sui ex non cognoscente fieret cognoscens; sed hic modus operandi, & cognoscendi proprius est solius Dei immutabilis, & omninò simplicis: ergo intellectio realitèr distinguitur ab anima rationali; idemque de volitione est dicendum. Maj. est ipsa RR. doctrina; min. prob. Omnes SS. PP. propositionem illam adstruunt, & ne nimis immoremur audiant RR. S. August. & D. Greg. Magn. & ille quidem Tract. 48. in Joann. ait: *Tu aliud est, aliud habes. Verbi gratia, habes sapientiam. Numquid tu es ipsa sapientia? Denique quia non es tu ipse, quod habes, si amiseris, quod habes, reddis, ut non habeas: & aliquando resumis, aliquando amittis; quomodo oculus noster non in se ipso habet inseparabilitèr lucem: aperitur, & capit: clauditur, & amittit. Non sic est Deus Dei Filius::: sic habet sapientiam, ut ipse sit sapientia.*

Idem autem Aug. ibid. tract. 99. inquit: *Et ideò non est ita substantia*, (mentis humanæ) *verissimè simplex, cui non hoc est esse, quod nosse; potest enim esse, nec nosse. At illa Divina non potest, quia id, quod habet, est. Ac per hoc non sic habet scientiam, ut aliud illi sit scientia, qua scit, aliud essentia, qua est; sed utrumque unum.* S. Greg. tamen, lib. 18. Moralium cap. 50. scribit: *Habet vitam Sapientia; sed non aliud habet, aliud est; quippè cui hoc est esse, quod vivere. Servi autem Sapientiæ cum habent vitam, aliud sunt, & aliud habent: quippè quibus non est hoc ipsum esse, quod vivere::: Sapientia verò incommutabilitèr vivit, quia non ex accidenti, sed essentialitèr vivit.* Idem passim docent tàm isti, quàm cæteri PP.: ergo intelligere, & velle per intellectionem,

& volitionem realitèr indistinctam est proprium solius Dei: ergo &c,

Prob. denique; quæ realitèr separantur, realitèr distinguuntur; sed anima potest separari ab intellectione, & amore: ergo realitèr ab ipsis distinguitur. Probat. min. nullus dubitare potest, nos viatores carere nunc visione beatifica, & amore fruitivo Dei: ergo actus isti nunc sunt ab anima separati: ergo &c. Confirmatur; actus isti juxta omnes Theologos sunt supernaturales, qualitatesque animæ nostræ perfectionem attribuentes, qua nunc in via caret: ergo.

Objic. 1.° Deus vivit per actus à se realitèr indistinctos: ergo etiam anima nostra. Prob. conseq. Vel conceptus vitæ dicit vivere per actus distinctos, vel indistinctos? Si primum, Deo convenire non potest: ergo. Secundò, vita animæ debet esse ipsa anima; sed operationes animæ vita ipsius sunt: ergo debent esse ipsa anima: ergo sunt ab ipsa realitèr indistinctæ. Tertiò, si operationes animæ sunt ab illa distinctę, certè erunt accidentia spiritualia: ergo aut sunt corruptibilia, aut non? Non primum; quia anima, & Angeli ideò sunt incorruptibiles, quia sunt spirituales. Non secundum; aliàs anihilarentur; sed non ab anima: ergo à Deo solo; ac proindè ab eo solo producerentur per creationem; quod est absurdum: ergo &c.

Resp. ad primum: Deum vivere per actus indistinctos, quia est omninò simplex, & immutabilis; quod creaturæ convenire non potest, quæ composita, & mutabilis est. Nec conceptus vitæ ut sic dicit vivere per actus indistinctos, nec distinctos; sed convenit illi ratione differentiarum Dei, vel creaturæ. Ad secundum concedimus, quod vita animæ in actu primo debet esse ipsa anima, sed non vita animæ in actu secundo, quæ sunt operationes realitèr ab ipsa distinctæ. Ad tertium dicimus, actus illos destrui posse naturalitèr, non per veram corruptionem, quia ista supponit alterationem, & partium compositionem; tamen naturalitèr possunt desinere; quia licèt sint spirituales, sicut anima, & Angeli; at habent

es-

esse dependentèr à subjecto, utpotè accidentia: undè nec dicuntur creari, quia ex sui naturali conditione fiunt in subjecto; nec etiam anihilari, quia in subjecto desinunt, permanente subjecto: quod de anima, & Angelis verificari non potest.

QUÆSTIO QUINTA.

Utrùm ideæ animæ rationalis sint ingenitæ, vel adventitiæ, & factitiæ?

Idea certè aliud non est, nisi *imago rei, quæ cognoscitur. Clara* tunc est, quando apertè rem manifestat; si secùs obscura erit. *Distincta* appellatur, cum rem unam ab altera secernit. *Perfecta* verò tunc erit, quando quidquid in re est expressè representat. Putat autem Cartesius, & Recentiores penè omnes ideas rerum nobis esse à Deo ingenitas, quibus Deum, Animam, essentias, & generalia axiomata percipimus; nam singularium ideas adventitias, vel factitias esse, & ipsi RR. fatentur. At tamen Gassendus oppositam tuetur sententiam, & Cartesii opinionem refellit. Peripatetici tamen nullas ideas ingenitas agnoscunt, atque cum Arist. affirmant: *Nihil esse in intellectu, quin priùs fuerit in sensu*; vel immediatè, & per se, vel mediatè, & per aliud. Undè sensuum functione peracta intellectus sibi efformat ideas, quæ dicuntur *adventitiæ*; & una accepta, alias sibi efformat priori similes, quas appellamus factitias. His suppositis.

Dicimus, nullam in nobis esse ideam ingenitam, sed omnes adventitias esse, vel factitias. Ita Arist. lib. 1. Poster. & Scotus ibid. Quæst. 1. &c. Prob. assertio nostra, quæ ex illarum genere est, quas negantes dicimus. Nulla ratio sufficiens, nulla experientia demonstrat, rerum ideas esse nobis ingenitas. Immò verò scientia experimentali manifestum fit, nihil nos concipere, nisi sub specie aliqua, quam Phantasia suppeditet. Eorum quoque omnium, quæ nullatenùs nostris sensibus percipimus,

nul-

nullam ideam habemus. Hinc ille, qui cæcus est à nativitate sua, nullam ideam colorum habet. Neque enim RR. poterunt nobis id demonstrare; ut solutione argumentorum patebit: ergo.

Confirmatur; nulla potest assignari idea à RR. quæ non sit in nobis ex sensibilibus deducta: ergo. Prob. ant. percurrendo præcipuas ideas, quibus ipsi gloriantur. Nam idea Dei per creaturas habetur: *A magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibilitèr poterit creator horum videri*; ajebat Sapiens cap. 13. & Paulus ad Rom. cap. 1. scribit: *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Item idea Angelorum, & Animæ rationalis, quæ confussa est in nobis, adhuc via sensuum acquiritur; ait enim S. Gregor. Nazianzenus orat. 2. de Theologia; *Sempèr nostrum aliquid intervenire, dum spiritualia nitimur cogitare.* Essentias etiam, substantiasque rerum mediis accidentibus sensibilibus confussè cognoscimus: idemque est dicendum de aliis: ergo.

Objicies cum Cartesio: Primò: idea Dei longè perfectior est quam mens nostra, cæteraque entia sensibilia; idem valet de idea substantiæ: ergo hæc ideæ nec à nobis fiunt, nec à sensibilibus hauriuntur; atque ideò sunt ingenitæ. Secundò: sensus non possunt producere, nisi species sensibiles, scilicèt, coloratas, sapidas, sonoras: ergo species intellectuales non oriuntur à sensibus; sed neque ab intellectu. Nam iste, antequam species efformet, vel cognoscit rem representatam per species, aut non? Si primum: ergo jam habet rerum species, antequam eas efformet. Secundum dici non potest; nequit enim intellectus rerum illarum in se ipso species effingere, quas non cognoscit: ergo species sunt innatę.

Resp. ad primum: dist. antec. idea Dei clara, & distincta perfectior est &c. transeat antec. idea Dei confussa, & obscura, neg. antec. & conseq. Falsò enim supponit argumentum, nos nunc ideam claram, & distinctam de Deo habere, quod nos tamdiu negabimus, usque dum à Cartesianis demonstretur. Solùm ergo pro nunc ideam Dei habemus confussam ex sensibilibus derivatam.

Ad

Ad secundum dicimus, neque solos sensus, neque solum intellectum ideas efformare, sed utrumque concurrere, modo in Animastica explicando. Nec ad hoc ut intellectus ideam efformet; requiritur, quod rem cognoscat, seù habeat ideam illius; quippè non agit arte, sed natura; ipsa autem idea non est necessaria agenti naturali, sed artificiali.

Undè tamen hic dicere oportet, quod crasiùs erraverunt, locutique sunt falsa, & absurda tàm P. Mallebranche, quàm Purchotius, dum docuerunt ideas mentis nostræ nil aliud esse, nisi ipsam Divinam Essentiam, quæ mentibus nostris intimè conjuncta, ita easdem illustrat, ut in ipsa, veluti in speculo res, & objecta quælibet exhibeat, ac representet. Hæc opinio falsa est, & absurda, tùm quia nulla sufficienti ratione asseritur, tùm quia per hanc intimam unionem cum Divina Essentia, vel ipsam clarè, & distinctè cognoscimus, vel solùm confussè, & obscurè? Si primum: beati jam sumus; quod est absurdum, Fideique contrarium. Si secundum: ergo pro nunc adhuc non habemus claram, distinctamque ideam de Deo, quod est contra adversarios. Et licèt, isti glorientur pro hac opinione citantes Div. Thom. 1. part. Quæst. 12. artic. 2. & S. Aug. lib. 83. Quæst. 54. Sed sinè ratione gloriantur; nam D. Thomas loco cit. loquitur de visione beatifica; & S. Aug. loco etiam cit. solùm concedit unionem intentionalem, seù per species inter intellectum nostrum, & Deum.

An verò S. Aug. ideas rerum ingenitas aprobaverit? Implexa videri poterit quæstio. Sed nobis negativa arridet sententia. Nam licèt concedamus, S. Doctorem aliquando talem aprobasse sententiam; tamen illam retractat in lib. 1. Retractationum, cap. 4. ubi ait: *Dixi, quod in disciplinis liberalibus eruditi, sinè dubio in se illas oblivione obrutas eruunt discendo, & quodammodo refodiunt. Sed hoc improbo.* Atque hinc plura ejusdem S. Doctoris testimonia interpretari possumus, quæ videantur ideas ingenitas concedere. Possemus tamen plura alia D. Aug. adducere testimonia, quæ modum cognoscendi à Peri-

ripateticis concessum, statuunt; sed ipsa relinquimus apud Ferrari, ceterosque AA. videnda.

QUÆSTIO SEXTA.

Utrùm habitus supernaturales animæ rationalis sint aliquid realitèr ab ipsa distinctum, & in ea receptum?

Habitus nomine permanentem qualitatem aliquam intelligimus, quæ disponat potentias animę ad operandum. Habituum aliqui sunt supernaturales, & à Deo creati, & infussi, ut Fides, Spes, Charitas, sivè Gratia habitualis, & Lumen gloriæ; alii verò sunt naturales, & à nobis ex frequenti actuum repetitione acquisiti, ut scientia, & cætera hujusmodi. Illi necessarii sunt ad simpliciter, absolutèque operandum; isti verò solùm ad faciliùs, ut jam diximus. Hic de supernaturalibus loquimur, & inquirimus, an Catholici Philosophi teneantur fateri, ejusmodi habitus esse entitates quasdam realitèr ab ipsa anima distinctas, eique superadditas, & inhærentes, qualitatum instar? Negant RR. Philosophi, affirmant autem Peripatetici omnes; nosque cum istis

Dicimus, habitus supernaturales esse entitates quasdam spirituales, ab anima nostra realitèr distinctas, & in ea receptas, seù illi inhærentes, ideòque esse qualitates: id verò præsertim de Gratia habituali affirmamus. Ita fert communis Theologorum sententia. Prob. Conc. Tridentinum Sess. 6. de Justificatione, cap. 7. inquit: *Unica formalis caussa* (nostræ justificationis) *est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua videlicèt ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam::: Per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret: undè in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem.*

Et

Et Cannone rr. ait: *Si quis dixerit, homines justificari, vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclussa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificamur esse tantùm favorem Dei, anathema sit.* Nunc sic; sed quod tamquam causa formalis se habet, quod nobis à Deo donatur, quod in nobis recipitur, quod diffunditur in cordibus nostris, quod nobis inhæret, quod inffunditur, quod non est tantùm favor Dei; id utique est quidpiam à Deo, & à nobis realitèr distinctum, & in anima nostra intrinsecè receptum, atque illi superadditum: ergo gratia, seù charitas, de qua prædicta omnia verificantur, est entitas quædam addita animæ rationali, & ab ea realitèr distincta, velut à suo subjecto, in quo recipitur, & cui inhæret.

Resp. RR. Philosophi allatas definitiones facile exponi posse absque omni entitate accidentali superaddita per solam passionem indistinctam *realitèr entitativè* ab anima, correspondentem actioni Divinæ, quæ realitèr est indistincta ab ipso Deo. Gratia ergo præ se fert actionem ex parte Dei santificantis, & passionem ex parte animæ santificatæ, & justificatæ. Sed sicut actio illa non est entitas Deo superaddita, ita nec passio in anima. Concil. autem Tridentinum de Gratia loquitur, & eamdem ab anima distinguit secundum nostrum concipiendi modum, & hoc sensu dicunt eam receptam, infussam, diffussam, quatenùs ex nostro concipiendi modo, velut entitas superaddita spectatur. Quod idem de actione Dei dicere possumus.

Contra primò: Si gratia in anima solam dicit passionem similem actioni Dei, quemadmodum hæc solam dicit in Deo denominationem extrinsecam justificantis, ita, & gratia solam dicet denominationem extrinsecam in anima justificata; sed hoc repugnat Concilio Tridentino: ergo. Prob. min. Favor Dei extrinsecus aliud non est, nisi extrinseca quædam denominatio; sed repugnat Concilio, asserere gratiam solum esse favorem Dei extrin-

trinsecum: ergo, & afirmare, gratiam solùm dicere extrinsecam denominationem. Secundò: Si quis afirmaret, actionem Dei santificantis in Deo *recipi*, *diffundi*, & *inhærere*, is ineptissimè loqueretur: ergo si passio animæ santificatæ est omninò similis actioni Dei, Trident. PP. ineptissimè locuti sunt, dicentes, gratiam in anima *recipi*, *diffundi*, *inhærere*; sed hoc est absurdum: ergo.

Tertiò: Ecclesiæ definitiones intelligendæ sunt in sensu contradicente hæreticorum opinionibus; sed Luterani, & Calvinistæ, quos perstrinxit Tridentinum, errabant, dicendo, gratiam non esse quidpiam à Deo intùs animæ nostræ infussum, & ab ipso Deo, & ab anima distinctum: ergo Tridentinum afirmat, gratiam esse quidpiam à Deo, & ab anima nostra distinctum, atque ipsi intrinsecè communicatum. Rursùs; Conciliorum verba intelligenda sunt juxta sensum tunc temporis communem, quem ex communi usu hominum, præcipuè sapientum verba significabant; sed illa verba, *caussam esse formalem*, *donari*, *recipi*, *diffundi*, *inhærere*, *inffundi*, sempèr, & maximè tunc temporis, apud Philosophos omnes, & Theologos, apud Legisperitos, & Grammaticos etiam, significabant quidpiam distinctum à donante, & recipiente; quidpiam reale, intùs communicatum; præcipuè illud, *inhærere*, entitatem quamdam accidentalem significabat: ergo gratiam habitualem esse hujusmodi, Tridentini PP. docuerunt.

Idem dicendum de Fide, de Spe, & similibus. De Charactere etiam idem infertur ex Trident. Sess. 7. Can. 9. dicente: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo, scilicèt, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, undè ea iterari non possunt; anathema sit.* Deniquè, omnem doctrinam suprà traditam, præcipuè de Gratia, sempèr tenuit, ac tenet Ecclesia cum omnibus Veteribus PP. ac DD. suis, nullo excepto, qui interiorem gratiam à Deo, & ab anima distinctam excludat; immò multifariam, multisque modis eamdem sententiam confirmant: ergo &c.

Objic. 1.° Andreas Vega, in sessionem sextam Concilii Tridentini, lib. 7. cap. 24. testatur, Concilium definisse quidem, charitatem diffundi in cordibus nostris, & illis inhærere; non tamen sub nomine habituum. Dominicus Soto, lib. 2. de Natur. & grat. cap. 19. scribit: *non esse contra fidem negare gratiam inhærentem.* Melchior Canus, lib. 7. de locis Theologicis, cap. 2. inter quæstiones in Scholis salva fide controversas hanc reponit: *An gratia, qua justificamur, sit quædam qualitas animo impressa.* Hi porrò Theologi Concilio Tridentino interfuere. Idem quoque alii testantur. Celebris est etiam apud eruditos Theologos sententia Dionysii Patavii lib. 8. de Trin. cap. 4. docentis, ipsam substantiam Spiritus S. ad justos, & adoptivos Dei filios efficiendos divinitùs infundi, adeò ut substantialis sit Spiritus S. conjunctio cum justorum animis. Quod idem videtur docuisse Petrus Lombardus Magister Sententiarum in 2. dist. 7.: igitur ex Fidei dogmatibus non probatur, gratiam santificantem esse qualitatem in sensu Peripatetico.

Resp. Nos numquam docuisse, Fidei dogmatibus esse apertè sancitum habitus supernaturales esse qualitates in sensu Peripatetico; illud unicè constituimus fide teneri, gratiam santificantem esse aliquid à Deo, & ab anima nostra distinctum, illique superadditum. Sed an hoc superadditum debeat vocari qualitas, vel habitus, Philosophi disputant; communis tamen usus, quem nos sequimur, illum appellat qualitatem, & habitum. Hinc cit. Dominicus Soto asserit, reverà temerarium esse negare gratiam hanc inhærentem per modum qualitatis, & addit: *Tridentina Sinodus anathema eum censet, qui inhærentem justitiam non confiteatur. Et ideò, quidquid sit de habitibus, hæreticus ex hinc habendus est, qui justitiam inhærentem negaverit.*

De Melchiore videtur incertum, utrùm ille de præsenti, an de aliis loquatur quæstionibus. Ait enim: *An gratia, qua justificamur qualitas quædam sit animo impressa, quæ ipsi præstet, & esse, & vivere, undè qualitates aliæ consequantur, &c.* Undè patet, illum potiùs lo-

loqui de illa quæstione inter Thomistas, & Scotistas controversa, utrùm gratia habitualis det simul esse, & operari, atque aliarum sit virtutum radix; an verò hæc duo posteriora sint charitati adscribenda, tamquam habitui realitèr à gratia distincto. Nam quod gratia sit qualitas inter Scholasticos non dubitatur. Patavius tamen non negat gratiam intrinsecam à nobis, & à Spiritu S. distinctam, & nobis inhærentem, ut ipse testatur cap. 6. ubi hoc probat nonnullis Veterum testimoniis. Animadvertît etiam S. D. in 1. dist. 17. Quæst. 2. art. 5. Magist. Sent. non negasse internam justitiam, & charitatem, quamquam dixerit Spiritum S. esse charitatem, undè in 2. dist. 17. agnoscit: *Adultis dari gratiam operantem, & cooperantem*; & ibidem docet, *virtutem esse qualitatem, quæ in anima est, tamquam forma; & gratiam esse virtutem nobis à Deo infussam.*

Objic. 2.° S. Aug. in lib. de Natur. & grat. Serm. 18. in Psalm. 118. ait: *Deus per se ipsum, quia lux est, illuminat pias mentes*: ergo gratia est ipse Deus pias mentes illuminans. Tertiò: Magnum justificationis opus nequit alicui attribui creaturæ, sed soli Creatori: ergo non gratiæ, sed Deo debet attribui. Patet. antec. Nam ex hoc probant PP. contra Macedonianos Divinitatem Spiritus S., quia animas santificat, charitatem illis inspirando: ergo &c. Resp. ad secundum, Aug. loqui de gratia actuali, de qua hic non disputamus: tamen negamus, Deum per se ipsum, utpotè per caussam formalem, illuminare, sed solùm facere in genere causę efficientis. Ad tertium denique concedimus, nullam creaturam posse esse caussam efficientem nostræ justificationis, hoc enim pertinet Creatori; cæterùm caussa formalis est gratia, non caussa formalis physica, sed moralis, ut dicemus in Theologia. Sufficiantque jam dicta de tota Metaphysica; propterèaque sit

PHILOSOPHIÆ PARS TERTIA,

SIVÉ ETHICA.

PRÆLUDIUM.

Ethica aptissimè describi potest: *Scientia practica, quæ circa actiones humanas, ut ad honestatem dirigendas occupatur. Scientia* dicitur, quia plures complectitur cognitiones certas, & evidentes; *practica* verò, quia ad bonum morale refertur. Et, licèt, certum sit, omnes nostras operationes à Religione regulari Christiana; tamen naturali lumine plurima apparent præcepta honestatis, justitiæque naturalis, quæ omnibus ostendunt, quid bonum, amplectendumque sit, quidque malum, ac vitandum. Quia verò, invalescente usu, plura hujus tractatus, vel à Theologis docentur in Theologia, vel à Philosophis in Philosophia, præcipuè in Animastica; ideò nos, ne idem bis repetamus, sola illa hic tangere decrevimus, quæ neque in Theologia, nequè in Philosophia invenimus. Proptereaque sit

DISPUTATIO PRIMA.

De Bono, & Malo.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Bonum, & Malum?

Moralis Scientia Bonum considerat, non quatenùs in se quid perfectum est, quomodo pertinet ad Metaphysicam; sed quatenùs ad nos refertur, & bonos efficit mores nostros, atque ita describitur: *Perfectio, quę conveniens est*: quæ, videlicèt, naturæ nostræ accommodata

est.

est. Bonum ergo, aliud est per essentiam, ut Deus, qui omnium bonorum origo est, & finis; & aliud per participationem, quod in rebus creatis apparet, finitum tamen, & à Deo derivatum. Istud verò aliud est corporis, ut sanitas, robur, pulcritudo; aliud animæ, ut scientia, virtus; aliud fortunæ, ut prædium, pæcunia, &c. Quæ omnia appetunt homines, vel quia utilia sunt, vel quia jucunda, vel quia honesta. Undè celebris est divisio boni in honestum, jucundum, & utile. Honestum est, quod rectæ rationis regulis convenit, & ideò vi sua, & per se est appetendum. Jucundum est, quod nos delectat. Utile tamen est, quod non ratione sui, sed propter aliud expetimus; ut amara potio utilis est ad sanitatem recuperandam. Una, eademque res potest simùl esse honesta, utilis, & jucunda.

Jam verò utile, & jucundum inter bona cum Peripateticis numeramus contra Stoicos, qui hæc non bona, sed *præposita*, esse dixerunt; id est, contrariis anteponenda; in quo est controversia satis de nomine, quam de re. Fatemur autem, solam virtutem per se se esse expetendam; at ea, quæ ad corpus referuntur, dummodo malis actionibus permixta non sint, nobis bona sunt. Nihil tamen utile esse posse, quod non sit honestum Peripatetici defundunt. Nam quod honestum non est, licèt, appareat utile, reverà utile esse non potest; secum enim affert turpitudinem naturæ adversam, mentis sibi consciæ, & tranquillæ jacturam facit, angoresque, & metus animi parit; proindèque non vera, & germana, sed apparens est ejus utilitas.

Bono adversatur Malum, quod, videlicèt, non est naturæ conveniens, sivè rectis regulis adversatur. In rebus physicis Malum nullum esse jam diximus in Metaphysica; proindèque non aliud Malum agnoscimus, nisi Morale. Pythagorici malum dixerunt esse quoddam ens absolutum, undè illud inter Prædicamenta numerabant. Aliis placet, Malum in entitate aliqua reali constituere, etsi eamdem relativam esse tradant, seù esse relationem disconvenientiæ ad regulas rectas. Alii denique ajunt,

Ma-

Malum nil esse aliud, nisi privationem rectitudinis debitæ. Quibus favere videtur S. Dionysius lib. de Divinis Nominibus, cap. 4. dicens: *Malum, imbecillitas, infirmitas, privatio est, & merum nihil.* Et S. Aug. lib. 12. de Civit. Dei, cap. 7. ubi ait: *Nemo quærat efficientem causam malæ voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa effectio, sed defectio.* At utraque hæc opinio est inter Scotistas probabilis.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrùm voluntas nostra possit amare malum sub ratione mali?

Sæpè contingit, malum sub fallaci specie boni homines decipere, eosdemque subinde malum pro bono amplecti. Hinc bonum, ut cum Scoto diximus in Logica, triplex est; *reale*, quod in se, seù ex natura rei bonum est; *apparens*, quod, licèt, in se bonum non sit, tamen sub specie boni objicitur intellectui; & denique *præfixum*, cui voluntas vi sua bonitatem confert. Quæstio præsens malum non respicit sub specie apparenti, seù præfixa boni, sed quatenùs malum est. Sed quia voluntas libera est ad amorem, vel odium, ideò inquirimus, an pro sua libertate possit amare malum, ut malum, aut odisse bonum, ut bonum? Et

Dicimus, voluntatem nostram non posse amare malum sub ratione mali; quemadmodum nec potest odisse bonum, ut bonum. Ita S. D. in 4. dist. 49. Quæst. 10. dicens: *A voluntate excluditur actus volitionis respectu miseriæ, & actus nolitionis respectu beatitudinis, quia miseria non est nata esse objectum actus volitionis, nec beatitudo objectum actus nolitionis. Sicut actus videndi disgregando excluditur à visu respectu nigredinis, quia non est nata esse objectum talis actus. Sic in proposito voluntas non est capax talis actus respectu talis objecti. Dico ergo, quod voluntas sic determinatur ad volendum beatitudinem, & ad nolendum miseriam, quod si eliciat aliquem*

actum

actum circa ista objecta, necessariò, & determinatè elicit actum volendi respectu beatitudinis, & nolendi respectu miseriæ; non tamen absolutè determinatur ad unum actum eliciendum, vel alium. Undè constat S. D. esse nobiscum, licèt, dist. 43. Quæst. 2. dubius, ancepsque in utramque disputet partem. Aliis verò in locis, in quibus oppositum docere videtur, solùm intendit voluntatem posse sibi præfigere ut bonum, quod ab intellectu erat ut malum propositum, & ita ut bonum præstitutum amare.

Probat. nulla potentia potest vagari extra suum objectum; visus enim nil, nisi visibile, aut lumine perfusum potest attingere, & auditus, nil, nisi sonorum potest percipere; sed objectum appetitus, & amoris est appetibile, & bonum: ergo appetitus, & amor nullo modo nisi in bonum tendere possunt: ergo voluntas non potest amare malum, ut malum. Ex quo etiam evincitur, voluntatem nec posse odisse bonum, ut bonum. Nam ajebat S. Aug. cap. 36. Enchiridii: *Miseri autem esse, non volumus, sed neque velle possumus.*

Objicies; voluntas libera est respectu boni, & mali: ergo potest illud odisse, istudque amare; aliàs non gauderet libertate, sed necessariò bonum amaret, & malum odisset. Confirmatur; Dœmones, & perversi odio habent Deum, in quo nulla ratio mali effingi potest. Peccantes ex pura malitia peccatum amant ut malum. Plerique etiam perditissimi homines mortem suis manibus assumunt: ergo. Resp. voluntatem respectu boni gaudere libertate contradictionis, quatenùs illud potest amare, vel non amare: non tamen libertate contrarietatis, quæ diversa respicit objecta formalia, atque per actus specie diversos debet exerceri. Quamobrem etsi non possit odisse bonum, vel amare malum; non ideò necessariò amat bonum, aut necessariò odit malum, cum possit omnem suam actionem circa illa cohibere. Quamquam si velit aliquem actum elicere respectu boni, non nisi amorem habere queat; ut Scotus optimè dicebat: idemque de malo vice versa dici debet.

Ad confirmationem dicimus, Dœmones, & perversos

Deum

Deum non odisse in se, sed in pœnis, seù tormentis, quæ ab ipso patiuntur, & in quibus ratio mali iisdem appareret. Peccantes ex pura malitia in malo aliquod bonum sibi præstituunt, vel ideò malum amant, quia delectationem experiuntur in ipsa actione mala. Nemo enim, ut ait S. Greg. Nissenus in lib. de Opificio hominis, cap. 20. *In vitia proruit, nisi inescatus specie aliqua bonitatis.* Ii tamen, qui sibi mortem asciscunt, eam cupiunt, & amant, quatenùs est finis calamitatum, quibus ipsi urgentur. In quo aliqua boni species à ratione illis ostenditur errante.

QUÆSTIO TERTIA.

Quænam sit naturalis hominis felicitas?

Inter præcipuas Ethicæ partes hæc summa est, ut rerum omnium, hominis præsertim, finem ultimum constituat, qui objectum sit nostræ felicitatis. Finis autem ultimus ait Cicero lib. 2. de Finibus, est *Id, quo omnia, quæ rectè fiunt, referuntur; neque id ipsum usquam refertur.* At in hoc assignando talis est inter Philosophos dissensio, ut meritò dixerit Seneca, lib. de Vit. beata, c. 1. *Vivere omnes beate velle, sed ad pervidendum, quid sit, quod beatam vitam efficiat, caligare.* Imprimis enim Epicurus naturalem hominis felicitatem in corporis voluptate constituit. Et quidem tacemus verba, quibus hanc suam proponit sententiam; nam sunt illa eadem, de quibus ait Apost. *Nec nominentur in vobis.*

Epicuri famam nititur vindicare Gassendus cum aliis RR. dicens, Epicurum hæc dixisse: *Istis quidem verbis; sed quid sentiat, non videtis.* At hæc vana esse commenta declaravit cit. Tullius his verbis: *Ego quid dixerit Epicurus, scio; quid senserit, nescio. Vel enim ita sensit, sicut dixit, vel mentitus est.* Nec Epicuri fama, quę tàm fœda labe adspersa ad nos transmigravit, jam ullo modo ablui, & expurgari potest; nam ideò à SS. Ecclesiæ PP. aliisque Veteribus Christianis Epicurus damnatus fuit.

fuit. Ita S. Ambros. lib. 2. de Oficiis, cap. 2. scribit: *Alii summum bonum voluptatem dixerunt, ut Epicurus.* Et S. Aug. in Psalm. 73. num. 25 appellat *Epicurum delirum Philosophum, vanitatis, non sapientiæ amatorem; quem ipsi etiam Philosophi porcum nominaverunt; qui voluptatem corporis summum bonum dixit, hunc Philosophum porcum nominaverunt voluptantem se in cæno carnali.* Denique S. Clemens Alexandrinus, lib. 1. Stromatum, ait: *Epicurum Principem esse, Auctoremque impietatis.*

Eamdem istam turpem Epicuri opinionem (ait Tullius lib. 3. de Oficiis) sectati sunt Cyrenaici, quorum dux fuit Aristippus Cyrenensis. Impurus etiam Mahometes in turpi sensuum voluptate felicitatem hominis collocasse videtur. Nam in Alcorano de Paradisi deliciis agens, corporeas præsertim voluptates sectatoribus suis pollicetur; licèt animæ immortalitatem fateatur, quam negabat Epicurus, aliique, ex quorum ore hoc impium, & bestiale jactatum fama refert: *Edamus, & bibamus; post mortem nulla voluptas.* Stoici è contrario felicitatem in sola animi virtute sitam esse dicebant, adeò ut hæc se sola contenta sit, & Sapiens possit esse beatus, etiam si maximis vitæ miseriis, doloribus, cruciatibusque urgeatur.

Plato docuit, hominem non assequi felicitatem, nisi post mortem in altera vita; felicitatem verò in Dei possessione constituit. Sed veritatem hanc ex Divinis Scripturis in Philosophiam transtulit Plato; atque idipsum lumine naturali plurimùm probabile esse cognoscimus; quemadmodum de Animæ immortalitate in Metaphysica diximus; si tamen de sola cognitione abstractiva Dei accipiatur: nam visio intuitiva, & beatifica Dei captum naturæ transcendit, indebita nobis est, ac donum Dei omninò gratuitum. Hanc Magistri sui sententiam malè intellectam multis argumentis refutavit Aristot. lib. 1. Ethicor. Putavit enim universale aliquod per prædicationem à Platone propositum fuisse, ut objectum felicitatis; cum ipse Plato Deum intellexerit, qui omne bonum, & bonum universale est.

Nihilominùs, si rem inspiciamus ab hac Magistri sui sententia Arist. non recedit. Nam lib. 1. cap. 10. quosdam ait in hac vita beatos quidem dici, sed non absolutè: *Beatos autem ut homines*: & cap. 11. animas hominum post suam è corpore solutionem superstites esse docet. Beatitudinem verò cap. 7. definit *operationem animæ secundum virtutem in vita undique perfecta*; sed cap. 10. ait, vitam beatam meliorem esse, quam hominis natura ferat. *Non enim*, inquit, *quia homo est, ita vivet*; *sed quia divinum quidam in eo est*; additque, eam esse præmium, quod Deus charissimis suis elargitur. Sæpissimè etiam commendat ingenitum nobis Summi Boni appetitum, qui non nisi ab ente infinito satiari potest. Nos tamen his Arist. principiis ducti

Dicimus, naturalem hominis felicitatem, quæcumque ea sit, imperfecta licèt, nullatenùs consistere in voluptate corporis, aut bonis fortunæ; nec in sola virtute sitam esse; sed in contemplatione veritatis, virtutumque exercitatione, quatenùs id infra explicabimus. Prob. prima pars: Homo, natura duce, occultat, & dissimulat appetitum voluptatis propter verecundiam: ergo corporis voluptas indigna est homine: ergo non solùm non est summum bonum amandum; sed potiùs est malum contemnendum, ac rejiciendum. Tum illa Epicuri sententia virtutes omnes de medio tollit, flagitiisque januam aperit. *Vox itaque pecudum videtur esse, non hominum*; ut optimè notat Tullius paradoxo 1.° ad M. Brutum. Immò verò nec cætera bona fortunæ felicitatem hominis efficiunt. Sunt enim bonis æquè, ac malis communia; ficta sunt, & caduca; nobisque invictis eripiuntur, atque appetitum animi explere nullatenùs possunt: ergo &c.

Prob. secunda pars: Felicitas haberi non potest in statu, qui perturbatus est, atque, natura duce, fugiendus; sed adhuc vera virtus longè sanè diversa à superba Stoicorum ostentatione perturbatur morbis, egestate, doloribus, aliisque vitæ incommodis, quæ omnia mala, natura duce, fugienda esse cognoscimus: ergo naturalis felicitas non continetur solo virtutis splendore, sed animi

si-

simùl, & corporis quietem, ac tranquilitatem complectitur. Quod autem Stoici vitæ incommoda dicant non esse mala, sed rejectanea; id vox est, prætereaque nihil; ut jam diximus in Quæst. 1. Hoc argumento Stoicos refellit S. Aug. in Epist. 155.

Prob. tertia pars: Ex iis omnibus, quæ nos secundum naturam capere possumus, nihil melius, nihil optabilius, nihil homine dignius intelligi potest, quam si præcipuę animi nostri operationes ordinatæ sint, ut intellectus in verum nitatur, quod est naturale ipsius objectum, & voluntas in bonum feratur: rectæque rationi omnia respondeant; & etiam cætera bona jucunda, & utilia, quæ honestati congruunt, homini adsint. Id ipsum suadet innatus hominis appetitus, quo in veritatis acquisitionem contendit.

At cum prima veritas sit D. O. M. infinitèque perfectus, ex his rebus creatis assurgit homo ad illius existentiam cognoscendam, eumque primam omnium caussam, ultimumque subindè finem esse certò evidentèrque intelligit: tum illius essentiam, & perfectiones, quantum lumine potest naturæ, assequitur. Hinc verò recta ratione colligit, totum se Deo debere, eumdemque dignum esse, cui homo amorem, & grates perpetuò rependat, summamque venerationem exhibeat, ejusdemque præcepta cordibus nostris insculpta, observet, & adimpleat; undè virtutum omnium exercitatio ad hominis naturam maximè pertinere intelligitur. Cum autem cuique constet experientia, animum nostrum in nullo creato bono quiescere posse; idcircò intelligimus, solum Deum esse ultimum finem, summumque bonum, ex quo felicitas nostra oriri potest, & in quod tendere, natura ipsa duce, debemus. Et quia multis argumentis plurimum probabile est, animam hominis esse immortalem, iisdem sanè ducimur, ut post hanc vitam caducam speremus majorem Dei notitiam, ac felicitatem illam, quam in præsenti statu nemo consequi potest.

Hucusque naturalis ratio, Philosophiaque Aristotelica se sola valet attingere naturalem hominis felicitatem,

tem, quam rudem omninò, imperfectamque ultrò fatemur. Nam vera felicitas, & beatitudo, quam *in eo sitam esse*, tenemus, *ut Deum videamus, ejusque pulcritudine perfruamur*, ut ait Cathecismus Roman. part. 1. cap. 13. nobis non innotescit, nisi per Divinæ fidei lumen. Quamobrem quantulacumque naturali felicitate, quàm suprà declaravimus, Philosophus debet in hac vita esse contentus.

Postremò advertimus, Deum constituisse fines rerum omnium, etsi illi magna ex parte nos lateant. Omnia utique ut à Deo originem suam habent, ita ad ipsum re ipsa, & physicè, ultimò referuntur. Sed, & peculiares plurium rerum fines in omnium sunt conspectu: sic novimus concessos animalibus pedes, ut ambulent; aures, ut audiant; oculos, ut videant; contrà ac ineptè senserunt Epicurei, & ex eorum numero Lucretius lib. 4. de rerum natura.

QUÆSTIO QUARTA.

An ex duobus bonis sibi propositis possit voluntas eligere minus bonum, majori relicto?

Cum voluntas nostra sempèr propendeat in bonum, rectè nunc inquirimus, an si ei occurrant duo jucunda bona, quorum alterum appareat majus, & magis delectet, alterum verò minus bonum videatur, minorique delectatione alliciat; voluntas possit quidem alterum eligere, quod sibi placet, nec ex sui natura sit determinata ad majus illud minori præponendum? In qua

Dicimus, voluntatem nostram posse eligere minus bonum majori relicto; etsi fateamur ipsam plerumque amplecti bonum majus præ bono minori. Prob. voluntas nostra ita libera est, ut possitis omnibus requisitis ad operandum, possit pro nutu suo operari, & non operari; amare, & non amare; sed objecti propositio sub ratione boni, sivè majoris, sivè minoris est unum ex necessariis voluntati ad operandum: ergo propositis duobus bonis,

ma-

majori, & minori, poterit voluntas non operari, & non amplecti bonum majus, sivè illud non amare: igitur poterit etiam amplecti bonum minus, relicto majori. Confirmatur; quia bonum majus non determinat voluntatem ad amorem; ipsum autem bonum minus est sufficiens objectum amoris, quia bonum est; nec desinit esse bonum, licèt constituatur in conspectu boni majoris; nam sempèr habet propriam rationem bonitatis, quæ menti proponitur: ergo.

Neque dicas, hinc quidèm evinci, voluntatem posse physicè, & absolutè loquendo, amplecti bonum minus, derelicto majori; non tamen moralitèr, quia habet necessitatem moralem amplectendi sempèr bonum majus, relicto minori. Nam contra est; quia propositis duobus bonis majori, & minori, vel voluntas potest amare, & non amare majus bonum, vel non? Si primum: ergo poterit amare minus bonum, majori relicto. Si secundum: ergo voluntas in tali casu non erit libera; nam positis omnibus requisitis ad operandum, non est in sua potestate operari, & non operari; sed necessitata est ad operandum, quod est absurdum: ergo.

Objic. 1.° Axioma tritum est: *Trahit sua quemque voluptas*; sed in majori bono major est voluptas: ergo, & major tractio: ergo voluntas ob majorem voluptatem sempèr fertur in bonum majus, relicto minori. Patet hoc; quia nullus sanæ mentis è fenestra precipitatur, vel alia similia facit ob suæ exercitium libertatis: ergo. Secundò, minus bonum in conspectu majoris, non bonum, sed malum est: ergo nequit à voluntate eligi. Prob. antec. nam minus bonum præ se fert privationem boni majoris: ergo non bonum, sed malum est: ergo &c. Resp. ad primum, quemquam à sua voluptate trahi non necessariò, & infalibilitèr, sed liberè, sivè quia vult trahi; undè solùm probat, nos sæpè majora eligere bona, sed non sempèr. Nam possumus eligere, vel non eligere. Nec exemplum alatum aliquid probat; quia exercitium libertatis, quod tam grave malum, ut precipitatio è fenestra est, secum affert, non apparet ut bonum, sed ut maximè

mè malum. Ad secundum dicimus, minus bonum in conspectu majoris adhuc suam retinere bonitatem; proindèque à voluntate posse sic amplecti, non ut privatio majoris, sed proùt bonum absolutè est.

DISPUTATIO ULTIMA.

De animi nostri affectibus.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm affectus boni sint, an mali?

Licèt tot in homine possint excitari affectus, ut vix enumerari queant; tamen ad certa quædam suprema capita redduci possunt. Itaquè affectus, seù passiones animi, qui ab appetitu sensitivo dimanant, & de quibus in præsenti loquimur, vel proveniunt ab irascibili, vel à concupiscibili, non quod duplicem facultatem invicèm re ipsa discernamus, sed quod duo sint ejusdem appetitivæ facultatis oficia; concupiscendi, quo in bonum sensibile, ipsiusque acquisitionem tendit; & irascendi, quo malum sensibile refugit, atque illud à se arcet. Affectus autem appetitus concupiscentis sunt Amor, & Odium, seù aversatio; Desiderium, sivè cupiditas, & Fuga; Gaudium, seù voluptas, & Tristitia, sivè molestia. Appetitus irascentis sunt Spes, & Desperatio; Audacia, & Timor; ac demum Ira. Stoici docuerunt, affectus animi natura sua malos esse, & vitiosos, ideòque ex Sapientis animo prorsùs extirpari debere, & evelli. Nos verò

Dicimus cum Arist. omnibusque Peripateticis, affectus per se malos non esse, nisi propter immoderationem; proindèque extirpandos non esse, sed moderandos. Prob. Malum non est quidquid à Deo auctore procedit, & finem habet bonum; sed affectus à Deo auctore procedunt, ut maximè utiles ad corporis conservationem, & ad humani generis societatem tuendam: ergo affectus per se mali non sunt. Prob. min. Affectus in animæ, ac spiri-

tuum

tuum animalium commotione siti, sunt ab imaginatione, externisque objectis excitati, sed quisque experitur, ejusmodi commotionem esse omninò naturalem: ergo. Tum Deus appetitum sentientem homini dedit, quo sibi congrua, & vitæ necessaria sequatur, contrariaque refugiat: ergo. Sublata etiam voluptate omni, ac dolore, utilia à noxiis secernere non possumus. Spes instrumentum est jucunditatis acquirendæ. Timor diligentiam fovet. Misericordia alienæ miseriæ succurrit. Plurima quoque præclara facinora, sinè audacia, & virili constantia perfici nequeunt: igitur &c.

Confirmatur 1.° Id per se non est malum, quo virtutes hominis excitantur, & foventur; sed hoc præstant affectus; nam virtutes exercitatione acquiruntur: exercitatio autem sinè appetitus sensitientis motu, spirituumque animalium commotione non habentur: ergo. 2.° Quę regi possunt à ratione, atque ad juxtam honestamque mediocritatem conformari, mala non possunt censeri; sed affectus ratione ut plurimum possunt regi, temperari, & moderari: ad hoc totius Ethicæ summa respicit: ergo &c.

Objic. 1.° Affectus sunt perturbationes, & morbi animi: ergo mali sunt. Secundò affectus non sunt in nostra potestate, nec regi possunt à ratione, ut experientia constat; nam affectus sempèr repugnant rationi: ergo &c. Resp. ad 1. dist. antec. si affectus immoderati sint, & efrenati, concedo: si moderati, & temperati sunt, neg. antec. & conseq. *In disciplina nostra* (ait S. Aug. lib. 9. de Civit. cap. 5.) *non tam quæritur, utrum pius animus irascatur, sed quare irascatur: nec utrum sit tristis, sed unde sit tristis; nec utrum timeat, sed quid timeat. Irasci enim peccanti, ut corrigatur; contristari pro afflicto ut liberetur; timere periclitanti, ne pereat; nescio utrum quisquam sana consideratione reprehendat.* Ad 2. etiam dist. antec. Affectus non sunt in nostra potestate, nec regi possunt à ratione *despoticè*, concedo, *politicè*, neg. ant. & conseq. Itaque ratio non habet despoticam potestatem in affectus, qua ipsos omninò cohibere, ac compesce-

cere possit; sed tantùm iidem sapientèr, atque eos prudenter regit; quomodo Princeps dominetur subditis: ergo &c. Hæcque sufficiant pro nunc de Ethica, cætera autem, quæ hic desunt, videbimus tùm in Animastica, tùm in Theologia. Ideòque sit

PHILOSOPHIÆ PARS QUARTA, SEÚ PHYSICA.

PRÆFATIO.

Physica ritè describitur: *Scientia, quæ contemplatur res naturales, ut naturales, eorumque principia, affectiones, & effectus nititur perscrutari, & expandere.* Et est duplex; Historica, quæ res naturales describit; quod Arist. exhibuit in libris de historia, de partibus, & de generatione animalium: & Æthiologica, quæ rationem effectuum reddit per eorum caussas, quas demonstrat: & hanc complexus est Arist. in libris, qui in Scholis explicari solent. Hujus autem objectum id omne est, quod naturæ rationem habet, undè mutationi, seù motui obnoxium est. Undè in tota sua latitudine sumpta, non solùm corpus naturale, sed ipsa substantia finita naturalis, ut docet Scotus lib. 6. Metaph. Quæst. 1. est ejus adæquatum objectum. Nam etiam Angeli mutationibus sunt obnoxii.

At cum Angelorum existentia, & essentia colligatur sola ratione, & nil sensibile præseferat; ideò præcipuum hujus facultatis objectum est corpus naturale; quod solum Arist. contemplatus est, quoniam Angelos immobiles esse judicavit. Ratio autem naturæ est objectum formale ipsius Physicæ; nam omne id mutationi subest, quod habet in se principium motus, & quietis, cujusmodi est natura, ut infrà declarabimus. Physica de prædicto objecto plures cognitiones habet certas, necessarias,

& evidentes; proindè Scientia est: & quidem Theorica, seù speculativa; quia sistit in contemplatione sui objecti, nec ulteriùs dirigit praxim, quæ ex dictis in Logica apparent.

Pluribus experimentis Physica veritatem invenire contendit, & eamdem persæpè re ipsa consequitur; undè *Scientia Experimentalis* appellatur. Sed adhuc experimentis cautè uti debemus, seù posteaquam ratione illa probemus: nam experientia sinè ratione, ut navis est sinè rectore. Physicæ autem utilitatem, & necessitatem, & DD. fatentur, & experientia constat. Sed an Mathematica, & Geometria sint necessariæ ad Physicam? Negat noster Ferrari; etenim nullam potest Mathesis caussam phænomeni cujusque ostendere; solum in genere redarguitivo evincere potest, non illud esse caussam effectus, quod ut caussa venditatur, sed quæ sit caussa non potest mathesis aperire. Nam ejus objectum non est nisi à rebus abstractum; immò extensionem, non rem extensam contemplatur, &, ut ait Arist. lib. 3. Metaph. *Sensibiles lineæ non sunt tales, quales Geometria dicit.* Est adeò nostra sententia Mathesim non esse scientiam realem, si formalitèr accipiatur. Undè Plato 7. de Repub. ajebat: *Mathematici circa rerum naturam, & quantitatem quodammodo somniant.*

Geometrica igitur facultas licèt ingeniis exercendis plurimum valeat, non ideò necessaria est ad Physicam. Instituit certè adolescentes, ut discant veritati acquiescere, nec nisi solido rationis fundamento disputare. Proindè Veteres Philosophi, & præcipuè Pythagoras, ea instructos auditores suos exposcebat; quia tunc adhuc erat inculta Logica, qua instructi nostri tyrones non indigent Geometria. Physicam denique in tres partes secabimus, ut prior de rerum natura universim disserat, secunda de corporibus agat vita expertibus, tertia corpus animatum contempletur.

PHYSICÆ PARS PRIMA,

SEÚ PHYSICA GENERALIS.

DISPUTATIO PRIMA.

De principiis corporis naturalis.

QUÆSTIO PRIMA.

Quænam sint prima physica principia corporis naturalis?

Physica prima corporis naturalis principia, ait Philosophus, 1. Physic. summa 3. cap. 1. *Ea sunt, quæ neque ex se se mutuo, neque ex aliis, sed ex ipsis omnia esse oportet.* Ex ipsis nempè corpus naturale, velut ex partibus intrinsecis componi intelligimus; & cum principia prima quæramus, evidens est, eadem ex aliis constare non posse, neque ex se ipsis componi, aliàs non haberent rationem primi principii. Principia autem alia sunt *Compositi in fieri*, alia *in facto esse*. Compositum *in fieri* tria habet principia, sinè quibus ejus effectio dari nequit, suntque, Materia, forma, & privatio. Nam ad effectionem corporis naturalis, seù ad rerum mutationem, necessarium est subjectum, quod mutetur, sivè materia; id, quod de novo accipitur, seù forma; & oportet etiam concipere, ipsum subjectum à privatione formæ ad ipsam recipiendam transire: undè mutatio definitur; *transitus de non esse ad esse*. Quare Materia, forma, & privatio necessariò in mutatione intelliguntur.

Compositum autem *in facto esse* omnium Philosophorum consensu duo tantùm habet principia, quæ illud componunt, materiam scilicèt, & formam. Sicut enim in artefactis materia primùm habetur, quæ à figura determinatur; ita in naturæ operibus primò extat subjectum, seù materia, quę ad hanc, vel illam rerum speciem

de-

determinetur à forma, quæ determinationem materiæ prestat. Omnes etiam Philosophi duo hęc principia approbant, etsi in eorum explicandis essentiis diferant. Peripatetici arbitrantur, materiam, & formam esse entitates substantiales absolutas, ita ut sint duæ res realitèr distinctæ, incompletæ tamen; undè invicèm ordinantur, ut determinabile, seù perfectibile, & determinativum, seù perfectivum.

Materiam itaque describit Arist. lib. 1. Physic. prope finem: *Dico materiam subjectum uniuscujusque, ex quo fit aliquid, cum insit, non secundùm accidens: & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum.* De eadem inquit lib. 7. Metaph. text. 8. *Per se ipsam neque quid, neque quale, neque quantum, nec aliud quidpiam dicitur eorum, quibus determinatur ens; sed est quid, de quo singula eorum prædicantur.* Quibus ostendit Philosophus, materiam ex se nullam speciem, seù formam habere, nec ad ullum ordinem completi entis pertinere, sed esse ens incompletum, omniumque subjectum formarum. Ideòque sic definiri potest ex S. D. in 2. dist. 12. Quæst. 1. *Est substantia materialis incompleta, & imperfecta, subjectum primum omnium formarum, & mutationum, ac pars essentialis compositi substantialis per modum per se potentiæ.*

Neque verò hæc materiæ explicatio imperceptibilis est, aut Arabum commentum, ut RR. contendunt. Ipsam etiam tradunt Cicero, & S. August. qui ante Arabes extiterunt. Nam Cicero lib. 1. Academ. QQ. de antiquissimis Peripateticis disserens, de materia ita eos sentire tradit: *Subjectum putant sinè ulla specie, atque carentem omni alia qualitate... materiam quandam, ex qua omnia expressa, atque effecta sint: quæ tota omnia accipere possit, omnibusque modis mutare, atque ex omni parte; eoque etiam interire, non in nihilum.* S. August. verò materiam ita describit: *Materia in corporum mutabilitate utcumque cognoscitur, nam per se ipsam nec sentire, nec intelligi potest;* lib. 20. contra Faustum, cap. 14. *Non est aliquid, non color, non figura, non corpus, non spiritus;*

non

non tamen omninò nihil; sed solùm quædàm informitas sinè ulla specie; lib. 12. Confessionum, cap. 3. *Materia est mutabilitas rerum mutabilium, capax formarum omnium, in quam mutantur res mutabiles.* Aliisque in locis ait, materiam ab antiquis dictam fuisse Hyle, à Poëtis *Caos*, à S. Scriptura *materiam*, *informem*, *profunditatem*, *tenebras*, *abyssum*, & tandem illius esse, parùm distare à non esse: eamdem igitur ideam Materiæ habuerunt Cicero, & S. Aug. quam nos exhibuimus.

Quid autem sit forma substantialis explicavit Arist. lib. 2. Physic. dicens: *Forma est, quod quid erat esse rei*, quæ verba obscura sunt, faciuntque hunc sensum: *Forma est illa pars essentiæ rei, qua res constituitur in determinato specierum ordine*; undè communitèr definitur: *Forma substantialis est actus primarius materiæ unum per se cum ipsa constituere natus.* Quod ut clariùs percipiatur, animadvertere oportet, formam esse duplicem; aliam substantialem, quam explicavimus, quæque est in subjecto per informationem, unum per se cum illo constituit, ipsique tribuit esse specificum; & alteram accidentalem, quæ advenit rei in esse physico specifico completæ, estque in subjecto per inhæsionem, ac cum illo constituit unum per accidens; quia ipsi non perfectionem substantialem, sed merè accidentalem tribuit.

Sed essentia formæ substantialis in eo maximè elucet, quia ipsa est radix, finis, & origo formarum omnium accidentalium. Ipsa enim vim habet exigendi, producendi, ac etiam reparandi collectionem accidentium unicuique speciei correspondentium. Undè est caussa immanens, seù intima in composito omnium physicarum proprietatum; ipsa etiam est, quæ partes rei coordinat, ac disponit, ut intimum principium hanc, vel illam partium dispositionem exigens. Et ideò tot, & tàm varii effectus, qui in rebus sensibilibus apparent, oriuntur ex diversitate, & natura formarum substantialium; ut nimirùm uni speciei congruat una partium dispositio, & una accidentium collectio; non verò alteri speciei obvariam formarum substantialium naturam. Proindè for-

ma

ma substantialis sic describitur: *Est perfectio, quæ tribuit materiæ specificam determinationem physicam, & cum illa facit unum specie compositum, & principium est omnium physicarum rei proprietatum.* Forma denique substantialis rerum corporearum materialis est, & corpus, quatenùs ex partibus integrantibus constat.

Quando immutata rei essentia, advenit illi nova accidentalis perfectio, tunc *Alteratio* habetur. At si essentia rei mutetur, ut specie diversum sit compositum, nova forma substantialis producitur, & habetur *Generatio*. Undè *Generatio*, & *Alteratio* non præseferunt solam partium transmutationem. Ipsa autem formæ substantialis productio, seù generatio appellatur *Eductio*, & forma dicitur educi, non creari. Quod infra explicabimus.

Apparet ex dictis notio materiæ, & formæ substantialis, quarum prior perficitur, & determinatur; posterior perficit, ac determinat. Atque ita in Peripatetico Systemate omnia corpora naturalia constant ex materia, & forma substantiali materiali. Cujuslibet autem corporis naturalis minimæ partes integrales, appellantur *minima physica*, quæ variis prædita sunt figuris juxta formarum substantialium varietatem. Sed, & ipsa forma substantialis suum cuique rei motum atribuit; hoc est, vim habet, qua vel totum ipsius, vel illius partes moveri, aut mutari possunt, vel in aliud operari. Hinc verò per motum, figuram, & molem possumus rationem reddere plurium naturalium effectuum, ut infrà patebit. His declaravimus Systema Peripateticum.

Aliorum autem Philosophorum Systemata variam de materia opinionem referunt; sed quo ad formam consentiunt, eamdem non aliud esse, nisi partium materiæ combinationem. Hinc si dispositio partium materiæ ita mutetur, ut non ampliùs ea, quæ prius erat, partium coordinatio permaneat, sed ex toto variata sit, diversa etiam tunc habetur forma, diversumque compositum essentialitèr; & *Generatio* fieri dicitur: sed si dispositio partium non mutetur omninò, ac proindè eadem sensibili-

tas

tas permaneat, tunc dicitur *Alteratio.* Formam adeò *Relativam* constituunt, in ordine videlicèt, & combinatione partium materiæ, quæ combinatio varia est pro diversa corporum naturalium essentia. Hinc formam *Essentialem* appellant, non tamen substantialem, quia non est quidpiam absolutum, & substantiale, ut Peripatetici ajunt; licèt ad essentiam pertineat corporis naturalis, quod per unam, talem, determinatamque partium materiæ dispositionem ab omni alio specificè secernitur.

Nihilominus Leibnitius etsi materiam primam in Monadibus constituat, quæ sint substantiæ simplices, & partibus careant; quod attinet ad formam, Peripateticis adhęret. Etenim in Epist. quadam, data sub die 13 Januarii 1716, scribit: *Substantia composita continet aliquid substantiale præter Monades, alioqui nulla dabitur substantia composita... & hoc me prorsùs cum Scholasticis sentire arbitror... Mea doctrina de substantia composita videtur esse ipsa doctrina Scholæ Peripateticæ, nisi quod illa Monades non agnovit, sed has addo nullo ipsius doctrinæ detrimento. Aliud discrimen vix invenies, etsi animum intendas.* Idem aliis Epistolis affirmat. Vide memorias Trewoltienses, Mensis Junii 1753. Vol. 1.

Quoad materiam verò, Epicurus ex Veteribus, Gassendus ex RR. aliique *Atomos* docent, esse corporum naturalium materiam, undè *Atomistæ* appellantur. Atomi autem sunt particulæ minimæ, plenæ, sinè vacuo, trinè mensurabiles, sed tamen indivisibiles, mole, seù magnitudine, figura, & pondere, sivè motu prædictæ. Nam inter unam, & alteram atomum extare vacuum putant, locum nempè, privatum omni corpore: quod *disseminatum*, seù interspersum nominant. Moles porrò, figura, & motus sunt in Atomis varii, ac multiplices, undè una atomus majorem, altera minorem magnitudinem obtinet, multiplici motu agitantur, & ex ipsis aliæ sunt rotundę, aliæ quadratę, aliæ triangulares, aliæ hamulorum instar figuratæ. Porrò ex atomis fiunt molecułæ, seù primæ atomorum concretiones, quæ sensibiles

sunt,

sunt, & per diversam atomorum texturam, seù combinationem specie invicèm distinguntur.

Sed hoc Atomistarum Systema ex ipsis eorum corruit principiis. Et imprimis, in ipso duo sunt appertissimè contradicentia: nimirùm Atomos extensas esse, ac figuratas, & tamen partibus carere, & esse indivisibiles. Nam extensum nec intelligi quidem potest sinè partibus, quę extendantur; nec uncinatum aliquod, aut rotundum, aut quadratum, aut angulare concipere possumus sinè partibus, quarum una sit extra aliam, & ab altera realitèr distinguatur.

Deindè vel Atomistæ dicunt, atomos esse ejusdem essentiæ, vel diversæ. Si primum: ergo nullum ex ipsis haberi posset compositum specie ab altero diversum: etiamsi atomi dicantur diverso modo invicèm colligari, & disponi. Sempèr enim una, eademque res ex omnibus atomis prodiret. Quo eodem argumento Epicurus refellebat Heraclitum dicentem omnia ex uno igne componi; ut refert Lucretius lib. 1. Si secundum; inquiremus à quo repetant Atomistæ essentialem atomorum diversitatem, cum partium combinatio in illis non sit, & figura tùm in omnibus aliis rebus accidentalis sit, tùm sinè partibus intelligi non possit: ergo &c.

Denique varia illa, quæ adstruitur atomorum figura, nulla ratione suaderi potest: ergo pro libito conficta est. Prob. antec. Primo: probari non potest ex figura corporum, quæ videntur, quia à toto ad partem non est legitima consequentia in iis, quæ toti sunt accidentalia; sed hujusmodi est figura, vel rotunda, vel quadrata, vel ramosa &c.: ergo. Secundò: nec probari potest atomorum figura ex effectibus, quia effectus fiunt quidem à moleculis, seù concretionibus atomorum, non ab una, vel altera atomo, quia nulla atomus per se operatur: ergo nullo modo probari potest vera atomorum figura, quam Atomistæ adstruunt: ergo Systema ipsorum omninò est rejiciendum.

Nonnulli Philosophi, ut Honoratus Fabri, & Pace, Systema Elementare tuentur, quo nempè quatuor elemeh-

menta, Ignis, Aër, Aqua, & Terra, dicuntur materia corporum naturalium. Id ex Veteribus docuit Empedocles. Alii unum, vel alterum elementum pro materia habuerunt, & inter istos Thales Milesius refertur, id aquæ tribuisse, quam sententiam novissimè suscitavit Helmontius. Formam verò in elementorum varia combinatione constituunt. Sed etiam hoc Systema venit rejiciendum. Quia

Nulla ratio, nulla experientia ostendit, in mixtis corporibus latitare quatuor elementa, vel duo, vel unum illorum: ergo non sunt eorum prima principia. Patet antec. Nam hujus Systematis Patrocinatores vel prima corporum naturalium principia docent esse elementa sensibilia, vel alia, nescio quæ, elementa insensibilia; sed neutro modo sunt in mixtis: ergo &c. Min. probat. Non primò modò, quia elementa sensibilia non extant re ipsa, & secundum suam entitatem, seù, ut dicunt, formalitèr in mixto. Non secundò modò, quia nullus adhuc probavit dari elementa insensibilia in rerum natura: ergo &c. Confirmatur elementa ipsa, quomodocumque sumantur, sunt obnoxia generationi, & corruptioni, ut infrà probabimus: ergo constant ex materia, & forma: ergo nequeunt esse prima corporis naturalis principia.

Chimici, seù Spargirici, ex corporum naturalium resolutione, compositionem ipsorum detegere conati sunt. Quinque ergo substantias, seù principia velut rerum omnium materiam habent, variamque istorum combinationem formam esse docent. Porrò ea quinque principia sunt *Sal*, *Sulphur*, *Mercurius*, *Terra*, & *Aqua*, quæ ex vini analysi ope ignis colligunt. Primò enim elicitur liquor quidem subtilis, penetrans, & inflammabilis, quem *Mercurium* appellant. Deindè educitur humor alius insipidus, qui à communi aqua vix differt, & *Phlegma* dicitur. Vehementiori posteà adhibito igne, quidam viscosus, & inflammabilis, fætens humor extrabitur, quem oleum crasum, seù *Sulfur* appellant. *Sal* demùm separatur ab altera quadam materia, quam *Terram damnatam*,

tam, seù caput mortuum nominant, eo quod ad nullos usus deserviat.

Aliis placet tria tantùm constituere principia, *Terram*, *Mercurium*, & *Phlegma*, seù Aquam. *Terra* dicitur habere rationem materiæ, *Mercurius* formæ, *Phlegma* vim habet utrumque connectendi. Alii duo tantùm principia docent, *Acidum*, & *Alcali*. *Acidum* est corpus sapidum, ita appellatum ex eo sapore, quem in aceto, aliisque aceto similibus experimur. *Alcali* corpus est alio sapore donatum, nempè habet saporem quemdam obtusum; immixtumque acidis liquoribus mitigat illorum saporem. Hinc Sales Alcalici appellantur. Utrumque porrò principium in varias distribuitur species. Nonnulli ea principia tradunt non esse equidèm prima, sed secundaria, ita ut in quolibet corpore re ipsa reperiantur exquisitè permixta, atque vi ignis posteà invicèm separentur. Sed nequè hoc Systema à nobis admittitur.

Primò, quia principia Chymica in simpliciores substantias resolvuntur: ergo non sunt prima rerum principia. Prob. antec. Spiritus vini inflammabilis secundùm magnam sui partem resolvitur in aquam, & salem volatilem; ut testatur Auctor Philosophiæ Burgundicæ. Sic etiam Spiritus acidus, seù non inflammabilis in salem fixum, & aquam arte ipsa Chymica resolvitur. Oleum crassum paritèr in terram, aquam, & salem volatilem abit, qui rursùs in aquam, terram, & oleum magis expurgatum resolvitur. Postremò Tachenius tradit modum solvendi sales ipsos fixos in aquam, & terram: ergo Chymicorum principia resolvuntur in alias simpliciores substantias. Corruptioni etiam obnoxia sunt ea principia; ut experientia indicare videtur: igitur &c.

Secundò, Chymici, ut ingenuè testatur Lemery, sua principia in multis corporibus naturalibus ostendere non potuerunt. Et certè in metallis ea observare hactenùs non licuit. Ex auro etiam, argento, hydrargyro, talco veneto, lapide ossifrago, ostrocula pura, & fusibili arena non possunt elici salia, & sulphura. Quamobrem pro istis alia fortassis principia erunt statuenda; ergo Chy-

mica principia sinè sufficienti ratione dicuntur omnium prima. Animadvertit etiam Franciscus Vandermonde in quadam quæstione Medica, tom. 190. Diarii Eruditorum Transalpinorum, experimenta Chymicorum omninò esse fallacia, nam solanum, & brassica in eadem principia resolvuntur: cum tamen illud sit venenum, hæc verò sit jusculum nobis optimum. Ita Scammonia, si pura est, saporem reddit amygdalæ; sed hæc cibus est, illa verò purgat.

Tertiò, Chymici suas resolutiones potissimùm vi ignis absolvunt; atqui ignis est agens validissimum non solùm ad solvenda, sed etiam ad componenda, & quidèm indissolubilitèr, corpora, quibus applicatur: ut prę cæteris compertum est in vitri efformatione: ergo non satis constat Chymicorum illas substantias per puram divisionem detegi. Fieri siquidèm potest, ut illæ de novo prodeant. Atque in idipsum assumere possumus eam ignis virtutem, qua ad se trahit circunstantes rerum particulas, primùm in aëre hac illac dispersas; ut ostendemus infrà. Ex his probatur etiam, Chymicas substantias nec dici posse principia secundaria rerum.

Cartesius tamen 3. Part. *Principiorum*, num. 45. & seq. & tract. de *Lumine*, cap. 6. docet, essentiam materiæ, seù corporis naturam sitam esse in extensione actuali in longum, latum, & profundum. Nullum subindè Vacuum ne divina quidem virtute possibile esse, tradit, quia nec corpus esse potest sinè extensione, nec extensio ulla sinè corpore. Hinc materiam ipsam, seù Mundum, nec finitam vult esse, nec infinitam; sed eamdem appellat *infinitam*, quatenùs nullis terminis claudi potest, quippè ultra quosvis terminos Mundo præfixos, adhuc Cartesius intelligit spatium extensum, adeòque corpus, & Mundi partem. Est enim ista Cartesii idea clara, & distincta, quæ falsa esse non potest, nisi Deus sit auctor falsitatis; atque adeò extra Cœlos existere indicat verum corpus.

Omnem illam materiam fuisse initio à Deo divisam in particulas quamproximè inter se æquales, & magnitu-

tudine mediocres autumnat Cartesius. Has autem varia figura affectas ait, non tamen ab initio sphęricas fuisse: iisdem verò multos angulos, & multa latera attribuit. Æqualitèr posteà motas fuisse docet, tùm singula circa propria sua centra, & separatim à se mutuo, tùm etiam plures simùl circa alia quædam puncta. Eamdem verò motus quantitatem, quæ fuit ab initio materiæ impressa à Deo, nunc etiam permanere asserit, non quidem in singulis materiæ partibus, sed in tota materia. Porrò ex illa materiæ rotatione, & vehementi motu successu temporis abrasi fuerunt anguli, & particulæ rotundæ prodiere. At quia vacuum non est possibile ramenta quædam minutissima materiæ implevere intervalla relicta inter rotundas illas materiæ particulas: ea verò ramenta maximo motu gaudent, & figuris idoneis constant ad intervalla implenda.

Igitur ex prædicta materiæ rotatione, & collisione partium ipsius, abrasis ob mutuam attritionem angulis, partes aliæ angulares, aliæ rotundæ, aliæ ramosæ, aliæ ovales evaserunt, implentibus interim spatia inter unam, & alteram partem minutissimis ramentis, quæ ex partium collissione velut in farinam abierunt. Hinc tres corpusculorum classes ortas esse dicit Cartesius, quibus varia respondet figura; eaque tria elementa appellat, seù rerum omnium adspectabilium principia: atque eatenùs illa existere probat, quoniam ipsorum ope phænomena naturæ se explicare posse confidit.

Primum elementum est materia subtilissima, sivè Scobs, capax figurarum omnium, & nullius figuræ tenax, gaudens exilitate maxima partium, ac pernicissimo motu; & hæc replet spatiola vacua inter partes materiæ crassioris. Ex hoc primo elemento Solem, & Stellas fixas prodiisse docet Cartesius, illudque in corporibus lucidis, & ignitis maximè dominari. Secundum elementum est materia sphęrica, seù rotunda, atque ex hoc elemento aërem compactum fuisse tradit. Tertium elementum est materia ramosa, cujus partes crassiores sunt, & ramorum instar figuratæ, atque ad motum minùs ac-

co-

comodatæ; & ex hoc Terra, Planetæ, & corpora opaca constare dicuntur. Undè ex tribus his elementis, variorum vorticum ope omnia corpora formata fuisse Cartesius docet. Materiam autem uniusmodi, sivè homogeneam esse tradit, nempè extensionem in longum, latum, & profundum. Partes materiæ varia donat figura, & diverso motu: cujusmodi sunt tria recensita elementa. Ex varia tamen trium elementorum complexione, textura, combinatione formam haberi putat, qua corpora invicèm differunt essentialitèr: affectiones quoque sensibiles rerum à solo motu, figura, & mole deducit.

Cæterùm hoc Cartessianum Systema contradictionem involvit, pluraque continet vero minùs similia. Patet hoc primò: Cartesius docet vacuum esse impossibile; sed ejus Systema necessariò vacuum præsefert: ergo apertissima laborat contradictione. Min. prob. Systema Cartesii tradit materiam, cum primùm una, eademque esset, divisam postea fuisse in plures partes, quarum pleræque angulis præditæ fuerint: exindè partes has motas fuisse singulas circa suum centrum, & circa centrum commune: quo factum fuit, ut abrasis angulis, prodierit Scobs, seù subtilis materia; at divisio ista, & motus ne intelligi quidem possunt sinè vacuo. Quid enim fissuras materiæ primùm divisæ implebat, cum nondùm præstò esset materia subtilis, quæ postea partium jam divisarum agitatione, & rotatione nata est? Quomodò partes materiæ circa suum quæque centrum moveri potuere, cum plena essent omnia? Connisus ille partium, ea colluctatio, mutuus ille attritus ostendunt, vacuum aliquod tunc extare debuisse, ut eadem illa haberentur. Igitur oportet, Cartesium fateri vacuum, quod tamen impossibile esse pronuntiat.

Secundò, Cartesianum Systema tradit, eamdem motus quantitatem, non quidèm in singulis materiæ partibus, sed in ipsa tota materia, nunc etiam perseverare, quantam primò Deus ipsi materiæ impressit; sed hoc est absurdum: ergo. Prob. min. nam si id verum esset, partes secundi, & tertii elementi Cartesiani ejusdem

mo-

motus vi figuras continuò mutarent, ut quæ rotundæ sunt, contundantur, & complanentur; angulossę autem, abrasis angulis, planæ fiant, quemadmodùm primò id contigit in rotundis, & angulossis materiæ partibus; eadem enim actione permanente, idem effectus debet apparere; sed hoc est absurdum: ergo. Prob. min. quia tunc Cœli, qui juxta Cartesium ex globulis secundi elementi constant, Planetæ, & terrestria corpora, quę ex ramosis tertii elementi corporibus fiunt, continuò in dies mutarentur, crescerent, decrescerent, restaurarentur, transponerentur, multiplicarentur ex partium componentium mutatione per motum facta. Atque adeò ex celeberrimo Cartesii systemate induceretur rerum, quæ in mundo sunt, confussio, & ruina, in dispendium ordinis illius mirabilis, & immutabilis, quem à tot sæculis perennem conspicimus: ergo.

Tertiò, ut docet Cartesius Part. 2. Princip. num. 60. quando sola impulsio manus caussa est, cur corpus aliquod moveatur, hoc ipsum non potest celeriùs moveri, quam impellatur; sed Cartesii simùl opinio est, secundum elementum moveri tardiùs primo, & tamen particulas primi elementi celerrimè moveri à secundo elemento: ergo prædictum systema est implicatorium. Deindè compertum est omnibus, figuræ diversitatem plurimùm conferre motui; undè motus plumæ angulis refertæ tardior est motu æqualis materiæ rotundæ; at Cartesius docet, partes secundi elementi figuram haberè rotundam, & partes primi elementi varias subire figuras, rotundas, quadratas, angulossas, &c.: ergo impossibile est partes primi elementi velociùs moveri partibus secundi. Imperceptibile paritèr videtur, materiam primi elementi substantiam esse, & corpus, & tamen nullam sibi propriam vindicare figuram. Deniquè nulla ratio, nulla experientia ostendit tria illa elementa esse prima corporum naturalium principia: ergo non sunt.

Hic denique erat agendum de Systemate Newtoni, & Wolfii; sed de illo pauca dicemus; quia cum Atomistarum systemate coincidit. Nam Newtonus lib. 3.

Op-

Optices, Quæst. 31. primam corporum materiam docet esse particulas quasdam primigenias, solidas, duras, impenetrabiles, mobiles, diversisque figuris præditas; formam verò earum particularum variam texturam, vacuo interjecto, quemadmodum Atomistæ docuerunt. Wolfius, autem in Cosmologia, §. 186. & seq. duplex atomi genus adstruit, atomum nempè naturæ, & atomum materialem. Atomus naturæ dicitur carere partibus, esseque indivisibilis. Atomus materialis, licèt in se sit divisibilis, tamen naturalitèr dividi nequit; quia nulla est caussa in rerum natura, quæ illum dividere queat. Prima tamen rerum naturalium principia Wolfius constituit atomos naturæ, quæ singulæ sint invicèm dissimiles in essentia, cum nec figura, nec magnitudo iisdem conveniat. Nullam verò mutationem in corporibus contingere posse affirmat, nisi quo ad figuram, magnitudinem partium, situm, & locum totius. Sed hoc utrumque Systema ex dictis contra Atomistas rejicitur. Quibus ita explicatis.

Dicimus, Systema Peripateticum de Principiis Physicis admittendum esse, cęterisque præponendum; adeò ut materia prima, & forma substantialis materialis sint duæ substantiæ absolutæ. Et quod ad materiam attinet, consentiunt omnes Philosophi, nihil naturalitèr anihilari, hoc est, ita destrui, ut ne subjectum quidem illius permaneat; nihil etiam creari, id est, secundum omnia sui ex toto produci: sed subjectum sempèr manere quod ab una forma transeat ad aliam. Subjectum etiam istud extensum esse docent omnes; quidquid sit de partibus ejus integrantibus, quas nonnulli indivisibiles, alii divisibiles concedunt. Utrùm verò tale subjectum sit materia juxta sensum Peripateticorum, carens nempè omni forma, seù specie, ex eo est constituendum, quod ad formam pertinet. Nam si forma est distincta à materia, ut substantiale aliquod absolutum, & superadditum, profectò materia ex se se caret omni forma.

Prob. igitur primò, formam substantialem materialem esse absolutum aliquod à materia distinctum; non ve-

verò ipsius materiæ texturam, aut combinationem. Novæ habentur rerum generationes; nam experientia constat, v. gr. lignum in ignem transmutari; sed istæ generationes petunt productionem novæ entitatis substantialis: ergo forma est nova entitas substantialis realitèr distincta à materia. Prob. min. Generationes illæ non habentur ex sola partium materiæ nova combinatione, & textura: ergo petunt productionem novæ entitatis substantialis. Prob. antec. Generatio distinguitur essentialitèr à simplici formatione; sed hoc essentiale discrimen petit veram productionem novæ substantiæ: ergo generationes illæ non habentur ex sola partium materię nova combinatione, & textura. Prob. min. combinatio, seù textura rerum præexistentium non est diversa à simplici formatione, nec ritè dicitur generatio; aliàs quilibet Artifex ex partibus corporis præexistentis diverso modò collocatis statuam componens, aut horologium, dicendus esset statuæ, vel horologii genitor; quæ omnia absurda sunt, & ridicula, ut est evidens: ergo partium textura, cum sitc ommunis simplici formationi, non potest constituere discrimen essentiale ipsius à generatione.

Respondent RR. in simplici formatione non dari omnimodam mutationem partium corporis præexistentis, omniumque ejus proprietatum; sed tantùm partialem, seù unius, vel alterius partis, & affectionis, seù proprietatis, non verò totius collectionis. At in generatione ex toto immutatur dispositio partium materiæ, adeò ut collectio affectionum, seù proprietatum sit omnimodè diversa. Undè Alteratio, & simplex Formatio distinguntur essentialitèr à Generatione, & per eamdem variam collectionem affectionum distinguntur essentialitèr corpora naturalia tàm inter se, quàm ab artefactis.

Sed contra primò: Experientia constat, Argentum vivum, seù Hydrargirum varias exhibere sui species, seù apparientias, quin mutetur essentialitèr; nam in fumum abit, redigitur in pulverem, resolvitur in liquorem limpidissimum, aut etiam crystallizatur; nihilominùs idem postea reddit, frustrato Chymicorum labore. Ita ex Cinna-

nabari, quæ rubri coloris est, ope ignis extrahitur argentum vivum; sed in his casibus tota accidentium collectio penè immutata est, undè argentum vivum tunc non cognoscitur: ergo etiam aderit nova generatio, & distinctio essentialis; quod est contra experientiam. Secundò: Uni, vel alteri accidenti repugnat essentialitèr novam constituere generationem, aut essentiale discrimen: ergo etiam omnium accidentium collectioni id ipsum repugnat; nam in prædicatis essentialibus est optima consequentia à distributivo ad collectivum; ut cum dicimus; uni vel alteri rei inanimatæ repugnat aliquod animatum constituere: ergo omni rei inanimatæ simùl id ipsum repugnat: ergo similitèr in nostro casu.

Prob. 2.° In corporibus naturalibus est principium, radix, seù vis conservativa, & exigitiva determinatæ collectionis accidentium sensibilium; sed hoc principium non est aliud, nisi forma substantialis absoluta, & distincta realitèr ab illa collectione: ergo admitenda est forma substantialis materialis in sensu Peripatetico. Maj. apparet experimentis. Nam aqua calefacta reparat sibi connaturalem frigiditatem: Ignis conservat in se intensionem caloris sibi determinatam: Arbor reparat ramos, & folia; Hydrargyrum, ut diximus, postquam varias inducit formas, propriam sibi reparat dispositionem, seù speciem. Min. prob. Materia certè non est ea vis conservativa, & exigitiva determinatæ collectionis accidentium; nam ipsa est indifferens ad accidens omne, & ad quamlibet accidentium collectionem: nec alteri adscribi potest hæc vis, nisi formæ substantiali: ergo.

Prob. 3.° Si Forma substantialis non est absoluta, sed relativa tantùm, & in sola partium combinatione consistens, ut docent RR., tunc nulla ratio haberetur, cur naturalitèr non possit quodlibet fieri ex quolibet; sed cum certa, & infalibili lege ordo sit quidam formarum, ut una forma sequatur immediatè hanc, & non aliam, ut cinera post ignem habeantur, ignis post lignum, aut stuppam, non è converso: ergo ne illud dicatur admitenda est forma absoluta &c. Probat. antec. nam cum

ex

ex eadem materia ceræ fiat Trianguli figura, vel Circuli, non magis ex Triangulo effici potest Circulus, quam ex Circulo Triangulum. Similitèr quia eædem litteræ componunt duo hæc nomina, *Roma*, *Amor*, vicissim Amor, & Roma possunt converti: ergo si omninò eadem est in corporibus naturalibus substantia, quæ partium sola dispositione discrepat, cur non poterit naturalitèr idem numero redire compositum, aut ex quolibet fieri quodlibet? Dicent fortè RR. legem Dei id ferre; sunt enim hac nostra ætate familiares RR. hujusmodi responsiones. Sed probare eos oportet, quod dicunt.

Prob. deniquè RR. nullam substantiæ differentiam in corporibus admittunt naturalibus, argumento ducto ex artificialibus; sed hæc consequentia est inepta: ergo in ipsa reverà falluntur. Prob. min. nam longè latissimum est discrimen inter naturalia, & artificialia. Naturalia habent in se principium suorum motuum; artificialia moventur ab extrinseco. Naturalia producunt effectus, & in naturalibus species parit speciem; at non ita in artificialibus contingit. Naturalia essentialitèr, & substantialitèr differunt; artificialia non nisi accidentalitèr, ut maleus, & clavus. Natura est substantia agentis; ars est habitus accidentalis: ergo ars longissimè distat à natura; proindèque de arte ad naturam ineptissima est consequentia.

Objic. 1.° Ex Scriptura, & PP. constat nullam substantiam de novo produci: ergo non datur forma substantialis peripatetica. Antec. prob. Ecclesiastici cap. 1. dicitur: *Nihil sub Sole novum: nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est; jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.* Hinc S. Aug. lib. 5. de Genesi ad litteram, cap. 23. de Deo ait: *Undè nullam ulteriùs creaturam instituens, sed ea, quæ omnia simul fecit, administratorio actu gubernans, & movens, sinè cessatione operatur, simul, & requiescens, & operans.* Resp. 1.° Argum. nimis probare: ergo nihil probat. Probat enim animas rationales de novo non produci, cujus oppositum est de fide, ut diximus, & dicemus. Resp. 2.° Nil de novo pro-

duci quo ad genus; non verò quo ad numerum, & entitatem, quo sensu intelligit Ecclesiasticum S. August. lib. 12. de Civ. Dei, cap. 13. & in eodem sensu loquitur in loco ab argumento assignato; undè priùs dixerat: *Novum autem genus Deum instituere, credi rectè non potest, quia tunc* (in mundi principio) *omnia consumavit.*

Objic. 2.° Per solam diversam partium combinationem fiunt composita essentialitèr diversa. Nam ex ferro diversimodè disposito efficiuntur catenæ, malei, enses, horologia, & innumera alia instrumenta essentialitèr diversa. Secundò: Ex varia dispositione particularum Aquæ prodeunt imbres, glacies, nix, crystallus, spuma, sal. Tertiò: Lutum mutat statum sensibilem, & convertitur in lateres, arenulæ in animalibus convertuntur in calculos, Cineres in vitrum absque nova forma. Quarto: Corallium, ut vulgò creditur, dum est immersum in aqua, planta mollis, ac tenera est; ubi extra aquam in aëre consistit, abit in lapidem. Quintò: Arte Chymica ex venenosis salutares medicinæ fiunt, ex amaris dulcia, ex odoriferis fœtida, ex frigidis calida, ex aperitivis constringentia sola mutatione partium sinè nova forma. Sextò: Ex vario ordine lapillorum efficiuntur imagines specie diversæ, quæ vulgò musaicæ dicuntur: ergo eodem modo ratiocinari debemus de omnibus corporibus naturalibus.

Resp. in casibus assignatis nullam dari generationem, proindèque nova non requiritur substantialis forma. Nam maleus, clavus, & cetera exempla artificialia, quæ ex eadem materia constant, essentialitèr non differunt, ut diximus. Secundò: Aqua, Vapores, Imbres, Nives, Glacies, Spuma accidentalitèr, & non essentialitèr differunt, ut infrà patebit. Tertiò: Inter lutum, & lateres non est essentiale discrimen. Arenulæ in Calculos crescunt, dum viscosa materia eas penetrat, invicèmque colligat. Cæterùm hic nova generatio non adest. Idem dicimus de cineribus, ex quibus Vitrum componitur: ut postea declarabimus. Quartò: Iidem RR. docent, Corallium molle, & durum essentialitèr non differre,

nec

nec ibi novam adesse generationem, sed Corallium salilibus durari, quas trahit ex aëre. Quintò: Constat experientia arte Chymica novas non fieri generationes, quandò eædem numero partes reddunt, sed exquisita mixtione atemperari rerum affectiones, earumque activam virtutem. Sextò: Figuræ musaicę non differunt specie, nisi lapilli specie differant; tuncque earum entitas ex pluribus corporibus completis coalescens, dicitur, & est *unum per accidens*: igitur &c.

Objic. 3.° Plura experimenta ostendunt, superfluam esse formam absolutam Peripateticam: ergo non datur. Patet antec. Primò: Dum oleosæ, ac pingues lactis particulæ cum serosis miscuntur, lactis species integra est, sed ubi oleosæ, & pingues à serosis separantur, ac diverso ordine connectuntur, tunc lactis species interit, & fiunt butyrum, caseus, & serum. Secundò: Pulvis pyrius ex sulphure, carbonibus, & sale petræ permixtis conficitur: Vitrum ex arena, & sale fusis: Æs ex cupro, & lapide calaminari simul colliquefactis: Sapo etiam ex sebo, & cinere, aut aliis pinguibus, & salinis particulis. Tertiò: Triticum absque nova forma substantiali convertitur in furfurem, & farinam; farina in massam; massa in panem; panis in chylum, substantiamque comedentis illum. Idem ferè est dicendum de Lino, qui æquales, aut majores habet mutationes; nam priùs est planta; postea redigitur in subtilissima filamenta, candida, flexibilia, & mutuò disjuncta; deindè deservit hominibus in lineis pannis; & deniquè fit ex ipso Charta, quę essentialitèr à lino viridi diversa videtur: igitur &c.

Resp. Prædictas experientias nihil nos ipsos urgere. Non prima, quia serum non est lac, sed liquor quidam, qui simùl cum lacte generatur; diversus tamen à lacte. Hujus autem natura in partibus pinguibus, & oleosis sita est. Caseus autem aliud non est nisi lac addensatum, & nonnullis accidentibus affectum, à seroque separatum. Non secunda, nam pulvis Pyrius, Vitrum, Æs, & Sapo agregata sunt per accidens ex pluribus illis entibus composita. Neque tertia, Triticum enim non distinguitur es-

sen-

sentialitèr neque à furfure, neque à farina; nec farina à pane; & quando iste convertitur in chylum, tunc adest nova generatio, & nova forma Peripatetica. Similitèr omnes illæ mutationes lini non arguunt novam generationem, nec distinctionem essentialem; sed merè accidentalem: igitur nil contra nos.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrùm materia prima ita sit pura potentia, ut nullum omninò actum includat?

Cum potentia, & actus dicantur correlativè; tot modis dicitur actus, quot modis dicitur potentia. Igitur *potentia* triplex est. Prima *metaphysica*, quæ est proprietas naturæ communis genericæ contrahibilis per differentiam specificam; v. gr. animal per rationale, & irrationale. Secunda *subjectiva*, quæ est subjectum, in quo subjectatur actus, seù forma physica; sic paries dicitur esse in potentia subjectiva ad albedinem, lignum ad formam artificialem statuæ. Et tertia tamen *objectiva*, estque illa, quam habent res, antequàm producantur, & realitèr existant, seù in quantùm sunt objectum virtutis, seù potentiæ productivæ; ut modò est Antichristus, & rosa in hyeme; & huic potentiæ correspondet actus entitativus: undè triplex est *actus*, de quo dubitari potest. Primus est *actus metaphysicus*, qui est differentia specifica; *Secundus formalis*, & hæc est forma, seù altera pars compositi naturalis; & *Tertius* deniquè *entitativus*, seù existentia. Quia verò aliqui Thomistæ hunc actum entitativum dividunt in entitativum essentialem, & existentialem; ideò in gratiam ipsorum quæstionem per varias resolvemus conclusiones.

Sed priùs supponimus tamquam certum in utràque Schola, Materiam primam ita esse puram potentiam subjectivam, ut nullum actum physicum formalem includat. Ratio est, quia aliàs materia prima, vel esset composita ex materia, vel esset ipsa forma; quorum utrumque

que est falsum. Et etiam quia tunc materia non esset primum principium rerum naturalium; nam fieret ex alio, quod rationi primi principii repugnat. Quo supposito

Dicimus 1.° Materiam primam includere actum metaphysicum, tamquam partem essentialem metaphysicam sui; atque ita non esse puram potentiam metaphysicam. Ita omnes Scotistæ, & plures Thomistæ contra alios. Prob. Id, quod componitur ex genere, & differentia, habet actum metaphysicum; sed materia prima componitur ex genere, & differentia: ergo. Prob. min. Materia prima includit rationem substantiæ incompletæ, & rationem substantię susceptivæ; sed ratio substantiæ incompletæ est genus, & ratio substantiæ susceptivæ est actus metaphysicus, seù differentia: ergo constat ex genere, & differentia. Prob. min. ratio substantiæ incompletæ prædicatur in quid, & univocè de materia, & forma substantiali; ratio verò partis, seù substantiæ susceptivæ est differentia propria materiæ, aliisque præter ipsam non conveniens: ergo ratio substantiæ est genus, & ratio primi subjecti est differentia.

Dicimus 2.° Materia prima independentèr à forma habet actum entitativum essentiæ. Est communis apud Scotistas, adeòque certa, ut ipsam plures Thomistæ tueantur. Prob. ergo, seù potiùs demonstratur conclusio ex S. D. in 2. dist. 12. Quæst. 1. Materia 1. secundum se considerata, vel est aliquid in rerum natura, vel nihil? Non secundum; quia ex 1. Physicorum est principium rerum in fieri, & subjectum primum omnium mutationum substantialium: & ex 2. Physic. est natura, & est per se caussa intrinseca compositi; & secundum Theologos, est terminus creationis: ergo est ens positivum; & consequentèr erit verum primum, scilicèt, quod est aliquid in rerum natura; sed quod secundum se est aliquid in rerum natura, seù extra caussas, habet actum entitativum essentiæ: ergo &c.

Confirm. 1.° Implicat materiam primam transire à statu potentiæ objectivæ, quin ponatur in statu actualitatis entitativæ; sed egreditur à talli statu independentèr

à forma: ergo independentèr à forma habet actum entitativum. Major patet; nam potentia objectiva tolli non potest, nisi per aliquem actum ipsi correspondentem; sed hic est actus entitativus: ergo. Prob. verò min. materia prima egreditur à potentia objectiva per creationem, & hoc antecedentèr ad formam: ergo ante formam, seù independentèr à forma est actu extra caussas: ergo &c.

Confirm. 2.° Materia prima, utpotè subjectum receptivum formę, prę supponitur aliqualitèr ad ipsam formam; sed non præsupponitur, ut in potentia objectiva, quia tunc est nihil: ergo præsupponitur jam extra potentiam objectivam: modo sic; sed solus actus ponit materiam extra potentiam objectivam: ergo si, ut præsupponitur formæ, est extra potentiam objectivam, etiam ut illi prę supponitur, habebit actum excludentem talem potentiam; sed hic est actus entitativus: ergo materia ante formam habet actum entitativum.

Dicimus 3.° Materiam primam proprium habere actum entitativum existentialem, seù propriam habere existentiam distinctam realitèr ab existentia formæ. Est omnium Scotistarum contra Thomistas; & triplicitèr probari potest, atquè defendi. Primò supponendo essentiam actualem cujuslibet rei identificare secum suam existentiam. Quo sensu facillimè prob. sic; essentia materiæ primæ, & ipsius existentia realitèr identificantur; sed materia prima propriam habet essentiam, distinctam realitèr ab essentia formæ: ergo, & propriam habet existentiam distinctam realitèr ab existentia formæ. Sed quia Thomistæ negant majorem hujus Syllogismi, & ejus probatio differtur ad metaphysicam, ubi tuemur indistinctionem essentiæ ab existentia, ne ad aliam quæstionem divertamur. Ideò

Prob. 2.° Præscindendo ab identitate, & distinctione inter essentiam, & existentiam; illa entitas, quæ pro priori ad aliam intelligitur existens, propriam habet existentiam distinctam realitèr ab existentia alterius; sed materia prima pro priori ad formam intelligitur

exis-

existens: ergo habet propriam existentiam distinctam realitèr ab existentia formæ. Prob. min. Omnis caussa physica intelligitur ex se existens, pro aliquo priori, saltim naturæ, ad suum effectum; sed materia prima est caussa physica formæ materialis; cum educatur de potentia ipsius, ab illa recipiatur, & in ipsa sustentetur: ergo materia prima pro priori ad formam materialem, intelligitur existens. Prob. maj. omnis caussa dat esse effectui, est enim id, à quo, vel ratione cujus effectus existit; sed caussa, non habens pro priori propriam existentiam, non potest existentiam effectui dare; quia nemo dat, quod non habet: ergo omnis caussa physica intelligitur existens antè suum effectum; ac proindè si materia est caussa physica materialis, pro priori ad formam materialem, debet habere propriam existentiam.

Prob. 3.° Conclusio admissa distinctione inter essentiam, & existentiam. Estò existentia distinguatur realitèr ab essentia, tamen materia debet præsupponi existens ante eductionem, & receptionem formæ: ergo. Probat. antec. materia prima sinè existentia (licèt distincta) non est subjectum idoneum eductionis, aut receptionis formæ: ergo. Probat. antec. Existentia est modus complens materiam primam, seù illam constituens in statu completo, & perfecto essendi; sed materia non completa, aut constituta in statu perfecto essendi non est subjectum idoneum eductionis, aut receptionis formæ; nàm prius est aliquid esse perfectè, & completè in se, quàm esse caussam respectu alterius non pertinentis ad complementum suæ essentiæ: ergo sinè existentia non est materia subjectum idoneum eductionis, aut receptionis formæ. Confirmatur, licèt existentia materię distinguatur ab ejus essentia, implicat divinitùs, materiam positam extra nihil, seù extra caussas, esse sinè propria existentia; sed ut forma educatur ex materia, requiritur, quod materia sit: ergo eductio formæ supponit in materia existentiam, licèt hæc distinguatur ab ejus essentia.

Objicies contra primam. Primò: D. Aug. Quæst. 54.

in

in lib. 83. QQ. ait: Quod materia, ex qua fiunt corpora dicitur nihil, quia omni specie caret: ergo nullum actum metaphysicum, seù differentiam habet. Secundò: implicat prædicatum aliquod magis potentiale, quàm ratio puræ potentiæ; sed si materia constaret ex genere, & differentia, ratio illa generica esset magis potentialis, quàm ratio puræ potentiæ: ergo implicat, quod materia constet ex genere, & differentia. Tertiò: implicat compositio metaphysica, ubi non datur physica; nam illa fundatur in ista; sed in materia non datur compositio physica: ergo nec metaphysica: ergo non constat ex genere, & differentia.

Resp. ad primum duplicem esse speciem; aliam intrinsecam ex proprio genere, & differentia resultantem, aliam extrinsecam, seù completam, quam D. August. & nos cum illo negamus materiæ; quia hæc non habetur, nisi per formam. Ad secundum dicimus, implicare aliquod prædicatum magis potentiale, quàm ratio puræ potentiæ in eadem linea, in qua est ratio puræ potentiæ, non verò in alia; at materia non est pura potentia metaphysica, sed physica tantùm; ac proindè in illa linea, & non in ista potest dari aliquod magis potentiale, quàm ipsa. Ad tertium, negamus implicare compositionem metaphysicam, ubi non datur physica; nam Angeli, & Anima rationalis non habent compositionem physicam, benè verò metaphysicam, ita paritèr in materia prima; & etiam in forma: igitur &c.

Objicies contra secundam. Primò plures auctoritates Philosophi, sed præcipuè ex 11. metaphysicæ ubi de materia ait: Hæc tamen actu quidem non est, potentia autem est: ergo materia nullum actum habet nisi per formam. Secundò: primus actus est actus entitativus essentiæ; sed forma dat primum esse materię, seù est primus actus materiæ: ergo forma est actus entitativus materię. Tertiò: sic se habet potentia ad actum, ut actus ad potentiam; sed forma, quia est actus, omnem excludit potentiam: ergo etiam, quia materia est potentia, omnem excludet actum.

Resp.

Resp. ad primum: Illam, similesque Philosophi auctoritates solùm asserere materiam esse puram potentiam subjectivam, & carentem actu sibi opposito, nempè actu physico, seù formali; non verò esse potentiam objectivam, aliàs non esset aliquid extra caussas, seù productum; proindèque habet actum entitativum. Ad secundum, dist. maj. primus actus correspondens potentiæ objectivæ est actus entitativus conc. maj. correspondens potentiæ subjectivæ, neg. maj. & dist. min. inversis terminis, & neg. conseq. Nam forma est primus actus physicus materiæ, seù primus actus correspondens potentiæ subjectivæ, non verò objectivæ. Ad tertium, permito maj. & neg. min. seù potiùs illam dist. forma quia est actus, omnem excludit potentiam subjectivam, conc. omnem potentiam metaphysicam neg. Forma enim, & materia, ut diximus, constant ex genere, & differentia.

Objicies contra tertium. Primò: Ex pluribus entibus in actu nequit fieri unum per se; sed materia existens propria existentia, & forma similitèr existens, sunt plura entia in actu: ergo ex materia propriam existentiam habente, & forma nequit fieri unum per se substantiale; quod est contra omnes. Secundò: Existentia formæ communicatur immediatè materiæ: ergo constituit illam existentem; sicut albedo communicata parieti, illum constituit, & denominat album. Tertiò: Existere est extra caussas esse: ergo nihil potest existere, usquè dùm omnes caussę exerceant suas caussalitates; sed antequàm sit totum, non exercentur caussalitates, sed sunt in exerceri: ergo materia non existit, antequàm sit totum; ac proindè non existit propria existentia, sed existentia totius, quæ est forma.

Respond. ad primum: Ex pluribus entibus in actu physico, & completo non fieri unum per se; benè verò fieri ex pluribus entibus in actu entitativo, seù incompleto, qualis est existentia materiæ, & formæ; aliàs totum per se fieret ex nihilo. Ad secundum, concesso ant. neg. conseq. quæ reverà non tenet, sicut nec hæc; spiritualitas animę communicatur immediatè corpori: ergo

illud constituit spirituale ; nec etiam hæc ; Essentia formæ communicatur materiæ : ergo materia non habet propriam essentiam ; quod est absurdum. Itaquè forma solùm communicatur materiæ, ut actus correspondens, & actuans potentiam objectivam ; non verò in alio sensu. Ad tertium, concedimus, quod existere est esse extra caussas ; sed non utcumque, sed extra caussas tali effectui correspondentes. Forma ergo est caussa compositi, non materiæ ; proindèque antecedentèr ad formam existit materia.

QUÆSTIO TERTIA.

Utrùm materia prima possit existere sinè forma?

Dicimus 1.° Materia prima nequit naturalitèr existere sinè aliqua forma substantiali. Hæc est communis, & prob. Si materia prima posset naturalitèr esse sinè omni forma, hoc contingeret per actionem alicujus agentis naturalis ; nam omnis modus existendi naturalitèr debet contineri in aliqua naturali caussa ; sed hoc implicat, quia agens naturale numquam corrumpit unam formam, nisi generando aliam, juxta illud axioma : *Corruptio unius est generatio alterius* : ergo nullum agens naturale potest materiam primam omni forma spoliare.

Dicimus 2.° Materia prima potest supernaturalitèr ab omni forma separari, & separata consistere, seù existere. Ita S. D. in 2. dist. 11. Quæst. 2. per totam, & pluribus in locis, quem sequuntur omnes Discipuli cum pluribus extraneis, & aliquibus Thomistis. Prob. ex ipso ibi : Omne absolutum prius natura alio absoluto, à quo etiam realitèr distinguitur, potest sinè contradictione esse, & conservari sinè illo alio absoluto posteriori ; sed materia prima est quid absolutum, & prius, saltim natura, qualibet forma substantiali, & distinguitur realitèr ab omni tali forma : ergo absque contradictione poterit conservari sinè omni forma substantiali. Min. à nemine negatur. Maj. est evidens. Quod enim est absolutum non potest necessariò ordinem actualem dicere

ad

ad aliud, nisi ad caussas ipsius, quod autem est posterius, nequit esse caussa prioris. Undè consequentia est legitima.

Prob. 2.° Id, quod Deus immediatè producit actione distincta à productione alterius, potest etiam conservari sinè illo alio: *Conservatio enim est continuata productio*; sed Deus immediatè producit materiam primam per actionem distinctam à productione formæ; cum illa creetur, forma autem non sempèr: ergo Deus potest immediatè conservare materiam primam sinè omni forma materiali: ergo universalitèr sinè omni forma.

Prob. 3.° Magis dependet accidens à subjecto quàm materia à forma; sed Deus absolutè potest conservare accidens sinè subjecto; ut patet in venerabili Eucharistia: ergo, & materiam sinè forma. Probat. maj. magis dependet posterius à suo priori, quàm prius à suo posteriori; sed accidens est posterius subjecto, materia autem prior forma substantiali: ergo &c.

Deniquè prob. conclusio, adhuc supposito, materiam existere per formam. Ideò per vos materia non posset divinitùs existere sinè forma, quia existit per existentiam formæ; hoc non obstat: ergo. Probat. min. Accidentia, juxta Thomistas, existunt per existentiam subjecti, & tamen ab omni subjecto separata existere possunt, ut patet in Eucharistia: ergo paritèr materia sinè forma. Confirm. 1.° Secundum communem Thomistarum sententiam omnia accidentia materialia sunt præsentia per præsentiam quantitatis; & tamen, secundum ipsos possunt à quantitate separari, & fieri præsentia per alium modum, quem Deus illis tribueret, distinctum à præsentia, quam habent à quantitate: ergo similitèr. Confirm. 2.° Quælibet materia, per vos, connaturalitèr existit per existentiam formæ; & tamen datur materia, per vos, quæ non existat per existentiam formæ, sed per aliam diversam; nam materia humanitatis Christi existit per existentiam Verbi: ergo quamvis materia connaturalitèr existat per existentiam formæ, si tamen ab omni forma divinitùs separaretur, aliam existentiam divina virtute habere poterit.

Ob-

Objic. 1.° Si materia existeret sinè forma, esset ens in actu, & non esset ens in actu; esset quidem, quia existeret, ut supponitur; non esset, quia non haberet formam, à qua haberet existere: ergo. Resp. dist. ant. esset ens in actu entitativo, seù existentiali, & non esset ens in actu completo, & specifico, conc. antec. esset ens in actu, & non esset, loquendo de eodem genere actus, neg. ant. & conseq. Tunc enim deficeret materiæ forma, seù actus formalis explens potentiam subjectivam; non verò actus entitativus, vel existentialis, qui potentiam objectivam actuat; ut sæpiùs dictum est.

Sed replicabis. Deus nequit supplere effectum caussæ formalis; sed materia in existendo dependet à forma in genere caussæ formalis: ergo nequit à Deo conservari existens sinè forma. Resp. conc. maj. dist. min. dependet à forma in genere caussæ formalis intrinsecæ, neg. suppositum; quia materia, cum sit simplex, non potest forma constare. In genere caussæ formalis extrinsecæ, & adventitiæ, conc. min. & neg. conseq. Utiquè argumentum probat, Deum non posse materiam informare sinè forma, aut reddere existentem sinè existentia; cæterùm non probat, existentiam materiæ provenire illi à forma; hoc enim sempèr negatur, numquamque satis à Thomistis probat. Consequentèrque materia poterit esse divinitùs sinè omni forma. Ex quo etiam colliges formam materialem potiori ratione posse divinitùs existere sinè omni materia. Si enim formæ accidentales materiales possunt existere sinè omni subjecto in Eucharistia: multo magis forma substantialis materialis poterit sinè subjecto, seù materia existere.

Dubitabis hic, an materia separata à forma indigeret ad sui conservationem majori Dei concursu, aut novo perseitatis modo? Resp. ad utrumque negativè; patet primum, quia conservatio est continuata productio; sed productio materiæ est independens à forma: ergo etiam concursus, quo Deus illam conservat, & consequentèr idem esset in statu separationis, & conjunctionis. Patet secundum; ideò anima rationalis existit separata à corpo-

porè absque novo perseitatis modo, quia habet existentiam propriam, subsistentiamque partialem saltim impropriè, & latè; sed hoc idem verificatur de materia: ergo tunc separata existet absque novo perseitatis modo.

QUÆSTIO QUARTA.

An omnes materiæ sint ejusdem speciei?

Dicimus 1.° Materiam horum corporum sublunarium esse eamdem specificè, numericè tamen distinctam; ut tot sint numero materiæ, quot composita. Utraque ergo pars constat ex Philosopho 12. Metaph. text. 27. ubi ait: *Singularium aliud est tua materia, & mea materia, universali verò ratione eadem.* Prob. prima pars: Nam quælibet talis materia sublunaris æquè potest recipere omnes formas, quas potest recipere alia: ergo omnes conveniunt in specie athoma. Antec. constat experientia; nam materia, quæ erat sub forma panis, in animali transit per nutritionem ad formam sanguinis; deindè ad formam animalis; hinc ad formam excrementi; indè terræ, posteà plantæ; iterum ad formam fructus; & tamdem ad formam animalis vescentis fructum: ergo nulla materia sublunarium determinat sibi aliquam formam, & licèt materia informata forma auri, adamantis &c. numquàm aliam accipiat; tamen ante illas aliam habuit, nempè terræ. Probat. secunda pars: Ideò enim colligimus, Petrum, & Paulum, v. gr. esse numero distinctos, quia sunt in diversis locis, separatique invicem existunt; sed ita se habent materiæ primæ ipsos componentes: ergo distinguntur numero.

Dicimus 2.° Materiæ sublunarium sunt ejusdem speciei cum materiis Cœlorum, & materiæ Cœlorum inter se. Conclusio hæc supponit Cœlos constare materia, & forma; quod, licèt sit contrarium Aristoteli, est tamen consonum SS. PP. & Theologis, id communitèr asserentibus. Probat. conclusio Ideo materia Cœli esset specie diversa à nostra, quia Cœlum est incorruptibile; & sic

non

non potest ejus materia habere potentiam cum privatione ad aliam formam; sed hæc ratio est nulla: ergo. Prob. min. Licèt materia sublunarium sit sempèr inclinata ad hanc, & illam formam, hoc non tollit habere aliquam formam, ita formalitèr adhærentem, ut numquàm, aut ferè numquàm possit corrumpi, ut patet in auro, adamante, & multis gemmis: ergo licèt Cœli numquàm actu corrumpantur, hoc erit ab extrinseco, ratione formæ, quæ, quia in suo loco naturali existit, & ab omnibus agentibus contrariis distat, non potest ab ullo contrario destrui.

Objicies verò contra hoc; si materia corporum cœlestium, & sublunarium esset ejusdem speciei, sequeretur, Cœlos esse intrinsecè corruptibiles, contra illud Psalm. 18. *Statuit ea in æternum*: ergo. Prob. seq. ant. Ideò corpora sublunaria sunt corruptibilia, quia constant materia prima, quæ est radix corruptibilitatis: ergo si materiæ cœlorum, & sublunarium essent ejusdem speciei, cœli essent ab intrinseco corruptibiles. Resp. conc. seq. Cœli enim solùm ab extrinseco sunt incorruptibiles, ratione, scilicèt, formarum, quæ nequeunt ab agente naturali alterari, & id probant auctoritates Scripturæ, & non ampliùs.

QUÆSTIO QUINTA.

In quo formalitèr consistat materia prima?

Cum præter prædicata communia, & generica entis, substantiæ, corporis, partis, &c. quæ in materia reperiuntur, inveniantur etiam in ipsa alia propria ipsius, rectè dubitatur, per quod ex his formalitèr constituatur? Prædicata enim hæc materiæ propria sunt potentia receptiva formarum substantialium, & formarum accidentalium; quæ quidem potentiæ triplicitèr sumi possunt; scilicèt, fundamentalitèr, seù radicalitèr, sivè pro radice, à qua pullulat potentia formalis; formalitèr, estque naturalis aptitudo ad formam; & deniquè concomitan-

tantèr, sivè prout connotat negationem formæ in materia præcedente, quo sensu destruitur in adventu formæ; proindèque est accidens separabile. His notatis

Dicimus 1.° Nulla ex his potentiis formalitèr sumpta est essentiale, & primarium constitutivum materiæ. Ita S. D. pluribus in locis apud Mastrium videndis; & prob. Potentia formalitèr sumpta est relatio, seù respectus transcendentalis; materia autem est ens absolutum, ut patet; sed respectus nequit esse formale constitutivum absoluti; aliàs idem esset formalitèr ad se, & ad aliud, quod repugnat: ergo potentia formalitèr sumpta nequit esse primarium constitutivum materiæ primæ. Confirmatur; aptitudo, ut talis, supponit rem, cujus est aptitudo, in suo esse quidditativo constitutam; ab ipsa enim fluit, & dimanat, sed potentia materiæ est aptitudo respectu formarum: ergo supponit materiam essentialitèr constitutam.

Dicimus 2.° Formale, & primarium constitutivum materiæ primæ est potentia radicalitèr, seù fundamentalitèr sumpta, respectu formarum. Prob. illud est formale constitutivum alicujus materiæ primæ, quod primò intelligitur, & relucet in ipsa; sed talis est potentia fundamentalitèr, & radicalitèr sumpta: ergo. Min. prob. nam potentiam radicalem, seù fundamentalem nulla alia antecedit; & ipsa intellecta, intelligitur primum subjectum distinctum ab omni non ipso, sufficiensque, ut ab ipso potentia formalis dimanet: ergo potentia radicalis est primum constitutivum materiæ primæ.

Dicimus 3.° Potentiæ formales sunt proprietates quarto modo materiæ primæ. Prob. quia istæ potentiæ conveniunt omni soli, & sempèr materiæ primæ: ergo sunt passiones illius. Confirmatur; sicut intellectus ad animam, & risibilitas ad rationalitatem, sic potentia formalis sequitur radicalem: ergo sicut risibilitas est passio hominis, & intellectus animæ, ita potentia formalis erit passio potentiæ radicalis.

Objicies contra primam. Primò: Plures Philosophi auctoritates, in quibus materiam primam vocat potentiam,

tiam, & per se potentiam: ergo essentialitèr, & primariò potentia est. Secundò: Materia essentialitèr est ens incompletum: ergo essentialitèr petit compleri; sed petit compleri per modum potentiæ passivæ: ergo essentialitèr est potentia passiva. Resp. ad 1. dist. materia est potentia per se in secundo modo, conced. in primo modo dicendi per se, neg. Nilque aliud intendit Philosophus in illis locis citatis. Ad 2. dist. ultimum conseq. ergo essentialitèr est potentia passiva, radicalitèr sumpta, conc. formalitèr sumpta, neg. conseq. Materia ergo est essentialitèr ens incompletum; sed ens incompletum, absolutum, constitutumque formalitèr, non per formalem potentiam ad compleri, sed per radicalem, ut diximus.

Objicies contra secundam; si potentia fundamentalis, aut radicalis esset essentia materiæ, tunc ipsa materia esset in potentia ad hanc potentiam à se distinctam; & rursùs esset in potentia ad secundam, & sic in infinitum: ergo standum ex in aliqua potentia, quę sit de essentia materiæ. Resp. neg. conseq. quia potentia, de qua hic loquimur, est realitèr idem cum materia, seù est ipsamet materiæ entitas; & cum nihil sit in potentia ad seipsum, ideò dici nequit, quod materia sit in potentia ad hanc potentiam.

APENDIX.

In qua quædam dubia de potentia materiæ expediuntur.

Quæres 1.° An formalis potentia materiæ ad formas sit una, vel multiplex? Resp. potentiam formalem remotam, seù universalem esse unicam ad omnes formas. Patet; quia si ad quamlibet formam daretur distincta potentia in materia, tot essent in materia potentię, quot sunt formæ possibiles; sed hæc sunt infinitæ: ergo in materia actu essent potentiæ infinitæ; quod repugnat: ergo dicendum est potentiam remotam materiæ unicam esse. Si verò loquamur de potentia proxima, qua materia per aliquas dispositiones accidentales determinatur ad unam for-

formam, & non ad aliam, nullus dubitat, hanc esse multiplicem juxta formarum multiplicitatem.

Quæres 2.° An in materia distinguatur potentia receptiva formarum à potentia earum substentativa? Respond. utramque distingui distinctione formali ex natura rei. Prob. quia in accidentibus distinguit D. S. hic cit. à Villa-Castin, habitudinem ad subjectum in ratione recepti, ab habitudine in ratione substentati: ergo paritèr in subjecto distingui debent habitudines in ratione substentantis, & recipientis. Confirmatur; quia potentia receptiva potest reduci ad actum, quin reducatur potentia substentativa: ergo non est formalitèr eadem potentia. Antecedens patet; nam Deus potest ponere formam in materia, denegando ipsi concursum ad substentandum, & supplendo seipso in genere caussæ efficientis indigentiam illius formæ; ut supplet in accidentibus Eucharisticis: ergo &c.

Quæres 3.° An potentia receptiva formarum substantialium distinguatur formalitèr à potentia receptiva accidentalium? Resp. afirmativè. Prob. quia de his verificantur prædicata aliàs contradictoria: ergo formalitèr distinguntur. Patet antec. Primò, quia materia, quę est receptiva formarum substantialium, est receptiva accidentalium, non è contrà. Secundò, ex potentia receptiva formarum substantialium posita in exercitio fit unum per se; non verò ex potentia receptiva formæ accidentalis, & accidente recepto. Tertiò, potest saltèm de potentia Dei absoluta reduci ad actum potentia substantialium receptiva, quin reducatur potentia receptiva accidentium; sed ista sunt prædicata aliàs contradictoria: ergo inferunt distinctionem in potentiis; sed non realem, ut constat: ergo formalem ex natura rei.

Quæres 4.° An potentia materiæ sit naturalis, vel neutra? Sed ante solutionem nota, potentiam materiæ esse *Naturalem*, quando naturalitèr inclinatur ad formam; *Violentam*, quando forma est contra inclinationem ipsius; & *Neutram*, quando materia nequè inclinatur ad formam, nec ad ejus oppositum. Rursùs; potentia

naturalis est duplex: alia determinata, qua subjectum determinatè inclinatur ad unum tantùm, ut grave deorsùm; alia indeterminata, per quam subjectum indeterminatè inclinatur ad plura. Undè potentia neutra duplicitèr sumi potest; uno modo latè, prout est idem, ac potentia naturalis indeterminata; alio modo propriè, & in rigore, prout opponitur naturali, tàm determinatæ, quàm indeterminatæ, & præsefert duplicem negationem, scilicèt, inclinationis ad formam, & repugnantiæ, connotando meram capacitatem in subjecto. Hoc notato

Dicimus 1.° Materia prima non habet potentiam naturalem determinatam ad quamcumque formam. Ità expressè S. D. in 1. dist. 1. Quæst. 1. in fine, ubi ait: *Materia prima ad nullam formam determinatè inclinatur; & ideò sub quacumque quiescit, non violentèr, sed naturalitèr propter indeterminatam inclinationem ad quamcumque.* Prob. brevitèr. Potentia naturalis determinata est violenta, quando non consequitur formam, ad quam determinatè inclinatur; ut patet in gravi, dum est sursùm; sed materia prima cum nulla determinata forma est in statu violento: ergo non est inclinata naturalitèr determinatè ad aliquam formam.

Dicimus 2.° Potentia materiæ ad formas est naturalis indeterminata, seù neutra, lato modo sumpta. Ita D. S. ubi nupèr citatus, & probatur: Potentia materiæ ad formas non est violenta; ut de se patet; nec est naturalis determinata; ut probatum est; nec aliundè est neutra propriè, & rigorossè loquendo; nam potentia neutra sic rigorossè sumpta, negat inclinationem, seù propensionem in formam: ergo restat, quod talis potentia sit naturalis indeterminata, seù neutra, improprio modo sumpta.

QUÆSTIO SEXTA.

An, & quomodo materia prima appetat formas substantiales?

Cum appetitus, & potentia naturalis materiæ idem in re sint, solùmque differant in eo, quod respectu formæ, ut habet rationem actus, dicitur potentia naturalis; & ut habet rationem boni convenientis, dicitur appetitus. Hinc omnia, quæ diximus quæstione præcedenti de potentia materiæ, pariformitèr appetitui ejus applicari debent. Appetitus autem est *quædam inclinatio, seù propensio in bonum conveniens.* Et est duplex. Elicitus unus, innatus alter; seù, ut alii loquuntur, intentionalis, & naturalis. Appetitus elicitus, seù intentionalis (qui solùm propriè appetitus est) *est actus appetendi tendens in bonum apprehensum.* Quod si bonum fuerit apprehensum ab intellectu, dicitur appetitus rationalis; & si per sensus, dicitur sensitivus. Dicitur autem elicitus, quia ab aliqua potentia appetitiva elicitur, vel purè sensitiva, ut in bruto; vel purè spirituali, ut in Angelo; vel materiali, & spirituali simùl, ut in homine.

Appetitus verò naturalis, sivè innatus (qui dicitur appetitus impropriè, & per metaphoram ad appetitum elicitum) *Est inclinatio naturalis cujuslibet rei ad suam propriam perfectionem insita ab Auctore naturæ.* Et hic etiam in rebus in animatis reperitur, v. gr. inclinatio gravis ad deorsùm, levis ad sursùm. Quia verò appetitus elicitus, si sumatur ut sic, dicitur *amor*; si ut respicit bonum absens, vocatur *desiderium*; si tamen bonum sit præsens, appellatur *gaudium, delectatio*, & *complacentia*: ideò etiam naturalis (qui solùm per metaphoram ad elicitum dicitur appetitus) si abstrahit à privatione, & possessione formæ, potest dici *amor*; & sic est materiæ proprietas; si connotat possessionem formæ, dicitur *complacentia*; & si connotat privationem ipsius, dicitur *desiderium.* Et hicce duo ultimi non dicunt nudam potentiam materiæ, sed cum connotatione possessionis formæ,

vel

vel privationis, quo sensu plures possunt esse appetitus in materia, ut de potentia dicebamus. Quibus notatis

Dicimus 1.° Materia prima appetit, non solùm formam in communi, sed etiam singulas in particulari. Prob. ex dictis. Forma, ne dùm secundum gradum communem, sed etiam secundum specificum, est bonum, & perfectio materiæ; immò ratio specifica perficit, & actuat rationem genericam formæ; sed materia appetit formam, quia est actus, & bonum sibi: ergo appetit formas, non solùm secundùm gradum genericum, sed etiam secundùm gradum specificum.

Dicimus 2.° Materia prima non appetit formas in particulari reduplicativè, quoad gradum individualem. Prob. Ratio, quæ probat, materiam appetere formas, quoad gradum specificum, probat, non appetere formas, quoad gradum individualem: ergo. Probat. antec. Ideò materia appetit formam, quoad gradum specificum, quia differentia specifica addit perfectionem generi; sed differentia individualis non addit perfectionem speciei; nam inter individua ejusdem speciei non datur inæqualitas perfectionis; quia differentiæ individuales non dicunt perfectionem, cum sint purè materiales: ergo materia prima non appetit formas reduplicativè, quoad gradum individualem.

Dicimus 3.° Materia prima non appetit æqualitèr omnes formes; sed perfectiores magis appetit. Colligitur clarè ex S. D. in 4. dist. 49. Quæst. 10. §. *Respondeo*, n. 3. Prob. Appetitus materiæ ad formas nihil aliud est, quàm perfectibilitas illius; sed magis perfectibilis est per formam perfectiorem: ergo magis appetit formam perfectiorem. Confirmatur; ideò materia appetit formam minùs perfectam, quia est ejus perfectio: ergo magis appetit formam, quæ est ejus major perfectio. Conseq. patet ex Philos. 1. Metaph. ubi ait: *In caussis præcissis, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximum ad maximum*; sed caussa præcissa, cur materia appetit formam, est ejus perfectio: ergo major perfectio erit caussa majoris appetitus, & maxima perfectio erit caussa maximè appetendi.

Di-

Dicimus 4.° Materia, quamvis habeat nobiliorem formam, adhuc appetit minùs nobilem. Prob. si materia, dùm est sub forma nobiliori, non appeteret ignobiliorem, tunc compositum ex materia, & illa forma, esset incorruptibile; hoc est inconveniens: ergo. Probat. seq. maj. Corruptio formæ præsentis oritur ex appetitu materiæ ad formam non habitam, ut posteà dicemus; sed in casu, materia non appeteret alias formas: ergo tale compositum esset incorruptibile.

Dicimus 5.° Casu, quo materia haberet unam formam continentem perfectiones omnium aliarum possibilium, non appeteret reliquas. Casus enim est impossibilis, quia tunc illa forma esset infinita; sed illo admisso, procedit conclusio. Pro cujus intelligentia est notandum, continentiam esse duplicem; aliam in genere caussæ efficientis, qua caussa efficiens potest producere suum effectum; & ita Deus continet virtualitèr omnes creaturas: alteram in genere caussæ formalis, ut quandò una forma continet perfectionem informativam alterius. Et hæc, vel est impropria, & secundùm quid, seù per solum excessum perfectionis; sic anima rationalis continet lapidem, quia est species perfectior, non tamen potest effectum formalem formæ lapidis tribuere: vel est continentia simplicitèr, & in rigore, quandò, scilicèt, una forma continet aliam, aut alias, non tantùm per excesum perfectionis, sed per æquivalentiam in effectu formali; quomodò anima rationalis continet vegetativam, & sensitivam, quia præbet homini eosdem effectus formales, ac si haberet tres animas. Atquè in hoc sensu loquimur hic de forma continente virtualitèr omnes. Hoc notato.

Prob. conclusio ex S. D. in 1. dist. 1. Quæst. 1. in fine, ℣. *Ad ultimum dico*, num. 6. Illa forma satiaret omnes appetitus materiæ; sed materia semèl satiata, quo ad omnes ejus appetitus, nullam formam appeteret: ergo. Maj. patet, quia illa forma aferret materiæ omne bonum, quod possent reliquæ afferre. Min. est manifesta. Ideo enim Beatus, præter Deum clarè visum, nihil aliud

ap-

appetit, quia Deus satiat adæquatè ejus appetitum, cum contineat perfectionem aliorum objectorum. Undè conseq. est legitima. Secundò probatur sic ex eodem in 2. dist. 14. Quæst. 1. §. *Respondeo*, ℣. *Si dicatur*, num. 3. Illa forma, de qua loquimur, daret actum oppositum privationi cujuscumque formæ: ergo non remaneret in materia desiderium circa reliquas. Patet conseq. nam desiderium explicat bonum absens: ergo si talis forma poneret præsens materiæ omne bonum, nullum bonum esset illi absens; & consequentèr nihil ultrà desideraret: ergo nec appeteret, quia non posset alio modo appetere, nisi appetitu desiderii.

Dicimus 6.° Materia prima appetit formas corruptas, seù amissas. Hæc est S. D. in 4. dist. 43. Quæst. 3. §. *Ad illa*, ℣. *Ad aliud dico*, num. 16. & est contra aliquos Thomistas. Prob. Appetitus materiæ est capacitas ejus ad formam, quæ est proprietas cum ipsa materia realitèr identificata; sed sivè forma corrumpatur, sivè non, sempèr materia retinet suas proprietates: ergo materia appetit formas, sivè corruptas, sivè non corruptas. Confirmatur; si Deus reduceret eamdem formam in materia, faceret cum illa unum per se naturalitèr; sicut cæcus naturalitèr videret, si restitueretur ei potentia visiva: ergo in materia esset eadem potentia, quæ erat priùs respectu formæ. Idem patet in corpore mortuo respectu animæ. Benè verò certum est, talem potentiam materiæ respectu formarum corruptarum, relatè ad agens, esse supernaturalem; quia nullum est agens naturale potens formam corruptam in materia introducere; sed solùm id potest agens supernaturale.

APENDIX.

Resolvuntur aliqua dubia circa materiam primam.

Rogabis 1.° An materia prima ita sit passiva, ut nullomodò activa dici possit? Ratio dubitandi oritur ex quodam dicto Arist. 2. de Generat. text. 53. ubi ait: *Materiæ*

est

est pati, & moveri; movere autem, & facere alterius potentiæ. Resp. tamen cum distinctione; quod propriè loquendo materia non est activa, seù efficiens actione physica, & reali, seù actione generativa, & corruptiva; quia agere in hoc sensu solùm convenit caussæ efficienti, seù composito ratione formæ; impropriè tamen dici potest activa. Tùm: Quia potest movere intellectum, non alligatum sensibus ad cognitionem intuitivam sui; & hoc vel immediatè concurrendo cum intellectu in genere caussæ efficientis, vel producendo speciem impræssam in ipso, qua mediante intellectum determinat, juxta varia placita. Tùm: Quia ab ipsa dimanant proprię passiones. Tùm: Quia habet virtutem ad producendas relationes reales intrinsecùs, & extrinsecùs advenientes, ut similitudinem, unionem &c. & cum hac limitatione debet intelligi prædicta auctoritas Philosophi.

Rogabis 2.° An materia prima per se sit cognoscibilis, sinè ordine ad formam? Resp. quod pro statu isto materia nequit à nobis cognosci, sinè ordine ad formam; at verò absolutè, & ex natura potentiæ est per se cognoscibilis, sinè tali ordine. Prima pars patet: Quia forma est à nobis magis cognoscibilis, quàm materia; sed forma non cognoscitur à nobis, nisi ex operationibus: ergo materia nequit cognosci, nisi per ordinem ad formam; atquè ita illam cognoscimus, quia ex novis operationibus videmus, unam formam advenire, & alteram periisse, & indè inferimus, dari aliquod commune subjectum transmutationis, seù materiam primam, ut diximus. Secunda pars prob. Materia prima est entitas absoluta, & habet actum entitativum: ergo licèt sit entitas incompleta, hoc non tollit, quod ab Angelo, & intellectu nostro ex natura potentiæ haberi possit conceptus quidditativus materiæ primæ, sed tantùm facit, quod haberi non possit conceptus quietativus, quod etiam est commune formæ ratione suæ incomplectionis: ergo materia est per se cognoscibilis sinè forma.

Rogabis 3.° An materia prima sit ingenerabilis, & incorruptibilis? Resp. afirmativè; & prob. quia si ma-

te-

teria prima posset generari, aut corrumpi, fieri posset ex præsupposito subjecto, & in illud idem desinere: ergo jam non esset materia prima, quia non esset subjectum primum cujuscumque generationis, nec ultimum corruptionis; alioquin daretur processus in infinitum: ergo. Potest tamen materia prima dici generabilis, & corruptibilis impropriè, & latè, seù sumpta generatione in ratione mutationis; nam materia est subjectum cujuscumque mutationis; subjectum actum à forma denominatur mutatum: ergo etiam in hoc sensu potest dici generatum: ergo &c.

Rogabis 4.° An materia sit caussa corruptionis, vel potiùs forma? Respond. S. D. in 3. dist. 22. §. *Rationes*, num. 9. dicens: *Prima tamen radix est materia cum privatione::: ita quod medium immediatum, ad quod constat resolutio, ut corruptibilitas demonstretur de corpore aliquo, est materia*: ergo materia est caussa radicalis corruptionis compositi; ad quam etiam forma partialitèr debet concurre; proindèque forma est caussa partialis corruptionis; sed non radicalis.

DISPUTATIO SECUNDA.

De forma substantiali.

QUÆSTIO PRIMA.

An omnes formæ substantiales educantur de potentia materiæ?

De formis substantialibus loquimur; de accidentali enim posteà dicemus. Et supposito ex jam dictis, dari talem formam substantialem in sensu Aristotelico, ipsamque definiri; *Actus primarius materiæ unum per se cum ipsa constituere natus*; quærimus, an omnis talis forma de potentia materiæ educatur? Sed ante resolutionem explicandum venit, quid sit, formam ex potentia materiæ educi? Circa quod, multiplex est Philosopho-

rum

rum opinio, sed præ omnibus placet sententia nostri Villa-Castin, cum quo

Dicimus 1.° Formam educi de potentia materiæ, nihil aliud esse, quàm quod suum fieri necessariò sit fieri in materia; ita quod, si sit aliqua forma, quæ utique sit, & fiat in materia, & tamen absolutè fieri possit naturalitèr, quantum est de se sinè materia; talis forma non diceretur educi, quia suum esse primum non est esse necessariò in materia. Hæc est communis Scotistarum, & prob. Quia juxta hunc dicendi modum optimè explicatur ad rationem eductionis non sufficere ex parte materiæ concursum receptivum, sed requiri etiam substentativum; ita ut eductio formæ formalitèr importet dependentiam formæ à subjecto, in quo recipitur, & substentatur, & unum sinè alio non sufficit. Nam anima rationalis in materia recipitur; sed quia ab illa non substentatur, ideò non dicitur educi de potentia materiæ, sed fieri per creationem; ut docent omnes Philosophi, & Theologi: ergo &c.

Dicimus 2.° Omnes formas substantiales materiales, etiam Cœlorum, & Elementorum fuisse eductas de potentia materiæ. Et quidem loquendo de formis materialibus post primam rerum conditionem, à nemine (ait Villa-Castin) quem viderimus, negatur. Quoad secundam partem (quæ est contra omnes ferè Thomistas) probatur. Conservatio rei est continuata illius productio: ergo eadem actione produxit Deus formas Cœlorum, & Elementorum, qua eas modò conservat; sed nunc conservat eas dependentèr à materia; nam, si separarentur ab ea, statim naturalitèr perirent, quia non sunt formæ subsistentes, ut anima rationalis: ergo in principio fuerunt tales formæ ex potentia materiæ eductæ.

Confirmatur; juxta D. Aug. tom. 3. lib. 1. Genes. ad litt. cap. 1. *In prima rerum institutione non quæritur miraculum, sed quid natura rerum habeat*: ergo Deus, ut agens naturale, in prima productione rerum servavit modum magis connaturalem rebus productis; sed magis connaturale est formis Cœlorum, & Elementorum educi

de potentia materiç, quam creari: ergo fuerunt eductæ. Prob. subsumpt. Illæ formæ potuerunt de potentia materiæ educi, ut ferè omnes Thomistæ tuentur ; vel ergo tunc educerentur juxta suam naturalem inclinationem, vel non? Si primum: ergo de facto fuerunt eductæ, ut prob. ex dicto Augustini. Si secundum: ergo adhuc de potentia absoluta non possunt educi. Patet hoc ; ideò anima rationalis, adhuc divinitùs, non est educibilis, quia non continetur in potentia passiva materiæ, tamquàm in caussa materiali: ergo si formæ Cœlorum, & Elementorum non continentur in potentia passiva materiæ, non poterunt ex illa, adhuc divinitùs educi.

Objicies contra primam; anima rationalis naturalitèr fit in materia; ita ut esset miraculum, si fieret extra materiam: ergo vel anima rationalis educitur, quod est falsum; vel eductio præcissè non consistit in eo, quod forma necessariò fiat in materia, & quod suum esse necessariò sit esse in materia. Respond. dist. antec. anima rationalis naturalitèr fit in materia, quia ipsa hoc naturalitèr exigit, neg. anteced. quia hoc naturalitèr exigit ordo à Deo statutus, non creandi animam, nisi in materia, conc. antec. Itaquè inter animam rationalem, formasque materiales, hoc est discrimen; quod istæ exigunt ex sui natura fieri, & conservari in materia; illa verò naturalitèr conservatur sinè materia; undè constat illam id ex sui natura non exigere.

Objicies contra secundam; illud Genes. 1. ubi dicitur: *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram*; sed creatio est productio totius entis ex nihilo: ergo formæ Cœlorum, & Elementorum fuerunt ex nihilo creatæ, non eductę. Resp. primò, instando argum. ibidem cap. 2. etiam dicitur: *Istæ sunt generationes Cœli, & Terræ, quando creatæ sunt*. Dicant Thomistæ, quod verbum ex his debet accipi in rigore? Ly *generationes Cœli, & Terræ*, vel potiùs ly *creavit Deus Cœlum, & Terram*? libentèr audiemus solutionem. Nostra autem est: ly *creavit* in Scriptura non sempèr sumi in rigore Scholastico, sed quandoque significare productionem in communi, ut ait

Ma-

Magister Sent. in 2. dist. 1. ab initio ; atquè ita singula singulis applicanda sunt juxta naturas rerum.

DUBIUM INCIDENS.

Quid dicendum de formis accidentalibus.

Dicimus 1.° Omnes formæ accidentales, tàm naturales, quàm artificiales educuntur de potentia subjecti. Probat. Illæ formæ educuntur de potentia materiæ, quæ fiunt dependentèr à materia ipsas sustentante ; sed omnes formæ accidentales absolutæ, relativæ, naturales, violentæ, neutræ, & artificiales fiunt dependentèr à subjecto, tamquàm à substentante : ergo omnes tales educuntur de potentia subjecti. Maj. patet ; min. prob. Omne accidens naturale ex intrinseca indigentia petit esse in subjecto, & conservari in illo : ergo dependentèr à subjecto fit. Idque præcipuè constat ex formis artificialibus ; istæ enim non sunt, nisi quædam relationes, & figuræ, resultantes in materia ex tali incisione artificis, vel compositione partium ; atquè ita de illis dicendum est, ac de cæteris formis relativis.

Dicimus 2.° Accidentia supernaturalia, seù habitus supernaturales creari, & non educi de potentia, sivè naturali, sivè obedientiali animæ. Est communis Scotistarum contra Mast. ipsamque docet Scotus pluribus in locis, sed præcipuè in 2. dist. 37. Quæst. 1. §. *Ex hoc ulteriùs*, ℣. *Secundum concludit*, num. 5. ubi ait : *Gratia est à solo Deo per creationem, & ab eo solo conservatur ; & quando destruitur, anihilatur, quia cujus productio est creatio, ejus destructio est anihilatio.* Prob. etiam ratione ; si gratia educeretur de potentia animæ, daretur caussa physica purè naturalis ipsius gratiæ (caussa enim materialis etiam est caussa physica) sed hoc implicat : ergo. Prob. min. implicat, ens simplicitèr supernaturale contineri in potentia alicujus entis purè naturalis ; sed anima est ens purè naturale : ergo implicat gratiam educi de potentia animæ.

Sed

Sed objicies contra hanc. Primò: Actus supernaturales viæ, immò, & patriæ, ut visio, & fruitio educuntur ex potentia subjecti, ut ait S. D. in 2. dist. 17. Quæst. 3.: ergo supernaturalitas non tollit, quominùs habitus supernaturales educantur de potentia subjecti. Secundò: Unio animæ ad gratiam est supernaturalis, & tamen educitur, sicut unio animæ ad corpus: ergo non repugnat aliquid in substantia supernaturale educi. Tertiò: Anima rationalis habet potentiam naturalem passivam ad formas supernaturales, ut ait D. S. Quæst. 1. Prolog. §. *Ad quæstionem*, num. 20. & alibi: ergo formæ supernaturales continentur in potentia, & virtute passiva animæ; & consequentèr ex illa educuntur.

Resp. ad primum conc. antec. dist. conseq. ergo supernaturalitas actus non officit, ut aliquid educatur, conc. supernaturalitas habitus, neg. conseq. Nam ad actum secundum concurrit caussa secunda, quæ nequit creare, non verò ad actum primum, seù habitum; illi enim, utpotè actus vitales à potentia vitali debent oriri, isti verò vitales non sunt. Ad secundum, negamus, prædictam unionem esse supernaturalem; cum enim sit relatio, naturalitèr resultat, positis extremis. Ad tertium, dicimus, quod si aliquid probaret, probaret etiam animam rationalem educi de potentia materiæ; nam hæc animam rationalem apettit; respondemus tamen, dist. ant. potentiam naturalem passivam respectu eductionis illarum, neg. antec. respectu receptionis, & perfectibilitatis per illam, conc. antec. & neg. conseq. Anima enim inclinatur ad tales formas, quatenùs ipsam perficiunt; talis inclinatio potiùs est ad illas, ut ad caussas suæ perfectionis, quàm ut effectus educibiles ex illa.

QUÆSTIO SECUNDA.

An unica forma possit simùl plures informare materias?

Supponimus 1.° Materiam esse duplicem; totalem, & adæquatam, sicque totum corpus humanum est adæquata animæ materia; & partialem, seù inadæquatam, ut sin-

gu-

gulæ corporis partes, ut manus, caput &c. Supponimus 2.° Unicam formam posse naturalitèr plures materias partiales informare, si sunt unitæ inter se, ut patet in homine; at si sunt inter se divissæ naturalitèr fieri nequit; benè verò supernaturalitèr; ut visum fuit in illo miraculo S. Dionysii, cujus caput à corpore separatum exercebat munera vitalia, ut loqui, prædicare, &c. Undè dificultas est, an forma possit divinitùs plures materias totales, & adæquatas simùl informare? In qua

Dicimus; adhuc de potentia Dei absoluta nequit unica forma, sivè materialis, sivè spiritualis plures simùl informare materias adęquatas. Ita D. S. in 3. dist. 1. Q. 2. §. *Hic dicitur*, ℣. *Contra hoc objicitur*, num. 4. per tot. ubi ait: *Ità impossibile videtur unum accidens esse in duobus subjectis, sicut unam formam substantialem esse in duabus materiis.* Nec responsio cursus S. Joseph aliquid prodest, ut legenti textum patebit.

Prob. 1.° Ratione ex S. D. ibidèm deducta; si una forma posset informare plures materias adæquatas, poterit etiam informare infinitas; si enim potest informare tres, aut quatuor, quarè non decem, centum, mille, & sic ultrà? Sed hoc repugnat: ergo. Prob. min. repugnat, aliquam formam creatam esse infinitæ perfectionis; sed si informaret infinitas materias, esset infinitæ virtutis: ergo. Prob. min. ex illa maxima D. S. in 2. dist. 3. Q. 10. §. *Alia opinio*, ℣. *Probo igitur*, num. 7. *Ubi pluralitas numeralis requirit majorem perfectionem, ibi infinita pluralitas requirit infinitam perfectionem; ut si posse portare simùl plura pondera, concludit majorem virtutem, posse simùl portare infinita, sivè non tot, quin plura, concludit infinitatem intensivam.* Sed formam actuare unam materiam est de linea perfectionis: ergo actuare plures arguit majorem perfectionem; & consequentèr informare posse infinitas, arguit infinitam perfectionem.

Nè dicant contrarii, arguere infinitam virtutem, & perfectionem, non intensivam, sed extensivam. Nam contra est; ut forma plures simùl informet materias, requiritur, non solùm nova informatio, sed etiam nova

vir-

virtus intensiva in ipsa: ergo. Probat. antec. ut forma plures informet materias adæquatas, requiritur nova caussalitas, & exercitium virtutis in genere caussæ formalis; sed ex hoc arguitur, requiri novam, & majorem virtutem intensivam: ergo. Prob. min. Ex quo ad portandum plura pondera in infinitum, requiritur nova caussalitas, & exercitium virtutis in genere caussæ efficientis, arguitur infinita virtus in eo, qui plura pondera posset portare; & ex quo intellectus posset plures, & plures intellectiones in infinitum producere, arguitur infinita virtus in intellectu: ergo ex nova caussalitate, & exercitio virtutis in genere caussæ formalis, arguitur nova, & major virtus intensiva.

Objicies; idem numero corpus potest divinitùs esse in pluribus locis, & eadem numero materia plures potest recipere formas: ergo etiam una forma potest divinitùs plures materias adæquatas informare. Resp. conc. utroque antec. neg. conseq. Discrimen est, quod potentia materiæ ad recipiendas simùl plures formas, & corporis ad essendum in pluribus locis; est merè passiva, quæ nullam dicit perfectionem; secùs verò potentia formæ, seù virtus informativa, quæ dicit perfectionem, cum sit de genere actus, seù caussæ formalis.

QUÆSTIO TERTIA.

Utrùm plures formæ substantiales non subordinatæ possint esse simùl in eadem numero materia?

Formæ subordinatæ dicuntur illæ, quarum una indiget alia ad constituendum totum; & quarum una præsupponit alteram pro constitutione sui immediati subjecti; sic anima in viventibus secundum communiorem sententiam præsupponit formam substantialem corporis, quod est ejus immediatum subjectum. Non subordinatæ autem sunt illæ, quæ ita sunt completæ, ut non indigeant se invicèm ad totum completum constituendum; & quarum una non supponit aliam pro constitutione sui im-

me-

mediati subjecti; ut forma hominis comparata ad formam Leonis, lapidis, &c. Et certum est, duas formas disparatas, seù non subordinatas non posse naturalitèr esse simùl in eadem materia; aliàs una forma non expelleret aliam, & generatio unius non esset corruptio alterius. His suppositis

Dicimus: Plures formæ substantiales non subordinatæ de potentia Dei absoluta possunt esse simùl in eadem numero materia. Colligitur clarè ex S. D. in 4. dist. 10. Quæst. 2. §. *Ad rationes*, ℣. *Ad secundùm*, num. 22. & est communior inter nostrates; eamque tenent plures extranei. Prob. sic; Duas formas substantiales disparatas esse in eadem numero materia, nec repugnat ex parte ipsius materiæ, nec ex incompossibilitate, seù lucta formarum; nec ex contrarietate dispositionum: ergo ex nullo capite; & consequentèr divinitùs possunt esse simùl. Antec. habet triplicem partem, & quoad primam prob. Materia, adhuc dum est sub una forma, habet potentiam naturalem, & appetitum ad omnes; undè cum unam recipit, adhuc retinet capacitatem ad aliam: ergo ex parte materiæ non repugnat.

Quoad secundam etiam prob. Unam formam expellere aliam est effectus non primariùs, sed secundariùs ipsius formæ; sed effectus secundarius potest impediri à Deo; sicut potest impediri effectus secundarius quantitatis, ponendo duo corpora quanta in eodem loco: ergo. Quoad tertiam partem prob. Quia Deus potest conservare in eodem subjecto duas formas accidentales inter se repugnantes: ergo, & dispositiones ad duas formas substantiales inter se incompossibiles; nam dispositiones sunt formæ accidentales. Præterquàm quod potest Deus supernaturalitèr conservare formam substantialem absque ulla dispositione: ergo etiàm si in eodem subjecto non possent componi dispositiones ad duplicem formam, poterunt tamen ipsæ formæ componi: ergo ex nullo capite repugnat simultas formarum in eadem materia.

Ex parte materiæ objicies primò: juxta S. D. in 3. dist. 1.

dist. 1. Quæst. 2. Eadem numero natura creata non potest simùl immediatè assumi à tribus Divinis personis, quia in omni dependentia essentiali implicat, unum simùl dependere totalitèr, & adæquatè à pluribus terminantibus ejus dependentiam; sed hoc idem sequeretur, si materia haberet plures formas: ergo. Prob. min. materia dependet à forma quantùm ad informari, & actuari; sed quælibet forma totalitèr, & adæquatè informat, & actuat materiam: ergo dependeret in hac linea à pluribus caussis totalibus, & adæquatis. Secundò: Quod est substantialitèr completum, nec divinitùs potest ulteriùs substantialitèr compleri; sed materia per unam formam est substantialitèr completa: ergo nec divinitùs potest substantialitèr compleri per aliam.

Resp. ad primum, conc. maj. neg. min. ad probat. neg. min. & disparitas est; quod quælibet subsistentia se habet respectu naturæ ut, actus adæquatus, & totalis in linea incommunicabilis, cum reddat illam incommunicabilem respectu cujuscumque termini; proindèque ab altera dependere nequit; at forma non est actus adęquatus materiæ; hæc enim est informabilis, & actuabilis in pluribus, & diversis lineis, & speciebus; proindèque à nulla seorsim adæquatè dependet; ideòque potest recipere plures. Ad secundum, dist. maj. nec divinitùs potest ulteriùs compleri intrinsecè, conc. maj. extrinsecè, subdist. in eadem linea, conc. maj. in diversa, neg. maj. & similitèr distincta min. neg. conseq. Licèt enim materia per formam advenientem compleatur; tamen hoc non est, nequè intrinsecè, ut patet, nec adhuc extrinsecè in illa linea, in qua per precedentem formam jam est completa, sed in alia; in quo nulla est repugnantia.

Ex parte formæ etiam objicies plura absurda, quæ sequærentur. Primò: Possent conjungi in eadem materia anima ovis, & canis, & tunc, viso lupo, non potest determinatè dici, quid ageret, num aggrederetur lupum, vel fugeret. Immò si anima ovis, & lupi essent simùl, idem corpus seipsum interimeret. Secundò: Si duæ animæ humanæ informarent idem corpus, vel operante uno

ho-

homine, operaretur alter, vel non? Neutrum dici potest: ergo. Prima pars prob. Si operante uno, necessariò operaretur alius, neuter liberè ageret, & alter sæpè operaretur invitus; cum non appareat ratio, cur illæ voluntates idem vellent, aut nollent. Secunda pars etiam prob. Quia cum operationes humanæ majori ex parte sint ororganicæ, operante uno homine, operaretur etiam, & alter, cum haberent eadem organa. Resp. primò, hæc esse puerilia, & sensum sequentia. Concedamus gratis, formas, de quibus fit mentio, non posse invicèm conjungi; quid inde? Nam satis est ad veritatem conclusionis, duplicem aliquam formam substantialem posse in eadem materia conjungi, quamvis aliæ sint divinitùs incomposibiles.

Deindè resp. ad singula. Ad primum, neg. animam canis, & ovis posse recipi in eadem materia; nam quælibet suam habet materiam proportionatam; anima canis, corpus canis, & anima ovis, corpus ovis; & neutra in corpore alterius recipi potest. Ad secundum, concedimus casum, & distinguimus in illis compositis duo genera actionum; alias inorganicas, ut intelligere, & velle; & in his, uno homine operante, necessariò non operaretur alter; atque unus posset amare, & considerare unum objectum; & alter odio habere, vel suspendere circa illum: alias organicas, ut ambulare, videre, comedere, &c. & in his, si ambo idem non vellent, ille vinceret, qui haberet majorem virtutem in movendo potentias exteriores, & alter operaretur invitus ob resistentiam factam à voluntate fortioris. Nec hoc est inconveniens; nam omnes concedunt, voluntatem posse violentiam pati in actibus imperatis. Similemque casum reffert noster Lyra in Genes. de quadam puella nata in Gallia, duo capita habente, & quatuor brachia; sed tam dissimilis genii, ut una dormiente, altera vigilaret. De quo videatur Aguirre, disput. 17. Physic. Sect. 3. num. 31.

Ex parte compositi prob. repugnantia. Compositum ex duabus formis resultans esset unum, & plura; hoc

implicat: ergo. Prob. seq. maj. juxta Arist. 5. Metaph. cap. 9. Ea sunt unum, quorum materia est una; sed in casu materia esset una: ergo. Secunda pars ostenditur: Duæ formæ nequeunt unum numero compositum constituere, quia duæ formæ completæ non possunt unum per se constituere: ergo. Confirmatur; ex tali conjunctione sequeretur, unum compositum posse de alio prædicari; atquè ita homo esset æquus, aqua, lapis, ignis, &c. Prob. seq. Quia in eodem subjecto sunt simùl albedo, & dulcedo, verè dicitur: *Album est dulce, & dulce est album*: ergo paritèr.

Resp. ad argum. Philosophum nomine materiæ intelligere differentiam individualem; aliàs genitum, & corruptum esset idem numero compositum, quod omnes negant; nam distinctio, vel unitas non sumitur à materia, sed à forma; proindèque in tali casu composita essent plura realitèr distincta, vel genere, vel specie, vel saltim numero. Ad confirmat. neg. seq. & redditur disparitas. Nam concreta accidentalia explicantur nominibus connotativis; ideòque solùm important subjectum in recto. Undè si utriusque concreti subjectum est idem, unum de alio prædicari potest. Quare *album est dulce*, facit hunc sensum; *subjectum habens albedinem est subjectum habens dulcedinem*; quia albedo, & dulcedo connotant idem subjectum. At concreta substantialia *homo*, *æquus*, non explicantur nomine connotativo, & adjectivè tento, sed absoluto, & substantivè accepto, & important, non solùm subjectum, sed etiam formam; ac proindè unum de alio prædicari nequit.

QUÆSTIO QUARTA.

An in viventibus præter animam debeat concedi corporeitatis forma?

Relicto errore quorumdam antiquorum, qui tot formas substantiales in eadem materia statuebant, quot sunt prædicata essentialia in composito, v. gr. in homine

unam

unam formam substantiæ, aliam corporis, aliam viventis, aliam animalis, & aliam rationalis; & paritèr rejecta sententia aliorum affirmantium, formas substantiales in viventibus multiplicandas esse juxta multiplicitatem graduum vitæ; ita ut planta haberet unicam formam, scilicèt, vegetativam; bellua dùplicem, scilicèt, vegetativam, & sensitivam; & homo triplicem, scilicèt, vegetativam, sensitivam, & rationalem. His, inquam, sententiis dimissis, velùt antiquatis, & fidei parùm consonis. Quærimus modò, an detur in compositis viventibus, præter animam, alia forma substantialis, quæ corporeitatis, aut mixtionis appellatur; ex qua cum materia constituatur corpus aptum subjectum animæ recipiendæ. In qua

Dicimus; in compositis viventibus, præter animam, datur alia forma substantialis, quæ cum materia constituat corpus organicum, scilicèt, forma corporeitatis. Ita S. D. in 4. dist. 11. Quæst. 3. quem sequuntur omnes discipuli, plurimique extranei, quibus consentiunt omnes Medici, contra Thomistas, aliosque paucos. Ante cujus prob. pro ejus intelligentia nota primò. In quolibet vivente corporeo reperiri corpus, & animam, ex quibus, tamquàm ex partibus essentialibus vivens ipsum constituitur. Secundò nota, juxta alibi dicta, corpus esse triplex. Primum quantitativum, seù mathematicum includens trinam dimensionem. Secundum metaphysicum, quod ponitur in recta linea prædicamenti substantiæ; & est substantia corporea completa, quæ dicitur, tàm de viventibus, quàm de non viventibus. Tertium est corpus organicum, quod est altera pars viventis corporei, constituens cum anima ipsum vivens; ut patet in homine, qui corpore, & anima essentialitèr constat.

Hoc ergo corpus organicum, ut ab anima distinctum, constituitur ex materia prima, & forma corporeitatis, tàm essentialitèr, quàm vivens ipsum constituitur ex corpore, & anima. Ex quo infertur, hanc corporeitatis formam (si datur) dari in materia ante introductionem animæ; quia cum anima habeat distinctas operationes

exi-

exigentes organa diversa, v. gr. carnem, ossa, medullas, nervos, & alia mirabilitèr disposita; & aliàs hoc ex sè non habeat materia prima, cum omnes partes sint ejusdem rationis, nec possint per aliquod accidens hæc organa constitui; hinc est, quod anima præexigit materiam informatam forma corporeitatis, quæ cum una parte materiæ constituat ossa, cum alia carnem, &c. & ita fiat capax recipiendi animam. His notatis.

Probat. 1.° conclusio ex D. S. ubi supra ratione desumpta ex Arist. 2. de anima, cap. 3. ubi sic animam definit: *Anima est actus corporis physici organici potentia vitam habentis.* Ex qua sic efformatur ratio; Anima est actus corporis physici organici: ergo anima supponit corpus physicum organicum constitutum jàm pro aliquo priori; actus enim supponit potentiam. Modo sic; sed tale corpus debet constitui aliqua forma substantiali distincta ab anima: ergo præter animam datur in viventibus aliqua forma substantialis. Min. subsumpt. quoad primam partem prob. Corpus organicum in illa prioritate non dicit materiam primam nudam, aliàs ferrum, aqua, lapis, & alia habentia materiam primam, possent dici habere corpus organicum, quod est falsum; nec etiam dicit materiam primam cum talibus accidentibus; nàm corpus organicum est de essentia viventis, & nullum accidens potest esse de essentia illius: ergo corpus organicum dicit materiam cum forma substantiali. Quod autem hęc forma sit distincta ab anima (quæ est secunda pars minoris) prob. Quia corpus organicum supponitur ad animam in potentia ad vivendum, seù ad vitam, & anima est actus illius, secundùm Philosophum: ergo corpus organicum non constituitur in esse organici per animam: ergo per aliam formam substantialem distinctam.

Respondent aliqui cum Palanco, sensum prædictæ definitionis esse, quod anima est actus constitutivus corporis physici organici; non verò actus informativus illius, sicut anima est forma hominis, & actus illius, non quia informet ipsum, sed quia constituit. Contrà primò:

Si

Si anima includeretur in corpore organico, tamquàm pars ejus constitutiva, non benè diceretur, vivens constare corpore, & anima; immò in rigore non posset dici, constare corpore, sed esse corpus: ergo. Probat. sequel. Ideò non verè dicitur, album constare albo, & albedine, quia album includit utrumque; sed per vos corpus includit animam: ergo non benè, sed nugatoriè dicitur: *Vivens constare corpore, & anima*; quia perindè esset, ac dicere: *Vivens constat animato, & anima*; quod nugatio est. Secundò: Corpus est vivens in potentia, secundum Philosophum, ait enim: *Corporis potentia vitam habentis*; sed ut includens animam, non est vivens in potentia, sed vivens in actu: ergo anima non pertinet ad constitutionem corporis organici, sed illud supponit.

Probat. 2.° conclus. & simùl impugnatur præfacta solutio. In homine v. gr. præter animam rationalem debet dari alia forma substantialis constitutiva corporis: ergo datur forma corporeitatis. Prob. antec. Accidentia illa diversæ rationis partium integralium etherogenearum, quas homo habet, debent habere aliquod principium intrinsecum substantiale; alioquin nullum esset caput ad probandum dari formas substantiales in rerum natura; sed non haberet tale principium, si non daretur alia forma substantialis præter animam: ergo datur. Prob. min. tale principium nequit esse materia prima; hæc enim sicut est indifferens ad formas substantiales, ità etiam ad accidentales, nequè etiam potest esse anima rationalis; nàm corpus cum suis partibus etherogeneis præsupponitur ad animam, ut diximus. Deindè anima rationalis, cum sit ejusdem rationis in omnibus partibus corporis, non potest in hac parte materiæ causare accidentia spectantia ad oculum, & in alia parte accidentia spectantia ad ossa, aut carnem: ergo. Prob. antec. Caussa naturalis eadem, eodem modo applicata passo ejusdem rationis, debet habere effectum ejusdem rationis, juxta illud: *Idem in quantum idem semper est natum facere idem*; sed anima est ejusdem rationis, & etiam materia, cui applicatur: ergo.

Prob.

Prob. 3.° conclus. Anima rationalis nequit homini dare esse corporeum; aliàs nec materia prima: ergo. Prob. maj. nulla forma præstat effectum, quem in se non habet; sed anima rationalis non est corporea, sed spiritualis: ergo. Respondent, quod, licèt anima rationalis sit formalitèr spiritualis, est tamen corporea virtualitèr, seù eminentèr, quod sufficit ad constituendum corpus. Sed contrà; si anima rationalis præstare posset effectum corporis, esset in genere caussæ formalis; sed in hoc genere præstare non potest, quia ad hoc deberet esse corporea formalitèr, ut *quo*, & non tantùm virtualitèr; hoc enim pertinet ad genus caussæ efficientis; anima enim rationalis corporea formalitèr non est: ergo non potest formalitèr corporeum hominem constituere.

Contra secundò: Nulla forma continet effectum sibi repugnantem, aut formam talis effectus productivam; albedo enim non continet virtualitèr nigredinem, aut esse nigrum: ergo nec anima rationalis continet virtualitèr esse corporeum, cum non minùs repugnent esse corporeum, & spirituale, quàm album, & nigrum. Tertiò: Etiam si anima rationalis esset virtualitèr corporea, adhuc tamèn non posset formalitèr constituere corpus; sicut, licèt, forma Solis sit virtualitèr calida, non tamen potest Solem constituere formalitèr calidum; forma enim in tali genere solùm dat illud esse, quod in se habet; cum exercitium hujus caussalitatis fiat per exhibitionem entitatis formæ in subjecto: ergo &c.

Prob. 4.° conclus. Post mortem hominis, v. gr. datur in cadavere aliqua forma substantialis; sed non aliqua, quæ non esset in ipso ante mortem: ergo in homine præter animam datur alia forma substantialis. Maj. est certa, aliàs materia prima existeret naturalitèr, sinè omni forma substantiali. Sed minorem negant contrarii, asserentes, in morte hominis, & cujuslibet viventis produci de novo aliquam formam substantialem, quam vocant cadavericam, quæ non præcessit in vivente, sed sequitur animam discedentem.

Sed

Sed contrà: In corpore mortuo manent eadem accidentia, quæ erant in viventi: ergo, & eadem forma. Prob. antec. In tali corpore manent eadem vulnera, & cicatrices; eadem virtus in herba virenti, & arida; in planta, vel stipite eædem litteræ priùs impressæ: ergo. Nec dicant, non esse eadem accidentia, sed similia de novo producta ad productionem cadaveris. Nam contrà urget Raguseus. Si in planta non manet idem carmen, sed novum illi simile, quis est iste novus caracterum impressor? Et si homo immediatè post capitis tonsionem moreretur; quis esset hic novus tam diligens tonsor, qui eum tam citò totondisset? Et quomodò, simoritur senex, apparet eadem canities; si juvenis eadem capillorum nigredo? Certè hæc omnia adeò evidentia sunt, ut oppositum sit penitùs incredibile. Confirm. hoc. Christus D. ostendit discipulis suis identitatem numericam sui corporis assumpti ex virgine ex identitate vulnerum ejusdem corporis redivivi: ergo erant eadem vulnera in corpore vivo, & mortuo.

Dices, Christum D. resurgendo, eadem numero vulnera reasumpsisse, non eadem numero, quæ mortuus habebat, sed similia, illa scilicèt, quæ vivens in cruce receperat. Sed contrà: Quia discipulis, & præcipuè Thomæ, non solùm ostendit vulnera manuum, & pedum, sed vulnus lateris, ut ostenderet identitatem numericam sui corporis; sed vulnus lateris accepit mortuus, non vivus: ergo eadem numero vulnera sunt in corpore vivo, & mortuo.

Prob. 5.° ratione Theologica. Si in morte animalis non remanet eadem forma constitutiva corporis, sequitur Corpus Christi D. non fuisse idem vivum, & mortuum; sed hoc est inconvenies: ergo. Prob. seq. ad unitatem numericam compositi, requiritur unitas, nedùm materiæ, sed præsertim formæ, quę est principium unitatis specificæ, aut numericæ compositi; sed si in corpore mortuo Christi D. ponitur forma cadaverica constitutiva corporis, adest forma numero, & specie distincta à præcedenti: ergo non est idem numero corpus.

Nec

Nec obstat, quod ait Cayet. fuisse idem corpus vivum, & mortuum materialitèr; quia eadem est omninò materia corporis mortui, & viventis; nàm ex hoc sequeretur, genitum, & corruptum esse idem numero, quod Philosophia abhorret. Patet seq. Quia materia eadem est in genito, & corrupto: ergo. Confirm. Illa, quę tantùm secundùm materiam sunt idem, sunt diversa simplicitèr: ergo Corpus Christi D. vivum, & mortuum essent diversa simplicitèr corpora; ac proindè simplicitèr falsæ propositiones PP. unanimitèr asserentium: *Idem numero corpus assumptum de virgine, passum in Cruce, fuisse in sepulcro, surrexisse, & modò ad dexteram Patris sedere.*

Nec etiam prodest solutio Palanc. & aliorum, fuisse idem realitèr Corpus Christi D. quoad suppositum, & materiam; & hoc sufficere ad verificanda Patrum dicta; nam omnes fateri tenentur, Corpus Christi D. vivum esse substantialitèr distinctum à corpore mortuo; aliàs ratio viventis non esset prædicatum substantiale. Nàm contrà est. Quod PP. non dicunt, manere idem suppositum, vel eamdem materiam, sed idem numero corpus: ergo recursus ad identitatem materiæ, & supposití inutilis est. Confirmat. Permanentia supposití uniti nihil concludit ad permanentiam ejusdem corporis; quia suppositum Divinum non dabat esse corporeum, sed forma constitutiva corporis: ergo ut dicatur idem corpus, requiritur eadem numero forma.

Urgetur. Si Verbum Divinum assumeret lignum, & istud converteretur in ignem, stante unione Verbi Divini ad materiam utriusque, quis vel mediocritèr Philosophus, diceret, manere idem corpus physicum? ergo nec id dici debet, si formæ Corporis Christi D. succesit in morte forma cadaverica. Tandèm. Si solutio tenet, etiam fuisset verum, mansisse in sepulcro idem corpus, etiam si abiret in vermes, & cineres, cum maneret eadem materia, & suppositum. Quod autem ait Palanc. omnes debere fateri, Corpus Christi D. vivum esse substantialitèr distinctum à corpore mortuo, prorsùs falsum

est,

est, quia prædicatum viventis non est essentiale corpori pro altera parte; sicut nec forma est de essentia subjecti; sed est prædicatum essentiale hominis, & viventis; atque ita manssit idem corpus in triduo, sed non idem homo, aut vivens.

Sextò probat. etiam ratione Theologica. Si Corpus Christi D. constituitur per animam rationalem, quando ex vi verborum ponitur Corpus Christi D. in Eucharistia, etiam ex vi verborum poneretur anima; hoc est contra communem Theologorum sententiam: ergo. Prob. seq. Ex vi verborum ponitur Corpus; sed juxta adversarios, anima est constitutiva corporis: ergo poneretur etiam anima. Confirm. Si in triduo mortis Christi D. aliquis Apostolus consecraret, ex vi verborum, poneret sub speciebus panis illudmet Corpus, quod possuit sub eis Christus D.; sed Apostolus non poneret sub speciebus panis Corpus constitutum ab anima; aliàs Christum D. revocaret ad vitam: ergo nec Christus D. ex vi verborum possuit corpus includens animam; & consequentèr corpus non constituitur per animam, sed per aliam formam distinctam.

Objic. 1.° Ex Philosopho 2. de generatione animal. cap. 1. dicente: *Non est facies, nisi animam habeat; neque caro; sed corrupta æquivocè dicitur facies, aut caro, perindè ac si lapidea, aut lignea facta sit*: ergo post mortem animalis non manet eadem realitèr caro, neque idem realitèr corpus, ac erat in viventi; & consequentèr non constituitur in utroque statu per eamdem formam; sed vivens per animam, & mortuum per formam cadavericam. Resp. corpus organicum duplicitèr considerari posse. Primò: Absolutè, & in se cum illa varietate partium diversæ rationis, quo in sensu non constituitur per animam, ut jam diximus. Secundò: Quatenùs hæc organa sunt instrumenta proximè expedita, aut completa ad exercenda opera vitæ, & sic per animam constituuntur proximè idonea ad talia opera exercenda. Quo notato, patet sensus Philosophi, vult enim, faciem, & carnem esse æquivocè talem, & quasi lapideam, vel

ligneam ; non absolutè, & in se, sed relatè ad exercendas functiones vitales, ut sentire, videre, audire, loqui, &c. ad quas ita ineptum est cadaver, ac lignum, vel lapis ; aliàs si caro mortua non est in se caro, nisi æquivocè, poterit quisque in die veneris comedere carnes absque transgressione præcepti.

Objic. 2.° Forma perfectior continet in se, quidquid continet imperfectior ; sed anima rationalis est perfectior forma corporeitatis : ergo continet, quidquid continet ista : ergo poterit dare esse corporeum ; & consequentèr ad hoc non est necessaria forma corporeitatis. Confirm. Quia anima rationalis est perfectior vegetativa, & sensitiva, ideò potest constituere formalitèr vegetativum, & sensitivum ; sed vegetativa, & sensitiva quandoque sunt corporeæ : ergo benè potest forma spiritualis præstare effectum formæ corporeæ ; & consequentèr effectum formæ corporeitatis.

Resp. neg. maj. absolutè. Nam anima est perfectior accidentibus, & tamen nequit effectum formalem albedinis, aut intellectionis tribuere. Vel claritatis gratia, dist. maj. continet, vel secundum quid, & per simplicem excessum perfectionis, vel simplicitèr, & in rigore, per æquivalentiam in muneribus, conc. maj. sempèr simplicitèr, & in rigore, neg. maj. & dist. min. est perfectior secundùm quid, & per simplicem excessum perfectionis, conc. min. perfectior æquivalentèr, neg. min. & conseq. Per quod patet ad confirm. Sed ulteriùs dicimus, gradum vegetativi, & sensitivi non esse determinatè corporeum, vel spiritualem, sed ab utroque præscindere ; si enim contrahitur ad bruta, & plantas, efficitur materialis ; si ad hominem, immaterialis. At forma corporeitatis, secundùm se, est materialis ; & ideò hæc nequit eminentèr contineri in entitate physica animæ ; benè verò vegetativa, & sensitiva.

Objic. 3.° Quidquid advenit enti in actu, est accidens ; sed si daretur forma corporeitatis, anima adveniret enti in actu, scilicèt, materiæ informatæ per illam formam : ergo anima esset accidens. 4.° Si daretur for-

ma

ma corporeitatis, falsum redderetur illud Axioma: *Generatio unius est corruptio alterius, & è contrà*: ergo. Prob. seq. Nam adveniente anima, aut recedente, non destruitur forma corporeitatis, nec alia nova forma generatur: ergo. Resp. ad 3. dist. maj. Quidquid advenit enti in actu completo, est accidens, conc. maj. in actu incompleto, seù non ultimatè completo, neg. maj. & distincta min. inversis terminis, neg. conseq. Nàm totum constitutum ex materia, & forma corporeitatis est ens incompletum, utpotè ulteriùs complebile substantialitèr per animam. Ad quartum dicimus, vel Axioma non tenere in viventibus; sicut nec in aliis casibus, ut quando producitur lumen in aëre, species in medio, &c. Vel solùm esse verum in viventibus, non immediatè, sed mediatè, vel deniquè intelligi de generatione, & corruptione totali, non partiali, quæ est illa, quæ adest in viventibus ad animæ discessum.

APENDIX.

De privatione, & unione.

Quæres 1.° Quid sit privatio? Resp. ex Philosopho 5. Metaph. text. 27. *Est negatio formæ in subjecto apto nato ad habendam illam.* Undè carentia visus in talpa non est propriè privatio, quia non est subjectum aptum ad videndum. Similitèr carentia formæ in materia, ad quam non est proximè disposita, non est propriè, & rigorossè privatio, sed solùm carentia illius formæ ad quam materia jam est proximè disposita. Indè etiam infertur primò; privationem in recto, & pro formali importare negationem; pro connotato verò, & in obliquo aptitudinem in subjecto. Secundò; privationem sumere suam specificationem extrinsecam ab habitu, seù forma, qua privat; intrinsecam verò à suamet entitate.

Quæres 2.° An unio distinguatur realitèr à materia, & forma? Non loquimur de unione activè accepta, seù sumpta pro actione unitiva, sed formalitèr, pro unione for-

formali, qua materia, & forma invicèm connectuntur. Dicimus ergo: unio, qua materia, & forma invicèm connectuntur, est entitas distincta realitèr ab utraque. Sic S. D. & Discipuli, pluresque Thomistæ, cum aliquibus extraneis. Prob. Separabilitas est signum evidens distinctionis realis; sed materia, & forma possunt separari ab unione: ergo ab illa distinguntur realitèr. Prob. min. Materia, & forma D. Petri v. gr. nunc simùl existunt absque unione, seù quinetur ipsarum unio: ergo.

Quæres 3.° Quid sit unio, & in quo formalitèr consistat? Resp. ad primam partem, unionem sic communitèr definiri: *Est vinculum potentiæ, & actus, quo ex illis unum per se formalitèr componitur.* Ad secundam verò dicimus, unionem inter materiam, & formam esse relationem extrinsecus advenientem. Ita S. D. in 3. dist. 1. Quæst. 1. §. *De primo dico*, num. 3. & alibi, cum suis contra Thomistas. Prob. Omne absolutum potest quidditativè intelligi, non cointellecto quocumque alio extrinseco; sed implicat intelligere unionem formæ ad materiam, quin intelligatur materia, & è contrà; ergo. Quod autem sit relatio extrinsecus adveniens, patet ex dictis in Logica; nàm ille est respectus extrinsecus adveniens, qui non resultat necessariò positis extremis in rerum natura; sed possunt, immò de facto existunt materia, & forma, v. gr. D. Petri absque unione: ergo est relatio extrinsecus adveniens. Undè potest reduci ad prædicamentum habitus, sub quo etiam continetur modus habendi aliquid per modum formæ, sivè substantialis, sivè accidentalis. At S. D. in 4. dist. 12. Quæst. 1. §. *Ad quæstionem resp.* ℣. *Si quæras*, num. 6. ait: *Quod unio ex parte subjecti reduci potest ad prædicamentum passionis; & unio se tenens ex parte formæ ad prædicamentum actionis.*

Quæres 4.° An materia prima, & forma uniantur unica, vel duplici unione? Resp.: inter materiam, & formam datur duplex unio; alia subjectata in materia, & terminata ad formam, & alia subjectata in forma, & terminata ad materiam. Est Scoti nuper cit. & Scotis-

ta-

tarum contra Thomistas. Prob. Tàm materia, quàm forma, quatenùs constituunt totum, dicuntur intrinsecè, & formalitèr unitæ, quia non est major ratio unius, quam alterius; sed per unicam unionem non possunt dici intrinsecè, & formalitèr unitæ: ergo datur duplex. Prob. min. talis unio, vel subjectatur in sola materia, vel in sola forma, vel in utraque simùl? Sed non subjectatur in sola materia, aut forma; quia cum eodem modo dicatur materia unita formæ, ac forma materiæ, non est major ratio, cur potiùs in una, quàm in alia subjectetur. Sed neque etiam subjectatur in utraque simùl; quia de ratione relationis est afficere intrinsecè unum extremum, ut fundamentum, & ad alterum terminari tantùm extrinsecè: ergo cum unio sit relatio, nequit eadem indistincta in materia, & forma subjectari.

DISPUTATIO TERTIA.

De Elementis.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrùm Elementa obnoxia sint generationi, & corruptioni?

Elementum ab Arist. 3. de Cœlo, text. 31. definitur: *Illud corporum, in quod alia corpora dividuntur, in quibus inest potentia, aut actu: ipsum est indivisibile in diversa specie.* Nomen itaque elementi non naturæ est, sed officii; quatenùs ea, quæ elementa appellantur concurrunt ad generationem corporum mixtorum; undè, & principia secundaria corporum appellantur: ipsa verò elementa non sunt dissolubilia in plures rerum species; in quo à mixtis corporibus distinguntur; quoniam hæc sæpè abeunt in plures species, ut lignum in ignem, & terram videtur resolvi.

Contrà Atomistas autem unicum tantùm elementum admittentes, probabiliùs judicamus quatuor admittenda esse elementa, Ignem, Aërem, Aquam, & Terram, ut do-

docet Arist. lib. 2. de Generat. & Corrupt. cap. 4. Nam tot ritè dicuntur esse elementa, quot modis qualitates omnium primæ, sivè Calor, Frigus, Humiditas, & Siccitas, possunt invicèm disponi, & combinari; primò enim simplici corpori, cujusmodi est elementum, prima, & simplex affectio attribuenda est; sed primę illæ affectiones quatuor modis possunt disponi, & combinari: sic in Igne Calor cum Siccitate componitur, in Aëre Calor cum Humiditate, in Aqua Frigus cum Humiditate, & in Terra demùm Frigus cum Siccitate: ergo probabili satis ratione quatuor constituuntur elementa.

Sed advertendum est, Elementa hæc, quæ videmus, non pura, sed esse permixta variis particulis salium, succorum, vaporum, & exhalationum, quarum infinita penè est multitudo, rerum omnium sensibilium meatus pervadens. Inquirimus ergo, utrum hæc elementa visibilia, & sensibilia (nam invisibilia, & insensibilia non admittimus) generationi, & corruptioni sint obnoxia, quemadmodùm alia corpora: quæcumque tandèm habeatur sententia de substantiali, seù essentiali forma, sivè absoluta, sivè respectiva. Id enim ad rem præsentem non confert; nam contrà RR. disserimus, qui mixta corpora essentialitèr transmutari fatentur; non verò elementa, sed contendunt partes ipsorum hac illac dispergi. Contra quos

Dicimus, elementa esse obnoxia generationi, & corruptioni. Ita Peripatetici omnes cum nostro S. Magistro pluribus in locis à nostro Ferrari citatis. Prob. ratione naturali specialitèr contra RR. Ubi contingat totalis transmutatio sensibilium affectionum, fatentur RR., haberi corruptionem rei præexistentis, & novam alterius generationem fieri; sed experientia ostendit, contingere in elementis totalem transmutationem affectionum sensibilium: ergo in elementis nova fit generatio, & corruptio; adeòque &c. Prob. min. Dùm ignitus carbo, particulis nempè igneis refertus, in aquam immergitur, talis, ac tanta partium ignis mutatio conspicitur, ut nihil remaneat præcedentis sensibilis affectionis. Dùm

lig-

lignum aliquod comburitur, sensibus ipsis patet totalis affectionum sensibilium transmutatio, & nova apparet combinatio partium, quæ ignis speciem præsefert: ergo &c.

Prob. secund. ex Sacra Auctoritate. Aqua in vinum convertitur: ergo elementa sunt corruptioni obnoxia, atque adeò etiam generationi. Prob. antec. ratione illa ex Ecclesiastico ritu deprompta, qua utuntur Concilium Florentinum in Decreto unionis Armenorum, & Catechismus Romanus. Jubet Ecclesia modicam satis aquam vino consecrando infundi debere; ut facilè queat brevi tempore in vinum converti, atque posteà per consecrationem convertatur in sanguinem Christi D. Quod expressiùs habetur in *Sacerdotali Romano*, plurium Summorum Pontificum auctoritate approbato; atque juxta Concilii Tridentini sanctiones, aucto, & emendato. In eo enim sic legimus, tract. 10. part. 1. de Sacramento Eucharistiæ cap. 2. *Aqua verò*, quæ in calice vino miscetur, debet esse in modica quantitate, quia eam in vinum converti oportet: ergo juxta Ecclesiæ sententiam aqua priùs convertitur in vinum, posteàque in sanguinem Domini. Hanc sententiam, veluti probabiliorem, esse amplectendam, declaravit Innocent. III. in cap. *Cum Marthæ*, de Celebratione Missarum.

Ne dicant contrarii, Ecclesiam, PP. Pontificemque loqui juxta communem æstimationem, secundùm quam, cum aqua infunditur vino, si istud prædominatur, totum illud resultans vinum appellatur. Nam contra est, quod PP. Concilii Florentini (ut ex actis ejus constat) suo illo decreto emendare voluerunt sententiam Concilii Prov. Tiburiensis, quod cap. 19. statuerat, tertiam partem aquæ admiscendam esse vino consecrando; sed hæc sententia non esset reprobanda, si PP. Concilii Florentini loquerentur juxta communem extimationem, qua vinum minori parte aquæ mixtum, vinum usuale dicitur, ut patet: ergo ideò reprobata fuit, quia PP. judicabant, aquam convertendam esse in vinum, idque fieri non posse in tertia parte, sed in exigua aquæ portione. Neque Innocen-

centius vulgari hominum sensu, aut moralitèr sumpsit nomen conversionis. Nam physicè rem spectavit, undè addit: *Licèt Physici contrarium asseruerint, quia aquam in vino per artificium, ajunt, posse separari.*

Objic. 1.° Constat experientia, aquam vino inmixtam ab eodem rursùs extrahi: ergo. Antec. patet pluribus experimentis, quæ sibi objicit noster Ferrari; sed celebre est præ aliis experimentum Maignani, quo comperit, aquam vino generoso immixtam, cum multis diebus vas sub diù exposuisset hyemis tempore, eamdem sempèr mansissè, ut à vino postmodùm separaretur. Respondetur, prædictis experimentis ostendi, non sempèr aquam in vinum transmutari. Primò quidem, aqua vino immixta non convertitur statim post immixtionem. Secundò, non convertitur, ubi aqua sit in magna quantitate. Tertiò, quandò vi externi frigoris ipsę aquæ particulæ durantur, & motus partium vini imminuitur: aliisve etiam de caussis. Hinc tunc facile erit, aquam rursùs à vino separare. Conversioni enim obsistit, vel temporis brevitas, vel maxima aquæ portio, vel aëris frigiditas.

Tamen advertendum est, quod, sicut lacti immixtum est Serum, & sanguini Flegma, ita, & vinum continet in se se subtiliorem humorem, ab ipsa aqua diversum, quo, & vini fluiditas adjuvatur, & motus partium vini fovetur. Cum autem humor iste multùm accedat aquæ, idcircò facilè cum aqua confunditur, & dum ille separatur, aquam extrahi videtur. Indè igitur possumus allato Maignani experimento rationem reddere, quod, & frigidissimus externus aër actionem vini cohibuerit, & in ipsa aquæ à vino segregatione humor ille simùl cum aqua extractus, eamdem aquæ quantitatem exhibuerit, & aquæ immixtus speciem aquæ præ se tulerit.

Objic. 2.° Si una aquæ gutta potest in vinum converti, etiam & alia, & alia, ita ut vini quantitas augeatur ferè sinè termino, ut cum lignum convertitur in ignem, hic potest alium convertere, & alium, & alium; sed con-

contrarium experimur in vino dum aqua mixcetur; nam ejus virtus non crescit sicut in igne, immò imminuitur: ergo. Resp. ex S. D. in 4. dist. 19. & ex experientia, qua videmus in viventibus, omne agens physicum agendo debilius fieri. Quod certè contingit in vino; ipsum enim eo debilius evadit, quo plus aquæ convertit, quia actione sua deperdit subtiliores, activioresque spiritus, quibus deperditis, non potest pristinum statum reparare. È contrà ignis activas alias acquirit partes per ligni combustionem; proindèque potest alium, & alium lignum cremare.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quomodo elementa maneant in mixto?

Mixtio (inquit Philosophus in fine lib. 1. de Generat.) *est miscibilium alteratorum unio.* Quæ definitio ab omnibus admittitur, licèt unusquisque propriæ studeat acommodare sententiæ. Nos verò ex dicendis illam ita accipimus, ut Mixtio sit mutatio substantialis ad formam mixti ex miscibilibus congregatis, & per mutuam alterationem dispositis, atque corruptis, in qua miscibilia dicuntur uniri, & contineri. Utrùm autem hæc elementorum continentia in mixtis sit talis actu, & formalitèr, seù pennes eorum rationem formalem, seù tantùm virtualitèr, & potestativè, in præsenti venit examinandum? In qua Philosophi in varias abeunt sententias; nos verò

Dicimus, elementa non formalitèr, sed virtualitèr remanere in mixto. Sic Scotus in 2. dist. 15. & prob. Si elementa formalitèr insunt mixtis, vel omnes formę elementares sunt inter se penetratæ, vel ita insunt, ut in minutissimas discissę particulas invicèm sunt agregatæ; sed neutrum dici potest: ergo elementa non sunt formaliter in mixtis, sed tantùm virtualitèr. Probat. prima pars minor. Si formæ omnes elementares sunt invicèm compenetratæ, eamdemque materiam afficiunt, jàm mixtum corpus non erit unum per se substantiale; nàm

quælibet forma elementaris facit unum *per se*; atque ideò plures formæ elementares, cum illarum subordinatio probari non possit, plura composita constituerent; subindèque mixtum esset aggregatum quoddam *per accidens*, ex pluribus completis naturis conflatum, quod est contra omnes. Probat. secunda pars min. Quælibet mixti pars homogenea est, & mixta, licèt sit, & concipiatur minima; sed si elementa sunt formalitèr in mixto, in qualibet vel minima mixti parte essent minimæ partes elementorum, quod concipere satis non possumus: ergo elementa non continentur formalitèr in mixtis.

Undè constat elementa non formalitèr, sed tantùm virtualitèr in mixto manere; non quidèm in genere caussæ efficientis; sed quasi in genere caussæ formalis; quia formæ mixtorum exigunt naturalitèr affectiones illas, quas in elementis dispersas novimus. Quo facilè explicatur, quid sit unum elementum prævalere alteri in mixto, sivè dari elementum prædominans. Hoc enim est, unam mixti formam vindicare sibi potissimùm affectionem peculiarem unius elementi præ altero; in quo mixtum assimilatur uni potiùs, quam altero elemento.

Objicies: Mixta corpora resolvuntur in quatuor elementa: ergo ex illis actu inexistentibus componuntur. Prob. antec. In combustione ligni viridis prodit primò vapor, & fumus, seù fuligo, quæ statim ascendit sursùm in aëris locum, veluti ad suum redditura principium; atque adeò è ligno jàm prodit primum elementum, nempè Aër, qui secum evehit sursùm fulliginem. Secundò: Ibidem concipitur erumpens Aqua, sibilans, & ebulliens. Tertiò: Lignum resolvitur in cineres, qui possunt appellari Terra. Quartò: Ignis ubiquè conspicitur per omnes ligni partes dominari. Quo pertinet illud Augustini, cap. 1. lib. de Quantitate animæ: *Si ex me quæreres, arbor ista ex quibus constet, notissima ista quatuor elementa nominarem, ex quibus omnia talia constare credendum est. Porrò si pergeres quærere, undè ipsa terra, vel aqua, vel aër, vel ignis constet, nihil jam quod*

di-

dicerem reperirem. Tum infrà: *Simplex corpus terra est, & ideò elementum dicitur omnium istorum corporum, quæ fiunt ex quatuor elementis.* Ita & Greg. Nazianzenus in carmine de Virginitate dicebat: *Igneus ardor inclusus saxis.*

Resp. neg. antec. quod prædicto experimento non suadetur. Nam ignis nova generatione producitur, ut jàm diximus. Cineres non sunt Terra, nec elementum aliquod simplex, sed mixtum corpus; aliàs omnes cineres eamdem haberent virtutem, eundemque producerent effectum, quod est contrà experientiam. Et per hoc non negamus, in poris ligni plures esse terræ particulas, quæ ignis virtute separantur. Ita etiam plures aquæ particulæ in poris ejusdem ligni latitantes, ignis virtute foras expelluntur; sed certum non est, humorem illum exeuntem à ligno esse verum Aquæ elementum. Illustrius tamen apparet, fumum, seù vaporem non esse Aërem; fumus enim resolvi potest in oleum, spiritum, & salem. Experientia paritèr ostendit fumum è corporibus inflammatis exeuntem non esse Aërem; nam accenso communi sulphure sub campana, post adustionem flores sulphuris, & non Aër in campanæ lateribus colliguntur. Fumus enim aliud non est, quàm partes mixti tenuissimæ, quæ ignis virtute sursum elevantur una cum Aëris particulis inclusis antea intra ligni meatus, & ignis actione rarefactis. Augustin. autem juxtà communem Vulgi sensum loquitur; Nazianzenus tamen etiam metaphorico sensu disserit, ut perspicuum est.

Instant adversarii; si elementa corrumpuntur, nec conjungi possunt, nec alterari; sed mixtio est miscibilium alteratorum unio: ergo ut elementa alterata in mixto sint unita, debent esse in ipso actu, & formalitèr, seù absque corruptione. Resp. mixtionem ex sua ratione formali præseferre veram generationem formæ continentis virtualitèr quatuor elementa. Undè mixtio est unio miscibilium non secundùm eorum esse formale, sed virtuale, quod una eademque forma mixti continet in se.

QUÆS-

QUÆSTIO TERTIA.

Utrùm Elementa suis in locis constituta gravitent?

Locum proprium Elementorum illum appellamus, quem ipsis à Natura ordinatum intelligimus. Sic Aër cum inter Tellurem est, ac Stellas, proprium dicitur tenere locum: sic Aqua in mari; adeò ut Terra infimum teneat locum sub Aqua, Aqua sub Aëre; undè unum Elementum sit altero gravius, aut saltèm levius. Elementa autem hæc ubi à proprio loco dimoventur, tunc ea gravitare certum est; nituntur enim proprium obtinere locum; atque quod est sub se levius sursùm trudere, & sub illo subsidere. Quod quidem ab Auctore Naturæ institutum apparet; necnon ex rerum interiore natura ducitur, ut graviora infimum, minus gravia superiorem occupent locum. Nunc autem loquimur de Elementorum in propriis locis gravitate, vel levitate, præsertim de Aqua, nàm de Aëre infrà latiùs loquemur. In qua partem afirmativam tenent omnes RR. nos verò placitum nostrum per sequentes conclusiones aperiemur.

Dicimus ergo primò; Terram, Aquam, & Aërem suis etiam in locis constituta gravitare. Ita tradidit Arist. lib. 4. de Cœlo, cap. 4. dicens: *Omnia elementa gravia sunt præter ignem, & omnia levia præter terram.* Quorum verborum sensus est, absolutam inesse terræ, aquę, & aëri gravitatem; sed eam diversam esse pro ratione densitatis illorum elementorum; undè ordo eorum invicèm est, atque ideò unum præ altero levius esse respectivè intelligitur.

Prob. conclusio: Vas aëre plenum plùs ponderat, quàm sine aëre: igitur aër est gravis. Antec. patet; nam Dom. Homberg, ut in Historia Academiæ Regiæ 1687, & recenset P. Regnault, tom. 1. pag. 294. à Vitreo folliculo, cujus diameter erat 13. unciarum, extraxit aërem crassiorem; tumque pondus folliculi una uncia imminutum erat. Iterum eamdem experientiam instituit, atque crassiore aëre exausto folliculum, cujus diameter erat

un-

unciarum 20., leviorem untiis duabus esse comperit, ut habetur in Historia Academiæ 1696. Hoc ipsum est, quod omnes uno ore fatentur, utres inflatos graviores esse, quàm vacuos, excusso nempè aëre. Similitèr Aqua in vasis contenta gravitat. Undè si in tubo longiore extent foramina plura secundùm diversum gradum altitudinis, tùm aqua in tubo contenta erumpet utique majori impetu per inferiora foramina, quàm per superiora. Hinc deniquè redditur ratio, cur vas aqua repletum demergatur, quemadmodum, & navis, ubi locum aëris occupaverit aqua gravior: ergo &c.

Dicimus 2.° Ignem saltèm respectu ad alia elementa esse levem; adeò ut nec ipso aëre sit gravior. Ita fert communis opinio, & veluti ab Auctore Naturæ indita notio. Prob. nulla sunt experimenta, quæ ignis majorem gravitatem ostendant, ut patebit solutione argumentorum: ergo. At verò ignis sursùm sempèr videmus ascendere: igitur quemadmodum terram dicimus graviorem aëre, eo quod hujus profunda petat, ita consequens est, ut ignem fateamur leviorem aëre, quia suprà aërem ascendit; proindèque ignis respectu aliorum elementorum est levis. An verò ex se gravis sit, nunc non disputamus. Corpus sanè est, & ex materia compactum. Id unum sufficit, explorare nos hic non posse ignis gravitatem. Undè Esdræ lib. 4. cap. 4. ℣. 5. Angelus Uriel hanc inter alias de rebus naturalibus quæstionem insolubilem Esdræ proponebat: *Pondera mihi pondus ignis.*

Objic. contra primam. Primò: Urinatores sub aquis, atque etiam in maris fundo quandoquè constituti non percipiunt incumbentis aquæ præssionem, & pondus: ergo aqua in mari non gravitat. Secundò: Herbæ etiam sub aquis verticalitèr directę nascuntur; sed id non posset fieri, si aquæ perpetuò gravitarent in subjecta corpora leviora: ergo. Tertiò: Situla, etsi plena sit aqua, quamdiù sub aquis est, facillimè attrahitur, nec sui ponderis sensum præbet, nisi dùm primò effertur in aërem: ergo &c. Resp. ad primum: Urinatores non percipere aquę gravitatem, quia omnes aquæ partes se mutuò non tan-

tùm

tùm secundùm lineas perpendiculares, sed etiam secundùm lineas obliquas, in æquilibrio substentant, exigente hoc liquidorum natura. Per quod etiam patet ad secundum. Ad tertium dicimus, Situlam intra aquam eo minus ponderare, quantùm ab aquis inferioribus, seù quæ sub ipsa sunt, sustentatur.

Objicies contra secundum. Primò: Boyle, cupream laminam ad ignem sulphuris in crucibulo exposuit, posteàque illam invenit ad quintam partem prioris ponderis crevisse, moleque auctam fuisse. Sexcenta sunt alia in idipsum experimenta. Et tegula (ut omnibus compertum est) ad ignem excocta acquirit majorem gravitatem: ergo ignis est aëre gravior. Secundò: Metallum quodlibet innatat metallo ejusdem speciei liquato ad ignem: ergo metallum igne fusum gravius est non fuso, & hoc ipsum non nisi ab igne obtinet: ergo. Resp. ad primum: Igni permixtos esse, & ab eodem continuò emitti plures fumos, terreosque halitus, qui, & crassiores sunt, & in majori copia, ubi materia inflammabilis crassior est; ipsorumque corpuscula sulphurea, & nitrossa ingrediuntur poros corporis ad ignem expositi, augentque illius pondus: eaque de caussa augetur pondus tegulæ. Ad secundum dicimus, metallum solidum innatare fusso, quia una cum aëre, quem continet in poris, levius volumen habet subjecto metallo fusso. Et hæc etiam est ratio, cur navis gravioribus etiam rebus onusta innatare queat aqueis. Quippè volumen earum rerum, & aëris in navi extantium, est minoris gravitatis quàm æquale volumen aquæ.

QUÆSTIO QUARTA.

Quænam figura adscribenda sit particulis minimis singulorum elementorum?

Inter illas affectiones, ex quibus elementorum naturam colligimus, una specialis est configuratio, seù figura minimarum partium, quæ elementa componunt. Nam corpo-

pora omnia ex quibusdam minutissimis particulis conflari, quas dicimus Minima Physica, & propria figura donamus, compertum omnibus est. Cæterùm cujusmodi hæc sit figura dificilè cognoscitur, eamque non nisi ex effectibus licèt nobis cognoscere. Proindè illa erit figura aptior Minimis Physicis alicujus corporis, qua concessa, obtineri, & explicari poterunt ipsius effectus. Nam etsi figura non sit activa quædam virtus, plurimùm tamen confert velut dispositio ad exercendos motus, & operationes. Quænam igitur figura minimis particulis cujuslibet elementi adscribenda sit, impræsentiarum inquirimus. Qua in re Philosophi pro more dissident. Nos verò

Dicimus, minimas Ignis particulas verisimilius esse pyramidatas; Aëris particulas esse figurę spiralis; Aquæ particulas esse oblongas, & anguillarum instàr efformatas, multiplici tamèn asperitate prædictas; Terrę tamèn particulas ramosa constare figura. Probat. prima pars: Ea figura est tribuenda particulis igneis, quæ maximè confert effectibus ignis explicandis; sed talis est figura pyramidata: ergo. Prob. min. nàm tali admissa figura, optimè intelligitur, quomodò Ignis lignum destruat; nàm vi sua veluti cuspidatus ensis partes ligni penetrans dissolvit; hinc, & duriora dividit corpora, dùm cuspidatis particulis suis, veluti totidem cuneis locum sibi facit. Aliorum item effectuum Ignis erit posteà hinc aptior exhibenda declaratio. At si ramorum instar (ut vult Cartesius) Ignis particulæ se haberent, non adeò facilè possent penetrare maximè ubi minutissimi sunt corporum pori; potiùs enim se invicèm implicarent. Ita & dificilè partes corporum pervaderent illæ particulæ, si essent rotundæ, ut tenent Gassendus, Fortunatusque à Brixia: ergo dicendum est cum Platone in Timæo, pyramidatam, sivè cuspidatam esse figuram particularum Ignis.

Prob. secunda pars de minimis particulis aëris. Figura illa minimis particulis aëris adscribenda est, quæ maximè confert explicandis phænomenis, seù effectibus

ab

ab aëre provenientibus; atqui hujusmodi est spiralis figura: ergo &c. Min. prob. Aër comprimitur, & elastica virtute, ut infrà dicemus, se se restituit, & dilatatur, sublata vi comprimente; maximè fluidus est, ac mobilis; ejusdemque particulæ invicèm sibi aliquatenùs cohærescunt, & adhærent etiam corporibus illis, quæ tangunt; sed hæc omnia per solam spiralem figuram aptiùs explicari possunt: ergo. Maj. quo ad priores aëris affectiones posteà patebit; prob. min. Ubi aer comprimitur, contrahuntur aëris spiræ, & postmodùm sublata vi præmente, spiræ istæ resiliunt, extenduntur, ac dilatantur. Adhæsio etiam illa particularum aëris ad invicèm cum externis corporibus ex spirali figura optimè explicatur; at verò figura rotunda non satis congruit elaterio, & adhæsioni aëris: figura autem ramosa nec eidem elaterio, nec aëris fluiditati, ac motui aptè respondet: igitur &c.

Prob. tertia pars: Si minimæ particulæ aquæ dicantur oblongæ, & anguillarum instar efformatæ, multiplicique asperitate præditæ, apta redditur ratio motus, & fluiditatis, aliorumque effectuum aquæ: ergo &c. Prob. antec. hinc motus ipse, & fluiditas aquæ facilè intelligitur, per hoc quod illæ particulæ aliæ aliis more anguillarum incumbentes supponantur, & lubricæ sint; atque adeò per plana inclinata præsertim faciliùs ruant. Ex eadem illa configuratione continuitas habetur partium aquæ, & illarum invicèm adhæsio, quæ maximè ab illarum asperitatibus fovetur: ergo.

Prob. deniquè pars quarta de minimis terræ particulis. Partes terræ invicèm validiùs cohærent; sed hoc ipsum faciliùs intelligitur, si illis ramosam concedimus figuram: indè enim fit, ut ipsæ invicèm se firmitèr complectantur, nec facilè locum præstent divissioni: ergo minimis terræ particulis figura ramosa tribuenda est. Nequè tamen oportet, Epicureas atomos, quas ramosas dicunt, vel tertium Cartesii elementum, ramorum instar figuratum, hic approbare; cum ramosa figura etiam sinè illis consistat, immò verò atomis indivisibilibus nequaquàm convenire possit.

Ob-

Objicies contra primam ex P. Fortunato. Si corpuscula ignis pyramidata sunt, ut divisionem faciant, debent secundùm angulos recta sempèr impigere in corpus divisibile; nam si in illud incidant secundùm planam superficiem, pervadere non possent; sed non est assignabilis ratio, cur tales particulæ rectæ sempèr dirigantur: ergo non habent pyramidatam figuram. Resp. conces. maj. neg. min. Nam ea, quæ sursùm moventur, si pyramidata sunt, cuspide directa moventur, plana superficie ad centrum conversa. Cum igitur ignis, & proprio intestino motu concitetur, & ab aëre etiam pellatur, atque hac, illac circumundique, præsertim verò sursùm moveatur; indè apparet ratio, cur basi depræssa, cuspide autèm erecta, ignis corpuscula, in objecta corpora impingat. Argumenta autèm, quæ contrà alias partes fieri possunt nullius sunt roboris; ideòque illa omittimus.

Nunc tamèn elementa propriis eorum definitionibus explicamus. Et primò *Ignis est elementum, cujus natura exigit pingue, oleosum, & crassum alimentum, quo nutriatur; figuram pyramidatam, qua disponatur ad operandum; intestinum motum suarum partium, quo objecta corpora dissolvat; siccitatem demùm, & potissimùm summam caliditatem.* De aëre, & aqua infrà loquemur; quarè terra est *elementum siccitate, & frigiditate donatum, ramossis partibus compactum, diversasque, ac penè innumeras rerum species continens.* Hæc definitiones fuso calamo à nostro explicantur Ferrari, apud quem possunt videri.

QUÆSTIO QUINTA.

Utrùm Aër gravis sit, & elasticus?

Quid sit gravitas in præcedenti liquet quætione. Elaterium autem vis est, qua corpus præssum resilit, & sublata vi comprimente, se se restituit: cujus specimèn in ramo viridi apparet, & in lamella chalybis. Quærimus ergo, an aër gravis sit, & elasticus? Itaque *com-*

pressio corporis est coartatio massæ, seù materiæ ejusdem corporis in minus volumen, seù in minorem extensionem, facta per impulsum, aut præssuram alterius corporis. Idem est *condensatio*, quæ vi frigoris efficitur. *Dilatatio* corporis est expansio massæ in majus volumen, quam facta compressione corpus habuerat. Quod idem est *Rarefactio* vi caloris effecta. Quibus notatis.

Dicimus, aerem gravem esse, & elasticum. Prob. ergo simùl utraque pars. Si in globum metallicum syringis ope plùs aëris includas, quàm in illo anteà haberetur; auctum globi pondus animadvertes: quod aëris compressionem significat, ut sub eodem volumine aucta sit massa, adeòque gravitas. Ubi verò quidquid aëris, vi intrusum fuerat, exire permiseris; idem, ut priùs erit globi pondus: quo colligitur, aërem anteà compressum se rursùs dilatare, & vi elastica ad priorem statum se restituere, ut eadem, quæ priùs, sit massa, & gravitas. Quarè si aperto vasis alicujus orificio, cæteribus paribus, aëris portionem quamdam egredi animadvertamus, cognoscimus etiam, aërem in eo vasse fuisse compressum magis, quàm aër externus.

Si vessicam aëre mediocritèr repletam, firmitèrque constrictam ad ignem admoveas, ea non solùm distenditur, sed & ingenti fragore disrumpitur; nimirùm quia aër caloris vi rarefit. At si antequàm vessica disrumpatur, eamdem removeas ab igne, statim illa flacida evadit; quia aër intrà vessicam conclusus, vi frigoris coartatur in volumen minùs, & condensatur: igitur &c. Undè aër definiri sic valet: *Aër est elementum, grave, elasticum; capax compressionis, & dilatationis; densitatis etiam, ac raritatis; summè mobile, ac fluidum, & calidum; cujus particulæ spirali gaudent figura, & nonnihil adhæsionis habent inter se se, & cum aliis corporibus.*

QUÆSTIO SEXTA.

An præter aërem crassiorem admittenda sit subtilissima ætherea substantia?

Aërem crassiorem existere fumis, vaporibusque refertum, omnibus compertum est. In præsenti ergo disserimus de subtilissimi aëris existentia, quem ætheream substantiam appellare consueverunt, quia purior est, ac sublimior, & per totum spatium à Cœlo ad Tellurem circumundique difunditur. Gassendus autèm, & Newtonus in cœlesti regione ætheream substantiam extare non concedunt, nec aliud in regione illa admittunt, nisi radios Syderum veluti tenuissima quædam fila, quaquaversùm diffussa: undè, & cœlestia corpora in vacuo moveri docent. Nos tamen

Dicimus, admittendam esse subtilissimam ætheream substantiam, quæ utique diffussa sit. Prob. In Machina Pneumatica extracto aëre crassiore, nihilominùs subtilissima quædam substantia poros vitri permeat, per quos aër crassior trajicere non potest: ergo reverà existit subtilissima æthera substantia. Prob. antec. In vitro prædictæ machinæ apparet lux vivida, quæ circunstantium oculos commovet; atqui lux, vel substantia est, ut docent Recentiores; vel si est accidens, non nisi in substantia existit: ergo in eo vitro habetur subtilissima ætherea substantia. Aërem autem crassiorem non ibi extare, manifestum fit, quia animalia, quæ eumdem aërem ad suæ vitæ conservationem necessariò exposcunt, ibidem constituta, moriuntur: ergo.

Idipsum evincitur etiam, quia cujuscumque corporis partes, etiam subtiliores, ita sunt inter se connexæ, ut infinitos propè meatus admittant: ergo requiritur subtilissima ætherea substantia, quæ meatus illos repleat. Patet consequentia; nam crassior aër marmoris, aut vitri, aut metalli subire non potest cæca foramina adeò exigua. Gassendus autem, & Newtonus existentiam hujus subtilissimæ substantiæ fateri coguntur, ut lucis naturam,

ram, ejusque difussionem tueantur ; nam uterque docet lucem esse corpus, & substantiale effluvium; atquè hinc probamus, ætheream substantiam in cœlesti regione circumundique diffussam esse: quippè lux Solis illustrat immensa cœlorum spatia, nec eorum pars aliqua assignari potest, quæ luce non sit affecta: ergo.

Objic. 1.° Ætherea substantia admittitur, ut repleat poros corporum adspectabilium ; sed ea substantia non est satis idonea huic muneri exhibendo: ergo. Prob. min. Sicut cætera corpora poros habent, ita etiam æther poros habebit: ergo si ad replendos illos poros admittenda est ætherea substantia, ad hujus poros implendos alia substantia subtilior debebit admitti, & sic in infinitum: ergo &c. Resp. neg. min. & ejus probationem. Nam cætera corpora habent poros, quia ipsorum partes crassiores sunt, & plurimùm tenaces propriæ figuræ ; undè fit ut invicèm artissimè cohærere non possint. Igitur è conversò, quia partes ætheris tenuissimæ sunt, & non adeò tenaces propriæ figuræ, ipsius partes invicèm perfectè adaptari possunt, nec poros intercipiunt.

Objic. 2.° Si in Cœlesti regione existeret substantia ætherea, quamtumvis ea tenuitatis, raritatisque maximæ dicatur, aliquo saltèm modo resisteret motui Cœlorum ; tunc lucis radios reflecteret, ipsiusque rectilineum impediret ; hoc est absurdum, & contrà experientiam: ergo. Resp. neg. maj. cum enim ætherea substantia sit subtilissima, fluidissima, & rarissima, atque subindè aptissima ad motum, nullatenùs obsistit cœlestium corporum motui, & facillimè ab isto vincitur; & cum diaphana sit, lucis radios non reflectit, nec ejus impedit rectilineum. Sicut ergo, Newtono ipso consentiente, subtilissima lucis corpuscula non retardant, nec impediunt motum Planetarum, ità de substantia ætherea dicendum est.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De effectibus ab aëris gravitate, & elaterio provenientibus.

Multa mira, & portentosa phænomena contingunt in *Machina Pneumatica*, qua mediantè aër crassior ex vasibus educi potest. Experientia etiam compertum est, liquores in tubis ascendere, aut in illis suspensos hærere, aquam etiam quorundam instrumentorum ope sursùm attolli, contra ac naturali gravitate nitatur; & pleraque alia similia sæpè occurrunt. Horum nos effectuum physicam efficientem caussam investigare intendimus. Et

Dicimus, penè omnes effectus, qui in Machina Pneumatica exhibentur, tùm etiàm gravium liquorum in tubis suspensionem, necnon pleraque alia, quæ ad Vacuum dicuntur pertinere, ex aëris gravitate, & elaterio, veluti à caussa efficiente, ritè repeti posse: etsi quandòque ad illa præstanda accedant circumstantiæ configurationis liquorum, eorumdem motus, & tuborum dispositio.

Prob. Id rectè constituimus, si ex aëris gravitate, & elaterio optima reddatur ratio eorumdem effectuum; sed ex aëris gravitate, & elaterio optima redditur ratio illorum effectuum: ergo &c. Maj. est evidens, & omnium consensu obfirmata; nequè enim physicam efficientem caussam phænomenorum aliundè cognoscere fas est, nisi ex ipsius cum phænomenis proportione, & consonantia. Min. latissimè prob. à nostro Ferrari, tùm eorumdem effectuum explanatione, tùm posteà dissolutione adversantium argumentorum, quæ omnia apud ipsum videnda relinquimus.

QUÆS-

QUÆSTIO OCTAVA.

Utrùm Aqua sit elastica, ejusque particulæ minimæ invicèm sibimet adhærescant?

Certum enim est, multum aëris intra aquam contineri, undè ratione aëris contenti videtur aliquandò habere elaterium. Quærimus ergo primò, an ex se se habeat illum? Secundò: Utrùm minimæ particulæ ipsam componentes sint invicèm consociatæ, & continuæ, & sibi mutuò adhærescant, an non? Est enim opinio Galilei in Dialogo 1.° *De duabus novis scientiis*, aquam non solùm in minima, seù in atomos, sed etiam in puncta mathematica sic esse divisam, ut ista nullo glutine invicèm socientur, & adhærescant. Nos tamen.

Dicimus, Aquam per se se non gaudere elastica virtute; ejus autem particulas minimas invicèm adhærescere, & consociari. Prob. prima pars: Experientiis compertum est, nullam esse in aqua elasticam virtutem: ergo. Prob. antec. Joann. Baptista Malmedit (ut habetur in Diario Eruditorum Transalpinorum titulo 167.) in sua Disquisitione Physico-Medica *de Natura Aquæ*, refert, concavam pilam auri, exactè repletam aqua, validissimis resistere ictibus mallei, quin aliqua ex parte complanetur. Quod ipsum Du-Hamel sepè se expertum fuisse testatur. Ita, & dùm aquam vase plumbeo inclusam conati sunt alii comprimere, contigit, ut subtiliores spiritus aquæ exitum sibi fecerint per plumbi poros: ergo aqua comprimi non potest; sed quod compressionis incapax est, nec dilatari, nec se elaterio restituere valet: ergo &c. Hinc in Transationibus Philosophicis Societatis Regiæ Britanicæ legimus: *Aqua non habet elasticitatem, nisi ratione aëris in se contenti; nàm experientiis non constat elasticitas aquæ.*

Prob. secunda pars. Multis constat experientiis, minimas aquæ particulas invicèm adhærescere, & consociari: ergo ità est. Patet antec. nam si ex tenui fistula, quæ utrimque aperta sit, & aquis repleta, guttatim

aquam

aquam decidere sinamus; gutta aquæ primò elongatur, & pendula suam cum aqua reliqua, debilem licèt, cohærentiam clarè demonstrat, quamvis demùm glutino victo per gravitatem, gutta abrumpatur, & cadat: ergo aquæ particulæ sibi mutuò cohærent. Tamen aqua non nisi adhibita vi, & maxima cum dificultate quorundam corporum subit meatus; atqui si aqua omninò resoluta est in sua ultima componentia, atque interiore quolibet glutine suis in partibus caret, nulla profectò suppetit ratio, cur expedita non sit ad quoslibet poros pervadendos: ergo indè falsitatis convincitur Galilæi opinio.

Sed objicies pro ipso; si aqua in minutissima puncta non est resoluta, & divisa, explicari non potest, cur tàm æquabilis sit ubique aquæ superficies, adeò ut nullibi altior sit, aut depressior. Nam acervus tritici, cum ex granis majusculis constet, in cumulum facilè congeritur. Similitèr minutissima arenæ granula etiam in cumulum congeruntur: ergo si aqua &c. Resp. æquabilitatem illam aquæ ex minutis quidèm particulis aliqua ex parte educi, non divissis, sed sibimet ad herentibus. Nàm partes ipsæ oblongę, & asperitatibus præditę, ac ipsius aquæ gravitas hunc effectum procreant; cui etiam plurimùm confert aëris æquabilis præssio.

Denique aquæ elementum sic describere possumus: *Aqua est elementum, cujus natura exigitiva est summæ frigiditatis, necnòn, & humiditatis citra excelentiam; illius partes minimæ figuram habent oblongam, & asperitatibus donatæ sunt, atque invicèm sibimet adhærescunt, sic tamèn ut nulla vi comprimi possint, nec elastica polleant virtute.*

DIS-

DISPUTATIO QUARTA.

De Essentia Corporis naturalis, ejusque integritate.

QUÆSTIO PRIMA.

In quo constituenda sit essentia corporis?

De Corpore hic loquimur, proùt à spiritu secernitur; & inquirimus, in quo constituenda sit ejus essentia? Pythagoras, Epicurus, & Stoici illam in triplici dimensione in longum, latum, & profundum constituunt. Id ipsum docuit Cartesius 1. part. Princip. num. 53. in unam confundens illam duplicem extensionem in ordine ad se, & in ordine ad locum, quam in Logica docuimus. Alii autem RR. solam extensionem localem pro essentia corporis habent. Newtoniani docent essentiam corporis sitam esse in soliditate impenetrabili. Nonnulli Philosophi in ipsa impenetrabilitate naturam corporis constituunt; alii in actuali impenetratione: nos tamen

Dicimus, essentiam corporis sitam non esse in extensione actuali in longum, latum, & profundum; quocumque modo id accipiatur; sed in extensione in ordine ad se. Prob. 1.° Nulla res existere potest sine sua essentia, ne quidèm per Divinam virtutem; sed corpus existere potest sine extensione in longum, latum, & profundum: ergo ejusmodi extensio non est essentia corporis. Maj. est evidens: prob. min. Corpus Christi D. in Venerabili Eucharistiæ Sacramento existens, ex definitis ab Ecclesia in Concilio Generali Constantiensi, est verum corpus, & illud idem, quod fuit in cruce; sed Corpus Christi D. in Eucharistia existit sinè actuali extensione in longum, latum, & profundum: ergo &c. Prob. min. Concilium Tridentinum Ses. 13. cap. 3. sic definit: *Totus, & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte existit*: ergo Christi Corpus in Eucharistia totum est in toto hostiæ loco, & totum sub qualibet loci

par-

parte; atque adeò existit ibidèm sinè extensione in longum, latum, & profundum: ergo extensio illa, sivè juxta Cartesii doctrinam, sivè juxtà aliorum RR. sententiam, non est essentia corporis.

Prob. 2.° Essentia alicujus rei est prædicatum primum, & intimius ejusdem rei; ideòque nullum aliud prædicatum præsupponit in ipsa re; sed extensio actualis in longum, latum, & profundum præsupponit partes, quæ locum hoc modo replere possint: ergo extensio illa non est essentia corporis. Deindè, extensio actualis pertinet ad actum secundum; omnis autem actus secundus præsupponit actum primum, seù potentiam, & hæc essentiam rei supponit, cui conveniat: ergo &c. Hinc etiam convincimus, corporis essentiam non esse impenetrationem actualem, quia ex dictis partes corporis Christi in Eucharistia existentis penetrantur in eodem loco. Nequè essentia corporis statui potest in soliditate impenetrabili. Etenim idea soliditatis, & impenetrabilitatis supponit ideam extensionis, & partium pluralitatem.

Hæc universim diximus adversus Philosophos RR. Nunc specialitèr tria argumenta ex lumine naturæ petita Cartesio opponimus. Et primò: Ratio ipsa naturalis declarat, mundum non esse infinitum, nec infinitos mundos existere; sed si essentia corporis esset extensio in longum, latum, & profundum, quomodò Cartesius docuit, aut mundus esset infinitus, aut infiniti mundi existerent: ergo essentia corporis non est extensio in longum, latum, & profundum. Maj. est evidens, à nulloque negatur. Prob. min. Spatium, & corpus in Cartesii sententia sunt omninò idem; nam spatium, cum sit extensum, est corpus; sed ultrà quoscumque conceptus mundi fines, adhuc concipimus spatium: ergo mundus nullos habet fines; sed quod fine caret, est infinitum: ergo mundus est infinitus. Rursus spatium, & corpus omninò sunt idem; sed extra mundum possumus imaginari infinita spatia invicèm distincta, & sejuncta: ergo infiniti extarent mundi. Vidimus enim suprà Cartesium

ea spatia realia habere, quoniam clara, & distincta idea se spatia illa percipere dicebat.

Secundò: Ratio naturalis ostendit, nullam creaturam necessariò esse eternam, & Deum libertate sua creasse omnia; at si vera est Cartesii sententia, mundus, seù materia necessariò extitisset ab æterno: ergo sententia Cartesii falsa est. Maj. est evidens; prob. verò min. Spatium, & corpus, ut Cartesio placet, sunt omninò idem; sed ante creationem mundi, fas est concipere spatium, quod à Philosophis imaginarium, à Cartesio verum, & reale corpus dicitur: ergo spatium illud ante mundi creationem erat corpus: ergo semper fuit: ergo corpus, seù materia necessariò existit ab æterno.

Tertiò: Ratio naturalis probat, Deum esse substantia sua immensum, & ubique diffusum; ostendit etiam, Deum esse spiritum, non corpus; sed sententia Cartesii admissa, aut Deus non esset immensus, aut Deus esset corpus: ergo sententia Cartesii non est admittenda. Prob. prima pars min. Ea substantia immensa est, quę ubique præsens est, & secundum se est ubique diffusa; sed Divina substantia nullam haberet extensionem, sivè diffusionem sui ipsius; omnis enim extensio, Cartesio docente, est corpus: ergo Divina substantia non esset immensa. Prob. secunda pars: Omnis illa substantia, quæ aliquomodò diffusa est, & extensa, si Cartesio credimus, est corpus; sed Divina substantia ratione suæ immensitatis est aliquomodò diffusa, & extensa: ergo Divina substantia, si est immensa, est corpus: igitur &c.

Objic. 1.° Illud est rei alicujus essentia, quod primum in ea concipitur; sed trina extensio est, quod primum concipitur in corpore, quodque ab eo nec cogitatione quidèm separari potest: ergo trina extensio est essentia corporis. Secundò: Quodlibet spatium est corpus: ergo extensio, & corpus sunt idem, ac proindè extensio est essentia corporis. Prob. antec. Spatium habet dimensiones; aliundè autem non est nihil, aliàs corpus, quod extenderetur in spatio, extenderetur in nihilo: ergo &c. Resp. ad primum concess. maj. dist. min.

quæ

quæ vera est de corpore mathematico ; falsa verò de corpore physico ; & in eodem sensu distinguo conseq. Itaque Cartesiani falluntur corpus physicum confundentes cum mathematico.

Ad secundum resp. ejusmodi nænias exsuflatas fuisse à Subtilissimo Præcept. nostro jàm pluribus ante Cartesium annis. Itaquè ex ejusdem Doctoris Quolibetalium Q. 11. dicimus, spatium non habere dimensiones possitivas, sed tantùm possibilitatem ad ipsas cum carentia cujuslibet actualis dimensionis. Quapropter spatium non est omninò nihil, nec tamèn est corpus. Hinc D. Aug. lib. 4. de Genes. *ad litteram*, & lib. 25. contra Faustum affirmat corpus esse in spatio, & spatium à corpore ocupari. Nomen autem spatii æquivocum est. Datur enim spatium plenum, quod est corpus ipsum; & intelligitur spatium vacuum, quod est privatio corporis, quoniam *innane cum dicitur* (ait laudatus Aug. lib. 8. de Genes. ad litteram cap. 16.) *intuendo corporis plenitudinem, privatione ejus, tamquam contrario, quid dicatur innane intelligimus.* Si verò Cartesiani admirantur, quomodò res extendatur in spatio, quod in se nihil est; an ignorant primam rerum creationem, qua res in nihilo positę sunt? Si tamèn objiciant nobis aliquas auctoritates S. Aug. & S. Basilii, quæ essentiam corporis in trina dimensione videntur constituere, certè respondebimus prędictos DD. non definire corpus, nec intimam illius essentiam exquirere, sed illud describere per affectiones omnibus notissimas; cujusmodi est trina illa dimensio.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrùm natura physicè considerata referatur ad principium activum, vel ad passivum?

Nomen naturæ multiplicitèr accipitur. Sæpè enim pro Deo ipso sumitur, quomodò illud accipit D. Aug. lib. 15. de Trinitate, cap. 1. Sæpè etiam sumitur pro caussis secundis, aut pro rerum Universitate, vel pro illo

illo ordine, quem Deus creatarum rerum Universitati præfixit. Quandoque significat rei essentiam, & sæpè indicat illud omne, quod per vires proprias à creaturis effici potest. Denique proùt ad præsens attinet: *Natura*, dicitur, *principium*, *& caussa motus*, *& quietis ejus*, *in quo est primo*, *& per se*, *& non secundùm accidens*. Quam definitionem ferè in ipsis terminis tradidit Philosophus lib. 2. Physicor. cap. 1. & ut bona, & essentialis cum additamento ab omnibus ferè cum nostro Villa-Castin admittitur.

Natura enim *principium* dicitur, *& caussa*, nàm quid positivum est; undè privatio excluditur à ratione naturæ; quod enim nihil est, nihil caussare potest. Est autem *caussa motus*, *& quietis*: ubi nomine motus intelligimus non solùm motum localem, sed quamlibet mutationem naturalem, per quam aliqua perfectio accidentalis acquiritur; atque huic mutationi quies correspondet, quæ obtinetur per acquisitionem formæ, seù perfectionis convenientis. Deindè *natura est principium motus*, *& quietis ejus*, *in quo est*, quia intrinseca eidem est, undè agentia extrinseca non dicuntur natura. Denique dicitur *primò*, *& per se*, *& non secundùm accidens*; quia naturæ nomine ipsa rei substantia intelligitur, quę principium est primum, intimius, & radicale, ac *per se* motus, & quietis; & ideò principia proxima mutationis alicujus, caussæ etiam artificiales, & quæ accidentaliter ad mutationem concurrunt, non habent rationem naturæ.

Jàm verò ex infra dicendis creaturæ habent virtutem activam, qua proprias sibi perfectiones acquirunt, & effectus producunt. Habent etiam principium passivum, seù potentiam passivam, qua suscipiunt perfectiones juxtà suam naturalem inclinationem, quo certè distinguntur à violento, quo suscipiunt perfectiones contra naturalem inclinationem. Creaturæ paritèr per naturale principium activum distinguntur tùm ab agentibus liberis, tùm à caussis supernaturalibus, quæ, scilicèt, naturæ vires excedunt. Quandoquè autem subjectum nec

for-

formam repugnat, nec illam exposcit, sed indifferentèr se habet ad ipsam, ut lignum v. gr. indifferens est ad orbicularem, aut cubicam, aliamvè figuram; tuncquè subjectum comparatum ad illam formam, dicitur *potentiam passivam neutram* habere respectu illius.

Quærimus igitur, utrum ratio naturæ conveniat rei, quatenùs habet in se principium activum motus, & quietis; an verò proùt dicit principium passivum respectu formæ, quam suscipit, & sub qua intelligitur quiescere, velut sub perfectione sibi conveniente; id enim nunc quietis nomine significamus?

Dicimus, naturam physicè consideratam per se, & formalitèr solùm convenire principio passivo, & per accidens se habere, quod sit principium activum motus. Ita S. D. sæpè, sed clarissimè in 2. dist. 2. Quæst. 10. §. *Concedo*, ℣. *Tamen*, num. 9. ubi ait: *Motus non est naturalis in se ex hoc, quod habet principium activum in se, sed solum ex hoc, quod mobile habet principium intrinsecum passivum naturalitèr inclinans ad motum.* Et subdiit: *Licèt hic::: principium activum sit principium movendi, non tamèn propter illud principium activum movetur naturalitèr, sed propter principium passivum, &c.*

Prob. ex definitione naturæ, in qua dicitur, *quod est principium motus, in quo est primò, & per se, & non secundùm accidens*; sed tantùm principium passivum motus inest corpori naturali primò, & per se: ergo illud solum est essentialitèr naturæ constitutivum. Prob. min. Quod est in uno proptèr aliud, non inest illi primò, & per se, sed solùm per accidens; sed quodvis principium effectivum motus est in ente naturali propter principium passivum illius, id est, ut acquirat per motum à se productum aliquam perfectionem, ad quam habet naturalem inclinationem, ut patet in principio intellectivo, & volitivo efficientibus, quæ sunt propter perfectiones potentiarum recipientium illorum actus; & in principio nutritivo, alterativo, & motivo ad locum: ergo tantùm principium passivum ad motum est essentiale naturæ constitutivum.

Du-

Dubitabis hic, quibus rebus conveniat ratio naturæ? Et 1.° Resp. S. D. in 2. dist. 18. §. *Arguitur etiam*, ℣. *Ad illud*, num. 6. ubi ait: *Dico, quod natura, ut est principium passivum, dicitur non solùm de materia, sed etiam de forma.* Prob. materia, & forma verè, & essentialitèr constituunt compositum substantiale naturale; sed compositum naturale nequit constitui ex non naturis: ergo. Respond. 2.° Substantiis spiritualibus creatis convenire rationem naturæ. Prob. quia tales substantiæ, Angeli nempè, & animæ rationales, verè habent proprias affectiones à principiis intrinsecùs fluentes, & de novo acquirunt accidentia sibi connaturalia, ut intellectiones, volitiones, & motus locales: ergo tales substantiæ habent rationem naturæ.

QUÆSTIO TERTIA.

Utrùm continuum componatur ex partibus sempèr divisibilibus, an verò ex indivisibilibus?

Celebris, & multo ingeniorum dissidio agitata est quæstio præsens de continui compositione, seù de corporis integritate. Itaquè continuum est compositum quoddàm ex pluribus physicè unitis, & continuatis; in quo distinguitur à contiguo; nàm contigua sunt, quæ tangunt se invicèm absque unione physica, ut locus, & locatum. Duplex autem est continuum, alterum permanens, cujus scilicèt componentia simul coexistunt, ut lignum, lapis &c. alterum succesivum, cujus componentia non coexistunt simul, sed fluxu quodam alia aliis succedunt, ut motus, & tempus. Continuum non solùm dicitur quantitas permanens, aut succesiva, sed etiam substantia, & omnia accidentia materialia; cum enim hæc omnia, sæclusa quantitate, habeant partes entitativas, ut diximus in Logica, ideò hæc omnia sub nomine continui comprehenduntur.

Quærimus ergo, an continuum ita componatur ex partibus, ut istæ sempèr dividi quæant in infinitas alias par-

partes, quarum ultima numquàm valeat asignari, quemadmodùm affirmant Peripatetici cum Arist. lib. 6. Physicor. quod & approbavit Scotus in 2. dist. 2. Quæst. 9. §. *Ad secundum*, num. 10. & deincèps, aliisque in locis? An verò partes continuum componentes resolvantur tandèm in puncta indivisibilia, sivè indivisibilia etiam mente, hoc est, mathematica, ut Zenoni, Zenonistisque placuit, seù indivisibilia solùm reipsa, ut volunt Atomistę, quorum opinionem jam supra declaravimus. Cartesius autem ut hanc maximam difficultatem declinet, continuum vocat *indefinitum*; qua tamen voce suis iludit lectoribus, difficultatemque non resolvit. Non enim loquimur de continuo, ut respectu nostrum se habet, sed de illo potiùs ut est in se; quo sensu vel indivisibilia velut terminos habet, vel partibus constat in infinitum divisibilibus.

Cæterum quia in utraque sententia Peripateticorum scilicèt, & Zenonistarum, Epicureorumque gravissimas invenimus difficultates, nostrum erit pro utraque parte rationes omnes, omniaque argumenta, ac responsiones exponere; posteaque de ipsis reflexè judicium ferre. Quapropter sit primum argumentum pro sententia Peripateticorum.

Si continuum constaret ex solis indivisibilibus, non haberet extensionem, ac magnitudinem; sed continuum gaudet extensione, & magnitudine: ergo non constat ex solis indivisibilibus. Prob. maj. indivisibile additum indivisibili, etsi faciat plus, non tamen facit majus, nec magis extensum: ergo &c. Prob. ant. ut ex duobus unitis fiat aliquod majus, quàm ex uno solo, debent illa duo ita inter se uniri, ut unum sit extrà aliud aliqua sui parte; si enim palmus non sit extra palmum, profectò non facit bipalmare; sed punctum additum puncto non est aliqua sui parte extra illud; etiamsi plura, & plura puncta simùl ponantur; nam punctum non habet partes, secundùm quas possit esse extra aliud punctum: ideòque dum punctum unitur puncto, tangit illud secundum se totum, & penetratur cum illo; ac subindè non est extra illud: igitur &c.

Rur-

Rursus atomi indivisibiles debent esse figuratæ, & extensæ, ut valeant constituere aliquod extensum; sed assèrere atomos esse simùl indivisibiles, & extensas, ac figuratas, est affirmare contradictorium; extensio enim ne quidem intelligi potest sinè partibus, quarum una sit extrà aliam: nec figura haberi potest, nisi extent partes, quæ per figuram disponantur. At punctum sinè partibus est, ut doctiores Epicurei docent, & ut supra notavimus; punctumque mathematicum ab Euclide definitur: *Cujus nulla pars est*: ergo.

Respondent Epicurei, quod licèt unum punctum non faciat extensum, tamen ex quo plura, & plura puncta simùl uniantur, facient extensum, quia si spectentur. V. gr. tria puncta A. B. C. etsi B. tangat A. secundùm se totum, non tamen C. tangit A. secundùm se totum. Vel si tangit illud secundùm se totum, sed non totalitèr, nec illud penetrat. Alii in unoquoque puncto eamdem, & simplicem admittunt entitatem, non tamen eamdem faciem, & superficiem. Alii tandèm tenent puncta esse quidèm indivisibilia formalitèr, sed virtualitèr divisibilia; eo modò, quo spiritus secundum se indivisibilis, virtualitèr est divisibilis, quatenùs ocupare potest spatium divisibile.

Urgent tamèn Peripatetici. In casu punctum C. tangeret punctum A. secundùm se totum: ergo ruit solutio prima. Patet subsumpta, nam vel punctum B. medium tangitur à puncto C. secundùm illud idem, in quo tangitur ab A.; vel secundùm aliud? Si hoc posterius dicatur: ergo punctum non erit ampliùs indivisibile; quia dividi poterit in id, in quo tanguitur ab A., & in id, in quo tangitur à C.: igitur primum illud oportet affirmare; ideòque punctum C. tangit punctum A. secundùm se totum, & secundùm omne id, in quo tangit punctum B. Et hoc ipso puncta se penetrant, & in illis non valet distingui, *totum*, & *totalitèr*. Deindè ubi nullæ sunt partes, ibi nulla est facierum diversitas, ut patet ex dictis. Demùm chymerica omninò est illa virtualis punctorum divisibilitas, & ad intentum inutilis; nam cum Continuum

nuum sit formalitèr extensum, partes illud componentes debent esse formalitèr extensæ: ergo.

Secundum Peripateticorum argumentum. Si continuum ex punctis indivisibilibus constaret, mobile tardissimum, ut Testudo, eadem omninò velocitate moveretur, ac mobile velocissimum, ut Aquila; sed hoc est absurdum: ergo continuum non componitur ex indivisibilibus. Prob. maj. Incipiant simùl moveri Aquila, & Testudo, neutraque ex illis cesset à motu; atquè nunc inquirimus; cùm Aquila pertransit unum punctum, vel Testudo pertransit aliquid, vel non? Si primum: ergo cum non possit minus, quam indivisibile acquirere, æqualitèr cum Aquila movebitur. Si secundum: ergo Testudo quiescit; quod est contra hypotesim, qua supponimus, continuò moveri.

Respondent Epicurei suas atomos indivisibiles esse, tamen extensas, in quò differunt à punctis Zenonicis, quæ omninò inextensa sunt. Undè fieri potest, ut Testudo mediam tantummodò partem atomi percurrat, dum Aquila plures atomos pertransit. Alii verò Epicureorum affirmant, motum omnem quibusdam esse morulis interruptum: ita ut motus Aquilæ eatenùs sit velocior, quia paucioribus morulis interruptus est; ac motus Testudinis sit tardior; quia plures interjectas habet morulas.

Instant Peripatetici. Cum dicitur, atomos esse indivisibiles, ac simùl extensas, duo invicèm contradictoria statuuntur. Nàm si atomus extendi potest, dividi etiam poterit, saltèm per Divinam virtutem. Quare hæc responsio recidit in argumentationem primam. At adversùs confictas illas morulas inevitabile fuit sempèr argumentum illud de ingenti rota æneâ, vel marmoreâ, cujus partes superiores velociùs moventur, quam inferiores, quæ centro viciniores sunt. Siquidèm æquali tempore plus spatii conficiunt illæ, quam istæ. Numquid enim partes inferiores aliquando quiescunt, dum superiores moventur? Quod si ita est, quomodò non discontinuantur? Non enim possunt duo continuari, si ita

se habent, ut uno quiescente, aliud moveatur.

Tertium argumentum Peripateticorum plurimas continet Geometrarum demonstrationes, ex quibus putant Peripatetici, se ostendere posse infinitam continui divisibilitatem. At quia nos, ut in Præfatione Physicæ animadvertimus, fatemur, non esse legitimam ratiocinationis vim à statu mathematico ad statum physicum; nàm demonstrationes Geometricæ legitimæ sunt, ut à Geometra proponuntur, nimirùm si extensio sola spectetur, non res extensa; si lineæ, & puncta considerentur, ut sunt in mente Geometræ, non uti sunt in rerum natura; proindè arbitramur, tales demonstrationes neutri circa continuum opinioni favere; ideòque ipsas apud AA. videndas relinquimus.

Audiamus jàm primum Epicureorum argumentum. Si continuum, sivè corpus est divisibile in infinitum, corpus exiguum, ut granum tritici, vel arena maris, aut etiam minutissimum illud Animalculum, quod oculo nudo est invisibile, & in cera solet manere, atquè Acari nomen habet, infinitas actu partes in se contineret; nàm corpus tantùm est divisibile in ea, quæ continet; sed omninò imperceptibile est, infinitas partes contineri in tàm exiguo corpore; adeò uti si Deus per totam æternitatem illud divideret, numquàm deveniret ad ultimam divisionem, sed sempèr alia, & alia pars accipienda permaneret: ergo continuum non constat ex partibus sempèr divisibilibus.

Respondent huic maximæ difficultati Peripatetici, imaginationi quidèm videri hæc omnia imperceptibilia, non tamèn ita esse. Etsi enim illæ partes sint numero infinitæ, tamen in infinitum decrescunt, ideòque non possunt facere extensionem infinitam; sed cùm sint partes communicantes, quæ nullam habent determinatam mensuram, sed secundùm aliquam proportionem sempèr minores, & minores sint; ideò aliam extensionem non habent, nisi quam obtinet totum continuum, cujus sunt partes. Hinc putant nihil se absurdi affirmare, dum concedunt unum arenulæ granum, aut oculum etiam

Aca-

Acari dividi posse in partes infinitas, licèt hoc nostrum videatur excedere captum; nàm plura alia illum excedunt, & evidentissima sunt.

Sic, teste Rohaultio, uncia auri in folia tenuissima, & quadrata, plusquàm ducenties mille, ab Artificibus contunditur. Deindè in massa argenti cum foliis auri confusa, & deducta in tenuissima folia ubiquè deurata, cubus auri quinquè linearum altitudinem habens in sexcentum mille, & amplius partes æquales, & sensibiles dividitur. Quod cum homines, qui instrumenta adeò rudia adhibent efficere possint; an dubitamus, quin naturæ subtilitas, & Dei potentia ultrà omnem imaginationis vim excurrat? Evidentiùs patet hoc in minutissimis Acari venis, arteriis, nervis, musculis, &c. Immò in prædictis membris aliorum animalculorum longè Acaro minorum. Nàm Dom. Malezieu microscopio deprehendit animalcula quædam vivèntia per viginti septem milliones vicium minora Acaro, ut refertur in Historia Academiæ Regiæ anno 1718. In tincturis etiam observavit Boylius unum granum cupri, aut æris, in spiritu salis amoniaci dissolutum, tantam aquæ copiam viridi colore imbuere, ut illa sic colorata constet ducentis quinquaginta sexmillibus, octingentis, & sex partibus, quarum singulæ sua magnitudine æquabant molem ipsius grani cupri. Hoc etiam pacto unicum granum incensi thuris totum cubiculum suis corpusculis ex se visibilitèr egredientibus replere potest, ita ut corpuscula illa numerari minimè possint.

Verùm Epicurei rursus urgent. Ex hujusmodi responsione colligitur quidèm non ita esse sensibus indulgendum, ut naturæ subtilitati, aut materiæ divisioni terminos facilè præscribamus; at non colligitur, talem divisionem posse in infinitum protendi; processus enim in infinitum natura adhorret in omnibus: ergo etiam in divisione continui.

Alterum argumentum contra Peripateticos hoc est. Si corpus perfectè Sphæricum moveretur supèr corpus perfectè planum, sempèr tangeret illud in puncto: ergo

cum succesivé, & continuò supèr planum corpus illud moveretur, jàm totum planum constaret ex solis punctis; nam sempèr Sphæra illa tangeret aliquod indivisibile. Asumptum est Arist. lib. 1. de Anima text. 13. ubi docet prædictum antecedens. Ità, & Scotus in 2. dist. 2. Quæst. 9. sub litt. T, admittit globum perfectè sphæricum, & ex illius contactu in planum probat, dari in continuò indivisibilia. Id ipsum Geometræ confirmant: ergo &c.

Respondet Ferrari; corpus perfectè sphæricum, & perfectè planum non sunt nisi in mente Geometræ; immò prorsùs sunt impossibilia, si rerum natura spectetur; proindequè argumentum nihil convincit. At hæc solutio non placet; nam licèt illa corpora, attenta rerum natura, sint impossibilia; possibilia tamèn erunt, spectata Dei omnipotentia. Ideò meliùs dicimus cum Villa-Castin, corpus perfectè sphæricum supèr perfectè planum, reverà in puncto ipsum tangere, dùm quiescit, ut docuerunt Arist. & S. D. in locis citatis in argumento; dum tamen movetur, non tangit in punto, sed in linea; quià quodlibet corpus, dum movetur, occupat majus spatium, quàm dum quiescit; ac proindè nil contrà nos.

Tertiò opponunt Peripateticis Zenonistæ. Infinitum pertransiri non potest: ergo nihil poterit moveri, si continuum constat ex infinitis partibus; nam istæ pertransiri non possunt. Rursùs si continuum constat ex infinitis partibus, tot erunt partes in ligno palmari, ac in toto mundo; in utroquè enim partes essent infinitæ. Sed hæc difficultates ad primam reducuntur. Undè respondent Peripatetici, continuum pertransiri secundùm partes non communicantes, quæ finitæ sunt, non autèm secundùm partes communicantes, quæ sunt infinitæ. Ad secundum dicunt non repugnare unum infinitum majus altero; quatenùs utrumquè sinè termino sit, sed unum magis accedat ad perfectam infinitatem, quam alterum. Sicquè propositis argumentis pro utraquè parte, nostrum jàm judicium ferentes:

Dicimus, probabiliorem videri posse Peripateticorum

rum opinionem ; at nostra sententia tenet, continuum esse arcanum naturæ usquè modò nobis ignotum. Prob. prima pars: Ex duabus opinionibus contrariis ea certè est probabilior, atquè faciliùs intelligibilis, quæ constituit actum primum sinè actu secundo, quam illa, quæ statuit actum secundum sinè primò; sed Peripateticorum sententia constituit actum primum sinè actu secundo; Epicureorum autem opinio statuit actum secundum sinè actu primo: ergo Peripateticorum sententia est probabilior, & faciliùs intelligibilis, quam opinio Epicureorum. Maj. est evidens; nam actus primus, seù potentia benè potest esse sinè actu secundo; at hic nequit esse sinè actu primo, sivè potentia ad ipsum. Prob. min. Peripateticorum sententia constituit infinitas partes in continuo finitam extensionem habente; Epicureorum opinio statuit continuum extensum fieri ex partibus inextensis, seù ex punctis indivisibilibus; sed prima sententia ponit capacitatem ad extensionem infinitam sinè ista actuali extensione; secunda verò ponit actualem extensionem sinè principio ad illam faciendam idoneo, seù sinè partibus extensionem habentibus: ergo Peripateticorum sententia constituit actum primum sinè secundo; Epicureorum autem opinio statuit actum secundum sinè primo.

Prob. secunda pars: Licèt enim rationes Peripateticorum multum roboris habere videantur; tamèn si conferantur cum responsionibus, argumentisquè Epicureorum, tunc adeò infirmę apparent, ut mens nostra in illis quiescere non possit. Quamobrem ingenuè fatendum est, humanam rationem, non solùm in Omnipotentię Divinę arcanis, Fideiquè mysteriis deficere, verùm etiam in tenuissima arenula scrutanda; proindequè &c.

Ubi aliqua scitu digna circà continuum explicantur.

Quæres 1.° An continua habeant terminum magnitudinis, & parvitatis? Resp. 1.° Viventia, quæ informantur anima divisibili, non habere terminum intrinsecum magnitudinis, aut parvitatis in ordine ad potentiam absolutam Dei; quæ verò informantur anima indivisibili, habere terminum intrinsecum magnitudinis, non verò parvitatis. Probat. prima pars: In viventibus prædictis anima divisibilis simùl cum materia augetur; & acquiritur nova pars formæ: ergo augetur virtus informativa simùl cum corpore informato; & consequentèr non ita augeri potest corpus, quin detur anima nova partes novas informans: ergo &c. Quod non habeant terminum parvitatis, prob. quodlibet continuum, sivè homogeneum, sivè heterogeneum potest in infinitum minui: ergo in quavis parvitate possunt reperiri partes dissimilares, v. gr. cor, cerebrum, manus, &c. sed de ratione animæ est informare partes dissimilares: ergo saltèm divinitùs poterit vivens in qualibet minima parvitate reperiri. Ex qua ratione probata manet quarta pars asserti.

Prob. ergo tertia; nulla forma potest quamcumque materiam informare, sed limitata est ad materiam proportionatam, nisi augeatur ejus virtus informativa; sed in anima indivisibili nequit hæc virtus augeri; augmentum enim repugnat indivisibili: ergo adhuc de potentia Dei absoluta nequit anima rationalis informare corpus quantumvis maximum. Patet conseq. nam Deus nequit facere, quod caussa formalis præstet effectum, quem naturalitèr præstare non potest: ergo &c. Diximus per ordinem ad potentiam absolutam Dei; nam certum est, omnia viventia ex propria natura habere terminum intrinsecum magnitudinis, & parvitatis; experientia enim constat, quod cum ad certam magnitudinem perveniunt, non crescunt, & cum pervenerint ad certam parvitatem,

tem, mori: ergo natura de se prescribit singulis viventibus terminum magnitudinis, & parvitatis.

Resp. 2.° Non viventia ex propria ratione nullum habent terminum magnitudinis, & parvitatis. Est communior contra Thomistas. Prob. prima pars: Nam ignis v.gr. (idem dic de aqua, aëre, & similibus homogeneis) quo major est, eo majorem habet virtutem, & si non sempèr crescit, id venit ab extrinseco, scilicèt, deffectu materiæ, vel loci, vel alterius impedimenti, non verò ex natura sua: ergo corpora illa ex se non habent terminos magnitudinis. Prob. secunda pars: Eodem exemplo ignis, qui sub minima scintilla conservatur, nulla enim pars determinata ignis potest asignari, in qua esse non possit: ergo ex se non habet terminum parvitatis.

DISPUTATIO QUINTA.

De affectionibus, seù qualitatibus corporis naturalis.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrùm ex Venerabili Eucharistiæ Sacramento ritè colligatur existentia accidentium absolutorum in sensu Peripatetico?

Affectiones corporis naturalis *Accidentia* vulgò nominantur. Peripatetici autem, qui formam substantialem docent esse absolutam, non verò relativam, ita affectiones corporis naturalis arbitrantur, esse formas accidentales, seù accidentia physica absoluta, qualitates nempè, seù reales absolutasque corporis modificationes ab ipso corpore realitèr distinctas, & entitates quasdam substantiæ superfusas. At RR. Philosophi, qui omnem rerum materialium mutationem sola forma relativa definiunt, affectiones etiam corporis naturalis in sola relatione, seù varia materiæ dispositione constituunt. Quærimus ergo, an ex Ecclesiæ definitionibus circa

Ve-

Venerab. Eucharistiæ Sacramentum ritè colligi possit existentia accidentium absolutorum in sensu Peripatetico? Respondentesque

Dicimus: Ex Venerab. Eucharistiæ Sacramento ritè colligi existentiam accidentium absolutorum in sensu Peripatetico. Prob. 1.° Concilium Generale Constantiense à Martino V. confirmatum, Sess. 8. damnavit hanc Joannis Wicleffi propositionem: *Accidentia panis, & vini non manent in eodem Sacramento sinè subjecto.* Et Sess. 15. reprobavit hanc aliam Joannis Hus: *Cum mendacium hæreticum de hostia consecrata inter hæreses singulas teneat principatum, ut ipsa ab Ecclesia extirpetur, securè denuntio modernis hæreticis* (loquitur impius ille ad DD. Catholicos, quos per calumniam hæreticos appellat) *quod non possunt declarare, nec intelligere Accidens sinè subjecto.* Et denique hanc ejusdem Joann. Hus: *Fructus istius dementiæ, qua fingitur accidens sinè subjecto, foret blasfemare in Deum, scandalizare Sanctos, & illudere Ecclesiæ per verba Accidentis.*

Nunc igitur ita ratiocinamur. Concilium Constantiense, damnando prædictas propositiones, reprobare voluit sensum Joannis Wicleffi, & Joannis Hus, atquè istis contrariam constituere sententiam; atqui hæretici illi negabant accidentia realia, & absoluta existere in Sacramento Altaris, & sententiam Peripateticorum respuebant: igitur Concilium intendit, accidentia realia, & absoluta juxta Peripateticam doctrinam permanere separata à subjecto suo, sivè à substantia in Sacramento altaris. Atquè adeò hæc accidentia existunt. Maj. certissima est; nam Conciliorum definitiones sensum hæreticorum respiciunt, & damnant. Min. prob. Ut refert Thomas Waldensis, qui contra Wicleffii errores pugnavit, de Sacramento Eucharistiæ cap. 78. & seq. Wicleffus ajebat: *Quàm est impossibile, idem simùl esse, & non esse; tàm est impossibile, Accidens permanere sinè subjecto::: Nullum accidens ponit rem, quæ possit per se existere, ultrà suum subjectum, sed solum modum subjecti. Undè omnis res est substantia::: Ecclesia non est oneranda no-*

novitate tali insolita; sic enim colleretur abominatio desolationis, quia colleretur Accidens sinè subjecto, tamquam Deus. Eodem sensu loquebatur Joannes Hus, ut ex relatis ipsius verbis apparet: ergo hæretici illi negabant &c. Igitur &c.

Ex damnatione prædictarum propositionum facilè colligimus, Cartesium à veritate deflexisse, dum illis similia docet. Ait enim in responsione ad quartas objectiones: *Non potest humana mens cogitare, accidentia panis esse realia, & tamen absque ejus substantia existere... Illa opinio quæ ponit accidentia realia, à ratione aliena est, & incomprehensibilis, & parùm tuta in fide.*

Ne dicant RR. cum P. Fortunato, Concilium damnasse propositionem illam: *Accidentia panis, &c.* relatè ad substantiam panis, quam Wicleffus ajebat permanere, & in Christi Corpus non converti. Nàm contra est, 1.° Concilium inter alias Wicleffi propositiones damnavit duas sequentes. Prima: *Substantia panis materialis, & similitèr substantia vini materialis manet in Sacramento altaris.* Secunda: *Accidentia panis non manent sinè subjecto in eodem Sacramento.* Nunc sic; vel ergo hæc secunda propositio eo tantùm sensu damnata fuit, quo cum prima coincidit, vel non? Si primum; superflua esset ejus expressio, & damnatio. Si secundum: ergo damnata fuit in quantùm negat permanentiam accidentium sinè subjecto; proindèque habemus intentum.

Contra 2.° PP. Constantienses damnarunt secundam Wicleffi propositionem eo in sensu, quo à Concilii Theologis fuit intellecta; sed à Theologis fuit intellecta in sensu distincto à prima: ergo in distincto sensu utraque fuit proscripta. Prob. min. Theologi utramque propositionem diversa notarunt censura: ergo in utraque diversum errorem, & distinctum sensum intellexere. Patet antec. nàm tom. 16. Conciliorum Labbæi pag. 846. refertur Theologorum Constantiensium brevis Censur. 45. articulorum Wicleffi, anno 1415. in Concilio prodita; in qua prima Wicleffi propositio declaratur *falsa, erronea, & hæretica.* Secunda autem dicitur *falsa, & erro-*

nea, *& sapiens hæresim universalitèr intellecta* : igitur &c.

Prob. 2.° conclus. Concilium Tridentinum Sess. 13. Can. 2. sic definit: *Si quis dixerit in Sacramento Eucharistiæ remanere substantiam panis*, *& vini*, *una cum corpore*, *sanguine D. N. J. C.*, *negaveritque mirabilem illam*, *& singularem Conversionem Totius Substantiæ Panis*, *in Corpus*, *& totius substantiæ vini in sanguinem*, *manentibus dumtaxat speciebus panis*, *& vini*: *quam quidem conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat* ; *anathema sit.* Et Can. 3. inquit: *Si quis negaverit*, *in Venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie*, *& sub singulis speciei partibus*, *separatione facta*, *totum Christum contineri* ; *anathema sit.*

Tum cap. 2. dixerat : *Sumi voluit* (Salvator noster) *Sacramentum hoc.* Et cap. 3. *Commune hoc quidem est Sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis*, *simbolum esse rei sacræ*, *& invisibilis gratiæ esse formam visibilem.* Et cap. 5. *Ut in processionibus reverentèr*, *& honorificè illud* (Sacramentum) *per vias*, *& loca publica circumferretur.* Et cap. 6. *Consuetudo asservandi in Sacrario Sanctam Eucharistiam adeò antiqua est*, *ut eam sæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit.*

Ex quibus omnibus sic arguitur. Concilium Tridentinum docet, fieri conversionem panis in Corpus Christi, species panis post consecrationem manere, speciebus istis attribuit partes, & partes, tradit sub illis speciebus Christum contineri, affirmat easdem separari, sumi, esse simbolum rei sacræ, esse formam visibilem, circumferri, asservari in sacrario, & deferri; atqui hæc omnia ritè dici non possunt, nisi de speciebus realibus, & absolutis, hoc est, accidentibus sensu Peripatetico : ergo ex Concilio Tridentino ritè colligitur existentia accidentium realium, & absolutorum in sensu Peripatetico. Prob. min. Conversio ex sui notione præsefert necessariò manere aliquid ex iis, quæ prius erant in re illa, quam dicimus converti ; sed in hac conversione, quæ *transubstantiatio* est, non remanet materia, nec aliquid

subs-

substantiale: ergo ut subsistat conversionis notio, reliquum est, manere accidentia panis: ergo accidentia ista realia sunt, ac priùs fuerunt in substantia panis, quia non dicitur manere, destructis aliis, nisi id, quod fuit priùs. Sic etiam habere partes, continere aliud sub se, dividi posse, sumi, esse formam visibilem, circumferri, asservari, deferri, sunt atributa, quæ non nisi entitatibus realibus, & absolutis possunt convenire: ergo species illæ, de quibus loquitur Concilium Tridentinum, sunt accidentia realia, & absoluta.

Respondet Cartesius in responsione ad quartas objectiones: *Non video quidnam possit intelligi per speciem panis, præter illam superficiem, quæ media est inter singulas ejus partes, & corpora ipsas ambientia.* Quam doctrinam diversimodè explicant Cartesiani. Contrà quos sic insurgimus. Illa superficies remanens quid est? Profectò erit quid reale. Vel ergo est substantia, vel accidens reale, & absolutum? Primum est contra fidem docentem conversionem totius substantiæ panis in corpus: ergo secundum: igitur remanent accidentia realia, & absoluta; quod est intentum. Patet ampliùs Cartesii error; nàm ipse corporis substantiam in extensione constituit, ut diximus; sed juxtà ipsum, omnesque catholicos in Eucharistia remanet extensio panis: ergo, & ejus substantia; quod est hæreticum.

Respondent Atomistæ, specierum nomine intelligi à Concilio Tridentino apparientiam panis; quatenus Deus sic movet sensus nostros, ut priùs eos panis vellicabat. Sed contrà: Si in Sacramento Altaris solùm remanent species intentionales, non subsistit essentia Sacramenti, nec modus, nec usus ipsius: ergo. Probat. prima pars: Sacramentum (ait Concilium cit.) *Simbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem*; sed species intentionales nec sunt simbolum rei sacræ, nec forma visibilis; sed tantùm motiones sensuum nostrorum, quæ non in objecto, sed in ipsis sensibus existunt: igitur in speciebus intentionalibus non subsistit essentia Sacramenti.

Prob.

Prob. secunda pars: Modus, quo fit Sacramentum, est *per conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini*; sed species non remanent post consecrationem; tales enim species non erant priùs in pane: ergo talibus speciebus admissis, modus Sacramenti corruit. Prob. tertia pars: Species istæ intentionales non sunt divisibiles, non possunt in Sacrario asservari, nec sumi, nec deferri, nec adorari, nec denique sunt in Sacramento, sed in solis sensibus nostris: ergo ipsis admissis, usus Sacramenti non subsistit.

Denique quia longè alitèr docuit perpetuò Ecclesia tàm ante, quàm post Concilium Tridentinum; nàm Veteres PP. non intentionalium, sed realium specierum permanentiam in Sacramento docuerunt; ut animadvertit Thomas Waldensis, cap. 76. Immò verò S. Aug. ut refert Gratianus de Consecratione dist. 2. docet Sacramentum Eucharistiæ ex duobus componi, videlicèt, ex visibili elementorum specie, & invisibili D. N. J. C. carne, & sanguine; hoc est, ut paulò post declaratur, Sacramento, & re Sacramenti: quemadmodum ait etiam Innocent. III. in cap. *Cum Marthæ*, de Celebratione Missarum: ubi Pontifex sempèr tamquàm certam, assumit opinionem de permanentia accidentium realium panis, & vini; undè scribit, vinum immissum in Calice post consecrationem, *non sanguini commisceri, sed accidentibus prioris vini.*

Ecclesia quoque jàm per quinque sæcula in officio Eucharistiæ sic legit: *Accidentia autem sinè subjecto in eodem Sacramento subsistunt, ut fides locum habeat, dum visibile invisibilitèr sumitur aliena specie ocultatum, & sensus à deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus judicant sibi notis.* Idem habet Concilium Coloniense primum, anno 1536. celebratum, dum part. 7. cap. 15. inquit: *Quid enim panis, & vini species aliud sunt post consecrationem, quàm species sacramentales, & accidentia sinè subjecto.* Ac demum Conc. Bituricense Provinciale Patriarchale celebratum anno 1584. tit. 22. de Eucha-

ris-

ristia, Can. 3, ait: *Negantes accidentia panis, & vini in Sacramento Eucharistiæ sinè substantia panis, & vini manere, anathemate feriantur, & hæretici censeantur.* En quomodò contraria sententia ab Ecclesia rejicitur, & reprobatur: igitur etiam à nobis rejici, & reprobari debet.

Objic. 1.° SS. PP. de speciebus eucharisticis disserentes, numquam illas appellavere *Accidentia*; sed illas vocant, vel *species*, vel *formæ*, vel *imagines*, vel *figuræ*, vel *simbola*, vel *similitudines*, vel *signa apparientia panis, & vini*; hoc ipsum fecere Concilia: ergo ex Eucharistia non inferuntur talia accidentia Peripatetica. Resp. 1.° negando antec. nam D. Thomas loco suprà cit. & alibi species vocat accidentia; quod etiam fecerunt Concil. Coloniense, & Bituricense citata, quamplurimique DD. & Theologi. 2.° Resp. Ipsos RR. argumento etiam urgeri; neque enim ullus Veterum PP. Eucharisticas Species appellavit actiones objectivas, & puras impressiones, aut species intentionales. Resp. 3.° PP. & Concilia consultò abstinuisè à nomine accidentis, nè substantiam ibi viderentur concedere; at numquam sogniarunt species eucharisticas esse *formas*, *imagines*, *figuras*, *&c.* intentionales, sed veras, & reales, quod solùm de accidentibus Peripateticis verificari potest.

Objic. 2.° Sacramento Altaris debetur cultus latriæ, ut docent SS. PP. Conciliumque Tridentinum: ergo si accidentia realia ibidèm existerent, eadem accidentia adorarentur, quod est absurdum: igitur &c. Resp. ejusmodi argumentum olim à Wicleffo exageratum, risu potiùs, quàm responsione esse dignum. Itaque Christo D. in sua naturali specie cultus latriæ debetur, ut dicitur Mathei cap. 8. ℣. 2. *Ecce leprosus veniens adorabat eum.* Inquirimus, leprosus tunc adorabat vestes, quæ Dominum cooperiebant? Respondent utiquè, prædictum hominem primò, & per se Christum D. adorasse; vestes verò solùm relativè ad ipsum. Hoc etiam, est quod nos dicimus de speciebus. Quid inde?

QUÆS-

QUÆSTIO SECUNDA.

De Calore, & Frigore.

De affectionibus corporis naturalis speciatim disserere agredimur. Et primùm quidèm de calore, & frigore, humiditate, & siccitate, agendum est: nàm affectiones istæ, velut omnium primæ, meritò habentur. Etenim affectiones sensibiles vel pertinent ad sensum tactus, ut sunt gravitas, levitas; durities, mollities; lubricitas, ariditas; asperitas, lenitas; crassities, tenuitas: calor, frigus; humiditas, & siccitas. Manifestum porrò est, omnes illas affectiones ab istis quatuor ultimis provenire; vel saltim ex istarum permixtione coalescere, quatenùs una, vel altera prædominari dicitur. Sic mollities, lubricitas, lenitas, & tenuitas ex humiditate prædominante oriuntur; durities, ariditas, asperitas, & crassities ex siccitate prædominante; gravitas ex frigiditate prædominante; ut levitas ex caliditate.

Vel affectiones sensibiles referuntur ad sensum gustus, ut sapores; hæc quoquè ex quatuor recensitis oriuntur; dulcedo enim refertur ad calorem prædominantem, acritas verò ad frigus. Vel pertinent ad olfatum, ut odores; atque in istis maximam vim habent calor, & humiditas. Quæ affectiones ad auditum referuntur, ex duritie oriuntur. Quæ ad visum pertinent, ex calore, aut frigore. At calor, frigus, humiditas, & siccitas non oriuntur ex aliis affectionibus. Undè meritò dicuntur omnium primæ: maximè cum istæ ad rerum generationem sint necessariæ.

Peripatetici cum Galenicis arbitrantur, calorem esse entitatem aliquam à substantia rei prosùs distinctam, & illi inhærentem; definiturque ab Arist. *Id, quod congregat homogenea, & segregat eterogenea.* Ut in vino ebulliente partes impuriores vi caloris inter se conjunguntur, & congregantur; segregantur verò à partibus vini purioribus. Frigus etiam, ajunt ipsi, esse affectionem à substantia rei distinctam: cujus est proprium con-

congregare homogenea simul, & heterogenea.

Democritus, Epicurus, Gassendus, & alii Veteres, Recentioresque Philosophi Atomistæ caloris naturam in rotundis, tenuissimis, maximequè mobilibus atomis positam esse arbitrantur, ut quantò plures hujusmodi particulas corpus habeat, tantò calidius sit; & quantò plures, & confectiores atomi calorificæ ex igne in lignum transeant, tantò fortiùs, & efficatiùs lignum calefiat. Quę effluvia Plato pyramidata esse dicebat. Frigus verò per frigorificas atomos ab ipsis explicatur. Quam opinionem alii sic explicant, ut spiritus nitrosos, & salinos caussam, & originem frigoris esse dicant.

Alitèr tamen opinatur Cartesius, docens, calorem constitui in solo motu, quo tertii sui elementi particulæ à tenuissimis primi elementi celerrimè abripiuntur. Tunc enim in nerveis fibris nostri corporis impressionem, agitationem, & affectionem illam efficiunt, quam nos caloris, & ignis nomine designamus. Frigoris verò naturam per minorem motum expendi putat. Cui accedunt alii RR. qui calorem in motu perturbato partium constituunt; frigus verò in privatione caloris. Nunc igitur inquirimus, in quonam constituenda sit caloris, & frigoris natura, sivè essentia?

Dicimus, caloris naturam non consistere in motu, aut in substantiali corpusculorum effluvio, sed calorem esse formam accidentalem absolutam, cujus vis est homogenea congregare, & separare heterogenea: frigus etiam non esse solùm caloris privationem, nec ipsius naturam *formalitèr* consistere in substantiali effluvio, sed ritè dici posse formam accidentalem absolutam, cujus vis est congregare simul homogenea, & heterogenea. Assertio habet tres partes pro calore, tresque pro frigore. Quo attinet ad calorem.

Prob. prima pars contra Atomistas; nàm ipsi docent, easdem igneas atomos, rotundas, tenuissimas, maximequè mobiles simùl lucidas esse, & calidas; in eisdem enim naturam tàm lucis, quàm caloris constituunt; sed hoc est contra experientiam: ergo. Prob. min. experimen-

mento Romerii relato à Du-Hamel Part. 2. Dissert. 2. cap. 2. Speculum metallicum, & concavum ita reflectit calorem ignis, ut in puncto concursus multo sit intensior; at si inter ignem, & speculum interponatur vitrum in speculi foco, lux quidèm augetur, sed nullus omninò calor procreatur: ergo evidens est, lucem non esse calorem; aliàs aucta luce, calor augeretur, & è contrà, quod est contra experientiam prædictam.

Ab aliis verò Philosophis RR. qui calorem in effluvis corpusculorum, vel molecularum constituunt, petimus explicari nobis, qua ratione ejusmodi corpuscula sint calida? Est calor affectio illis ingenita? Quid ergo est affectio ista? Est nè substantialis forma, aut partium dispositio? Primum negabunt: ergo secundum: ergo partes sinè ista dispositione esse poterunt; atquè ideò calor non erit affectio ingenita. Tum explicandum restat, quid sit ista dispositio, quomodò calorem efficiat, aut quomodò ipsa sit calor, aut quare ignis v.gr. habeat partes sic dispositas, & non aqua. Quibus omnibus rationem reddere minimè poterunt.

Prob. secunda pars: Ista communis assertio RR. docentium, calorem in motu constitui apertè pugnat cum ipsorum sententia de lucis natura: ergo. Prob. antec. lux in sententia RR. est subtilissima substantia omninò per rectam lineam diffusa, vel motus rectus ejusdem substantiæ, aut globulorum secundi elementi Cartesiani: calor autèm, si motus est, profectò motus est perturbatus, & expansivus; atqui motus ille rectus lucis, & motus iste perturbatus caloris simùl componi non possunt; motus enim rectus, & perturbatus nequeunt per eamdem lineam diffundi, & propagari: ergo nequè lux, & calor poterunt per eamdem lineam propagari; quod est contra experientiam, quam recenset Cabæus lib. 1. Metaph. Quæst. 1. Speculi ustorii, quod, si igni exponatur, ignem accendit, plumbumque dissolvit ex puncto illo concursus, in quo radii caloris coadunantur; at linea illa, quæ ducitur ex puncto concursus, calida simùl est, & lucida: ergo lux, & calor per eamdem lineam diffunduntur, & propagantur.

Prob.

Prob. tertia pars: Affectio rei optimè describitur per præcipuum, & notissimum illius effectum; sed rerum ejusdem generis congressus, & dissimilium rerum separatio est præcipuus effectus caloris; maximè in ordine ad mixti generationem; hæc enim haberi non potest, nisi partes assimilares congregentur, & dissimilares segregentur; quippè dum calor corpora quæque exagitat, & rarefacit, tunc partes corporum graviores subsidunt, leviores verò sursùm vehuntur: ergo ea vis est caloris, ut homogenea congreget, ac hæterogenea segreget. Sic aurum purgatur igne, quia omnes partes ejusdem simùl uniuntur, & dissimiles separantur, ut scoria &c. Simili ratione, si cera habeat in se lapides, & paleas simùl concretas, in liquefactione ope caloris facta, lapides in fundo subsidunt, paleæ supernatant, & in medio pura remanet cera: ergo &c.

Quocirca nihil obstat, quominùs dicamus, *Calorem esse formam accidentalem absolutam, quæ nata est raritatem inducere, congregare homogenea, hæterogenea segregare, & quæ cum motu, ut plurimùm jungitur, atquè cum substantiali corpusculorum effluvio propagatur, & frigori opponitur, ac illud destruit.*

Objicies contra primam partem. Referente Du-Hamel, linteum album igni admotum, & benè calefactum, si in locum obscuriorem statim inferatur, tùm evolutum, & unguibus motu celeri pressum, mille scintillas dat. Ita, & fellium pili in obscuro loco vehementiùs moti, scintillas emittunt: ergo calor aliud non est prætèr ignem rariorem. Resp. 1. hæc, & similia experimenta probare quidèm, calida, & ignita corpuscula hac illac dispergi, & ab igneis corporibus in objecta corpora emitti. Quod ultrò fatemur. Sed adhuc ab Atomistis quærimus, quid sit calor in illis ipsis corpusculis? Potiùs enim dicendum est, in linteo prædicto, & in pilis fellium manu rudiùs præficatis, ignitionem quamdam per motum excitari, dùm exhalatio sicca, & calida, quæ in illis extat, in aëre frigido, humidoque concitata, intenditur,

& accenditur; eo modo, quo fulmen intrà aërem vappidum, & frigidum cuditur.

Objicies contra secundam. In qualibet calefactione motus sempèr localis contingit; & si motus augeatur, augetur etiàm calor; si verò motus minuatur, etiàm calor minuitur; atquè, motu deficiente, calor ipse defecit. Constat hoc in aqua igni exposita. Hinc in flamma, in carbonibus ipsis motus quidam conspicitur: ergo calor non est nisi motus. Resp. permittendo ant. neg. conseq. quam facile non poterunt probare Cartesiani. Quemadmodum igitur non rectè ratiocinatur, qui dicit: *Motus non est sinè movente: ergo motus est ipsum movens*; vel *sensio non est sinè organo: ergo sensio est organum.* Quod enim calor cum motu jungatur, solùm ostendit, motum proprium esse caloris, ipsiusque plerumquè caussam; quod non negamus: non tamèn demonstrat, caloris naturam in ipso motu, seù agitatione consistere: quod Cartesianis probandum est. Accedit, flammam ignis majorem in se commotionem habere, quam ignitus carbo; & in hoc experimur majorem calorem, quam in illa.

Objicies contra tertiam ex P. Fortunato. Si calor esset forma accidentalis, esset natura sua penetrabilis, ut cæteræ qualitates; sed ex hoc ipso non posset præstare eos effectus, quos à calore experimur. Hi enim sinè motu fieri nequeunt; motus autèm corpora impenetrabilia requirit. Quod si calor ratione subjecti impenetrabilis est, jàm subjectum, & non calor, effectus illos præstabit: ergo. Resp. conc. maj. neg. min. nam calor, cæteræque qualitates licèt ex se sint penetrabiles; impenetrabiles verò reduntur ratione quantitatis, in qua recipiuntur; sempèrque operantur in subjecto; non quia ab ipso vim activam accipiant; sed quia sicùt nequeunt naturalitèr sinè illo esse, ità nequeunt sinè illo operari; quod non est inconveniens.

Hæc de calore exhibuimus. Nunc ad alias accedimus assertionis nostræ partes, quæ circà frigus versantur.

Prob. prima pars: Effectus positivi caussam indicant

cant positivam ; ex effectibus enim natura caussæ cognoscitur ; atqui frigus plurimos exhibet effectus positivos : ergo frigus non est mera privatio, aut imminutio caloris, sed aliquod positivum. Prob. min. Sanè frigus immutat sensus nostros, & calorem à corporibus expellit, aquam, & liquores densat, corpora etiàm durissima perfringit ; sed in his omnibus relucet positiva actio frigoris ; ipsaque sunt positiva : ergo frigus plures exhibet effectus positivos: ergo &c. Frigus tamèn non esse solam caloris imminutionem, seù minorem motum, minoremvè agitationem, experimentis etiàm probatur; nàm agitatione manus intra aquam frigidam augetur frigefactio, & agitatione nivis circa phialam aqua plenam, aqua in ea existens concipit frigus intensius: ergo agitationis augmentatio aliquandò auget frigus: adeoquè &c.

Prob. secunda pars : Atomi frigorificæ pro arbitrio confinguntur; & petimus, quidnam sit frigiditas ipsa, qua atomi fiunt frigidæ? Cum nec dici possit, id atomis convenire ratione figuræ ; quia atomos sinè partibus esse, & tamèn figuram habere, prorsùs imperceptibile est, ut diximus suprà. Ab aliis autèm RR. qui corpuscula quædam divisibilia proponunt, ut in ipsis naturam frigoris constituant, inquirimus, quidnam sit eorum corpusculorum frigiditas? Affectio nè indistincta, vel potiùs distincta? Ut de calore superiùs diximus. Tum experientia constat, totam penè aquam frigidam reddi. Non est autèm probabile, nec verisimile, tunc aquam ex totidem frigidis corpusculis compactam esse. Salini tamèn, ac nitrosi spiritus siccitati potiùs inducendæ aptiores sunt ; quinimmò, & sales ipsi calorem sæpè concipiunt : ergo &c.

Prob. tertia pars : Frigus est quid positivum, ut suprà probavimus ; at hoc, licèt in substantia sit, non tamèn est quid substantiale, sed accidentale, undè modò inest, modò abest, quin substantia ipsa tollatur : ergo nihil vetat, quominùs, ut de calore diximus, ita hic affirmemus, *Frigus esse formam accidentalem absolutam, quæ nata est densitatem inducere, homogenea, & hetero-*

ge-

geneà simùl congregare, & quæ calori opponitur, & illum destruit. Hinc Arist. describit frigus, *id, quod congregat homogenèa, & heterogenea simùl.* Quod in aquæ congelatione apparet; tunc enim frigus constringendo, & condensando, simùl unit quæcumque in aqua reperiuntur.

Objicies contra primam partem: Caussa hiemalis frigoris est Solis distantia, qui priùs propinquitate sua calefaciebat omnia. Sic etiam frigus illud, quod nos in febri aggreditur, aliundè non oritur, quàm ex spirituum absentia, qui priùs præsentia sua internas corporis partes fovebant. Tum quies est sola privatio motus per nos: ergo frigus erit sola privatio. Respond. ad primum: In hyeme caussam positivam frigoris esse terram, & aquam, quarum actio impediebatur in æstate ex nimia Solis propinquitate. Hinc in mense Januario majus percipitur frigus, quàm mense Decembri; etsi tunc Sol sit nobis propinquior. Ad secundum: Caussa positiva frigoris in febri sunt humores frigidi, qui propriam actionem exercent in partibus interioribus nostri corporis, dùm ad exteriora se recipiunt spiritus calidi, qui anteà actionem illorum prohibebant, vel remittebant. Ad tertium: Dispar est ratio; nàm nos exhibuimus effectus positivos frigoris; Cartesiani verò assignare non possunt effectum positivum quietis.

Objices contra secundam: Effectus illi positivi, à frigore provenientes, demonstrant caussam positivam; sed nulla alia probabiliùs constitui potest, quam atomi frigorificæ; vel saltèm spiritus salini, ac nitrosi: ergo in his stat frigoris natura. Resp. neg. min. quam numquàm probabunt Atomistæ. Non negamus, corpuscula frigida in frigoris communicatione sæpè diffundi; sed nihil est, quod demonstret, frigoris essentiam in isto substantiali effluvio consistere. Salinæ tamèn, nitrosæquè particulæ sapori, & siccitati potiùs, quàm frigori conferunt.

Objicies contra tertiam: Frigus saxa disrumpit, lacrymas ab oculis exprimit, & pituitam à cerebro, quæ per nares effluit: ergo frigus vi pollet separandi homogenea ab heterogeneis. Resp. Quemadmodum calor po-

test

test per accidens etiàm heterogenea congregare, è contrà frigus eadem segregare poterit. Per accidens itaquè frigus vasa disrumpit, quatenùs cum vim habeat condensandi, & constringendi nimiùm illorum partes, istæ ab aliis scinduntur, dùm eas secum trahere aglutinatas non queunt. Lacrymæ ab oculis exprimuntur, & pituita à cerebro, quia dum partes crassiores, & solidiores per congelationem, & condensationem comprimuntur, tùnc partes tenuiores coguntur exire. Quę omnia pèr accidens contingunt.

QUÆSTIO TERTIA.

De raritate, & densitate; & quomodo fiant?

Calorem diximus esse potissimam raritatis caussam, ut frigus densitatis. Quæ duo tot, tantisque experimentis demonstrantur, ut nullus maneat dubitationis locus. Raritatis igitur, & densitatis essentiam nunc investigamus. Qua in re dissident Philosophi; Democritus primùm, Epicurus, Gassendus, aliique Atomistæ, cum introspersa corporibus omnibus spatiola vacua supponant, illorum constrictione, vel ampliatione corpora condensari, vel rarefieri arbitrantur. Quod exemplo spongiæ nùnc manibus compressæ, nunc dilatatę, possumus intelligere; quamquàm aër certè subeat spongiæ meatus.

Alii verò Philosophi, qui vacuum omne rejiciunt, in explicanda raritatis, & densitatis origine, ad solius æthereæ substantiæ motum, & ingressum confugiunt; ut illa corpora rara dicantur, quorum partes ex uberiori, ac fortiori subtilis æthereę substantiæ ingressu dilatatæ fuerint; densa verò sint illa, quę ex debiliori, vel etiàm impedimento subtilis substantiæ motu partes habent magis unitas, vel constipatas. Quarè ingressus ætheris in poros rei facit raritatem, egressus ętheris densitatem. Ità passim sentiunt RR. quibus plerique Peripatetici adhærent, asserentes novam substantiam in raritate acquiri, in densitate verò deperdi; undè per ingressum, aut egressum substantialium corpusculorum raritatem, & densitatem exponunt.

Sunt

Sunt alii ex Peripateticis, qui per acquisitionem, aut deperditionem, quantitatis, vel qualitatis, raritatem, ac densitatem haberi arbitrantur. Sed communis in Peripato sententia docet, per raritatem, ac densitatem aliud non acquiri, nisi novam extensionem localem, majorem, vel minorem, ut eadem numero materia nunc majorem habeat localem extensionem, & rara tunc sit; nunc sub minori locali extensione existat, & densa dicatur. Rarum porrò describitur ab Arist. *Illud, quod habet parum materiæ sub magnis dimensionibus.* Densum verò, *quod habet multum materiæ sub parvis dimensionibus.* Quę quidem descriptiones ab omnibus approbantur. Sed illas unaquæque sententia sibi adaptare contendit. Quibus ità explicatis.

Dicimus, rarefactionem consistere formalitèr in productione novæ extensionis localis majoris; condensationem verò in productione minoris extensionis; proindèque raritas formalitèr consistit in majori extensione, & densitas in minori, nulla alia facta variatione in substantia, vel accidentibus. Hæc proculdubio est mens S. D. in 4. dist. 12. Quæst. 4. §. *Ad rationes*, ℣. *Ad primum*, ubi ait: *Quod raritas major non accipitur, nisi ex occupatione majoris loci.* Et in 3. dist. 2. Quæst. 3. *Ad primum principale*, ait: *Universalitèr quamcumque condensationem esse occupationem minoris loci.* Legatur atentè, & apparebit pro hac stare sententia. Eam tenent Tatar. Aret. Mast. & alii tàm ex nostris, quàm ex extraneis. Eadem deniquè infertur ex Arist. De prædicamento qualitatis; ubi in primis asserit, rarum, & densum nullomodò esse species dividentes qualitatem. Per quod excludit opinionem Thomistarum. Deindè addit, rarum, & densum consistere in diversa positione partium: igitur &c.

Prob. secundò ratione: Quia juxtà definitiones rari, & densi, tunc corpus rarefit, cum habet parum materię sub magnis dimensionibus, & tunc condensantur, cum habet multum materiæ sub parvis dimensionibus; sed præcissè per additionem majoris præsentiæ situalis, vel de-

detractionem ejusdem absque aliqua novitate eadem materia, quæ rarefacta habet dimensionem unius ulnę, v. gr. condensata habet minorem dimensionem, v. gr. semiulnæ: ergo præcissè per variationem dimensionum salvatur, rem esse modò raram, modò densam.

Nunc autem rejicimus opiniones oppositas. Et primò: Falsa est illa Atomistarum sententia asserens, raritatem haberi beneficio vacui, & densitatem fieri per spatiolorum innanium constrictionem. Nullum enim experimentum, nulla ratio ostendit, admittenda esse hæc innania spatiola inter corporis rari partes, ut jàm diximus: ergo non dantur. Tamèn raritas, & densitas in quantitate permanente, seù in corpore, correspondent velocitati, & tarditati quantitatis successivæ motus; ità ut motus dicatur velox, aut tardus, quemadmodùm corpus dicitur densum, aut rarum; sed in velocitate motus non intervenit ulla morula, quæ vacuolis correspondeat, ut etiàm diximus suprà: ergo in corporis raritate spatiola innania non interveniunt.

Secunda etiàm sententia impugnatur. Primò: Quia si rarefactio fit per intromissionem corpusculorum in poris: ergo quo res plures poros habet, eo rarior fieri poterit; quod patet, esse falsum; nàm ligna, sulphur, pumex, & alia corpora solida sunt magis porosa, quàm aqua, ignis, aër: & tamèn illa minùs, ista magis rara fiunt: ergo. Secundò: Quando in scopleto accenditur pulvis sulphureus, aut media illius accenssione lapides discerpuntur, materia ignis accensi occupat majorem locum, quam anteà; ideò enim lapides elevantur, quia materia rarefacta non potest contineri intra cavitatem illam, in qua anteà erat; sed hoc non est per intromissionem ætheris, aut corpusculorum: ergo. Probat. min. non enim intrant per angustum foramen, per quod accenditur pulvis; incredibile enim est, quod ferè in instanti ingrediatur adeò ingens corpusculorum copia necessaria ad occupandum spatium illo tantò majus; immò apparet, ignem illic egredientem arcere omnia corpuscula, v. gr. terram, paleas, quæ circa sunt. Deindè non

pos-

possunt intrare per os scopleti; nàm potiùs ignis magna vi egrediens expellit aërem, & corpuscula existentia versùs os ejus: ergo in hoc casu rarefit materia absquè ingressu ætheris, vel aliorum corpusculorum.

Impugnatur etiàm tertia sententia; si in rarefactione acquireretur nova pars quantitatis, sequeretur, quod aliqua pars quantitatis esset sinè subjecto; vel quod daretur plurium partium quantitatis penetratio; utrumque naturalitèr repugnat: ergo. Prob. utraque seq. Nàm in rarefactione non acquiritur nova pars substantiæ, in qua subjectetur pars quantitatis de novo acquisitæ: ergo vel talis pars quantitatis manet sinè subjecto, vel inhæret ipsi substantiæ rarefactæ; atqui talis substantia secundùm omnes suas partes independentèr à rarefactione est affecta quantitate: ergo secundùm aliquam partem erit affecta duplici quantitate, scilicèt, nova, & vetere; & habebitur penetratio. Idem argumentum fieri potest in condensatione, si enim aliqua pars quantitatis deperditur; tunc illa pars materiæ, cui inhærebat, vel manebit sinè quantitate, vel incipiet informari à quantitate remanente; & sic idem numero accidens erit in pluribus subjectis; quorum utrumque est falsum.

Quarta tamèn sententia impugnatur; nàm potest Deus omne accidens posterius quantitate ab illa separare, aut impedire, nè resultet; pone ergo corpus quantum absquè omni qualitate: certè cum quantitas sit, quæ impenetrabilitèr extendit corpora, tale corpus aliquam præsentiam, & extensionem habere debet: ergo vel parvam, vel mediocrem, vel majorem, quam juxtà suam proportionem potest habere: ergo vel erit rarum, vel densum per solam quantitatem, aut substantiam absquè adventu alicujus qualitatis; proindèque raritas, & densitas in qualitatibus consistere non possunt: ergo præcissè consistunt in majori, vel minori extensione, ut diximus.

Per quod non negamus, dari rarefactionem, & condensationem, si ipsas lata significatione accipias, quæ fiunt per ingressum subtilis ætheris, vel aëris, aut aliarum

rum substantialium corpusculorum. Multa sanè experimenta rem ostendunt. Nàm in aqua calida, & ebuliente multum aëris admiscetur ; ut ipso sensu percipimus, quod, & in aliarum rerum effervescentia conspicimus. Plura etiàm corpora per ingressum substantialium corpusculorum aliquandò dilatantur, & per illorum egressum perstringuntur; ut evenit in spongia. Sed hæc doctrina, ut ajunt Mast. & Ferrari, latiorem, & vulgarem exhibet raritatis, & densitatis ideam; non verò veram, ac philosophicam, de qua est quæstio nostra.

Objic. 1.° Ex S. D. in 4. cit. §. *Quantum ad istam*, ubi tenet, quod oportet, omnes in rarefactione ponere aliquam quantitatem, vel partialem, vel totalem: ergo &c. Secundò: In rarefactione acquiritur major extensio, non utcumque, sed quantitativa, & impenetrabilis; sed hæc implicat sinè majori quantitate, à qua talis extensio tamquàm effectus formalis secundarius provenit: ergo in rarefactione debet acquiri major quantitas. Tertiò: Si rarefactio fit sinè additione novæ quantitatis, & condensatio sinè aliqua illius deperditione; sequitur, quod eadem quantitas sinè sui agumentatione occupet in rarefactione duplicem locum, v. gr. bipalmare, & in condensatione tantùm palmare; sed hoc est absurdum: ergo. Prob. min. Quia illa quantitas, si est bipalmaris, ut apparet, dum rarefit, tùnc dùm addensatur, erit penetrata, & ad unicum palmum redacta: si est palmaris quandò rarefit, duplicem locum occupabit: ergo &c.

Resp. ad primum, Doctorem ibi ex proprio marte non loqui, sed referens opinionem aliorum, quos antè retulerat, sensusque est, omnes sic opinantes oportet ponere aliquam quantitatem; & posteà suam aperit sententiam dicens, *quod raritas non accipitur nisi ex occupatione majoris loci.* Ad secundum neg. min. & ejus implicitam probationem: extensio enim situalis non provenit formalitèr à quantitate, sed à forma situs; proindèque hæc, & non quantitas augetur in rarefactione, ut diximus. Ad tertium: Negamus, quod quantitas rarefacta ponatur in duplici loco, & quod addensata penetretur. Quia quan-

titas licèt naturalitèr non possit extendi in infinito loco, nequè condensata reduci possit ad minimum; quia habet suos terminos penès minorem, & maximam extensionem; tamèn intra tales terminos est indifferens, ut sit modò magis, modò minùs extensa, quoad majorem, vel minorem locum juxtà varios status raritatis, & densitatis majoris, vel minoris. Undè locus, qui est sufficiens, & adęquatus quantitati densæ, non est sufficiens quantitati raræ; & locus, qui quantitati rarefactæ erat æqualis, est major loco quantitatis densæ; quantitas verò secundùm se est indifferens ad utrumque: igitur &c.

QUÆSTIO QUARTA.

De Humiditate, & Siccitate; seù de Fluiditate, & Soliditate.

Humidum, seù Fluidum ab Arist. dicitur lib. 2. de Gen. & Corr. text. 9. *Id quod alieno facilè termino terminatur, difficilè suo*: ut aqua, humores reliqui, & præcipuè aër, quæ terminum, ac figuram certam pèr sè non habent, sed eam à continentibus mutuantur. Siccum verò, sivè Solidum, *id, quod suo facilè termino terminatur, difficilè alieno*: ut terra, lignum, lapis, &c. quæ propriam habent figuram, eamque non facilè mutant; immò, & corpus continens sibi sæpè accommodant. RR. autèm arbitrantur, nos pèr allatas definitiones malè confundere humidum cum fluido, & solidum cum sicco; nos verò nec humiditatem à fluiditate, nec siccitatem à soliditate distinguimus; quia consentaneum est rationi, & experimentis, ut ait noster Ferrari.

Circà verò eorum naturam Peripatetici putant, humiditatem, & siccitatem esse accidentales corporum affectiones, seù qualitates. Ità tamèn ut humiditas potissimùm exigat partium parvitatem, tenuemque earumdem adhæsionem, undè, & facilè moventur, ac invicèm separantur, difficilèque continentur in se ipsis, sed figuræ externi ambientis se accommodant; siccitas verò,

seù

seù soliditas eam partium contexturam, & configurationem exposcat, qua ramorum instar, partes se invicèm arctiùs complectuntur, undè, & motui, ac divissioni resistunt, & proprio termino facilè continentur, magnâ verò cum dificultate se accommodant externi ambientis figuræ. RR. autèm Philosophi diversimodè explicant naturam siccitatis, & humiditatis; principaliores tamèn eorum opiniones nostra in conclusione commemorabimus, & rejiciemus.

Dicimus ergo, humiditatem, seù fluiditatem sitam non esse in omnimoda partium dissolutione, aut jugi motu: siccitatem verò, seù soliditatem non haberi pèr solam partium quietem, aùt pèr legem naturæ, aùt pèr gravitatem, seù præssionem aëris, vel ætheris, aùt pèr vim attractionis, nec oriri ex atomis ramosis, & hamatis; sed utrasque hasce affectiones esse formas accidentales sensu jam explicato. Conclussio plures partes continet invicèm nexas.

Prob. itaquè primò, quoad humiditatem, seù fluiditatem. Multa fluida corpora sunt diaphana, ut aër, & aqua; atqui si fluiditas sita est in omnimodà partium disjunctione, corpus fluidum non posset simùl esse diaphanum: ergo fluiditas sita non est in disjunctione omnimoda partium. Prob. min. omnimoda partium disjunctio componi non potest cum diaphaneitate: ergo. Antec. prob. Si omnimoda partium disjunctio componi posset cum diaphaneitate, corpus solidum diaphanum, dùm in minutissimas partes omninò invicèm disjunctas redigitur, non amitteret diaphaneitatem; atqui hoc repugnat experientiæ: igitur &c. Maj. prob. Diaphaneitas tolli non potest per eam affectionem, quæ eidem non opponitur, sed cum ipsa aliquandò manet in eodem corpore; nullaque esset unius ad alteram contrarietas; adeòque &c. Min. prob. Vitrum solidum, & diaphanum, si in minutissimas partes, omninò invicèm disjunctas, contundatur, hoc ipso diaphaneitatem amittit: ergo &c.

Speciatim verò contra Cartesium ità ratiocinamur. Fluida corpora, si Cartesio credimus, ea sunt, quæ constant

tant exiguis particulis invicèm sejunctis, & jugi motu agitatis; at si hoc verum est, nullum haberetur discrimen inter fluidum, & calidum, nec fluiditas à calore distingueretur. Nàm calor à Cartesio dicitur ipse motus perturbatus. Porrò hoc experientiæ repugnat. Constat enim, aquam esse fluidam, non calidam: igitur hinc Cartesiana Philosophia alteram præsefert contradictionem, quoniàm fluida in motu perturbato determinat, quo naturam caloris exponit.

Prob. 2.° Assertio nostra quoad siccitatem, seù soliditatem. Et imprimis sola quiete particularum, cæteroqui penitùs comminutarum, soliditatem corporum non effici, hoc argumento concludimus. Certum est, corpora solida resistere divisioni; etenim non modò ferrum, & marmor, sed cera etiàm, & alia moliora corpora divisioni resistunt; at certum etiàm est, corpora in minutissimas particulas divisa, utcumque quieta, divisioni non resistere. Id sanè apparet in pulvere marmoreo, aut ferreo, cęterisque similibus. Soliditas igitur resistentiam facit; quies verò resistentiam non facit: ergo soliditas non est quies; atquè adeò &c.

Nequè soliditas explicari potest pèr legem illam naturæ, qua fit, ut quæcumque res, in quantùm simplex est, & indivisa, sempèr maneat in eo statu, in quo est. Nàm durities corporum non est æqualis, ut patet; sed lex illa in corpusculis, quæ ejusdem naturæ sunt, omninò eadem est: ergo oporteret, nos eamdem difficultatem experiri in separatione partium abietis, ac adamantis; omnia enim æquè respicit corpora lex illa motus. Eadem ratione convincimus, soliditatem non oriri à gravitate aëris, aut præssione materiæ subtilis. Etenim in his opinionibus soliditas corporum omninò derivatur à principio extrinseco: ergo omnia solida corpora, quorum superficies ad sensum æqualis sit, ejusdem omninò, & æqualis soliditatis essent. Prob. conseq. Eadem omninò est subtilis materiæ præssio, eademque aëris crassioris gravitas in corpora dura volumine, & superficie æqualia; sed ex eadem vi non potest impar resistentia oriri:

er-

ergo eadem soliditas, & durities esset in lamina ænea, ac in lignea, aut in lapidea, volumine, & superficie æqualibus, eodemquè modo divissioni resisterent. Quod experientiæ adversatur.

Vim quoquè attractionis non esse caussam soliditatis; tùm ex dicendis in Quæst. seq. ubi hoc Newtonianorum principium expendemus, concludimus, tùm quia si partes lapidem unum primò constituentes, invicèm attrahebantur, cur posteà non attrahunt invicèm, dum lapis divisus est? Quemadmodum in glaciei eformatione, & in metallorum induratione RR. isti affirmant evenire. Deniquè Atomistarum opinio nec mente quidèm concipi potest. Atomus enim partibus omninò destituta, indivisibilis, & insectibilis, quomodo ramosam figuram habere potest, & hamos? Tùm aqua dum fluit, divisioni minimùm adversatur. Undè ergo resistentiam acquirit, dùm in glaciem concrescit? Undenàm atomi aquæ primùm fluentis, habent exindè vim colligationis? Si hamuli, pili, aut ansulæ priùs erant in atomis aquæ, cur ea nihilominùs fluida erat? Si de novo iisdem adduntur, quomodo id effici potest?

Postremo itaquè loco prob. ultima assertionis nostrę pars. Hæc sanè ex dictis descendit. Nàm si nulla RR. opinio idonea est, sufficiens suppetit ratio, cur eas corporis affectiones dicamus, cæterarum instar, esse formas accidentales, sensu jam explicato. Ea enim configuratio partium, ramorum instar, plurimùm confert phænomenis solidorum corporum explicandis: quemadmodum, & parvitas partium, tenuisque earum adhæssio deservit effectibus fluidorum exponendis: ergo &c. Argumenta autèm, quæ hic objiciuntur, nullius sunt roboris, ideòque illa omittimus.

QUÆS-

QUÆSTIO QUINTA.

Utrùm gravitas corporum oriatur à caussa extrinseca, vel à principio intrinseco?

Celeberrima superest quæstio de gravitatis origine, quæ tùm Veterum, tùm RR. Philosophorum ingenia plurimùm torsit. Quorum sententiæ ad duo veluti suprema capita reduci possunt. Nàm Peripatetici existimant, gravitatem esse vim intrinsecam corporibus gravibus, seù qualitatem à Deo ipsis attributam, qua deorsùm moveantur. Alii verò Philosophi gravitatem corporibus omnibus extrinsecùs accedere arbitrantur. Horum tamèn opiniones pèr sequentes conclusiones proponemus, & rejiciemus.

Dicimus 1.° Gravitatem corporum non oriri ab atomis uncinatis, & hamatis à Tellure emissis, ut opinatur Gassendus post Epicurum. Prob. brevitèr; atomi illæ uncinatæ, & hamatæ à Tellure emissæ ad gravia corpora rapienda, & deorsùm trahenda nulla ratione possunt ipsa corpora in tellurem trahere: ergo. Prob. ant. Non enim pèr se ipsas id præstare queunt, cùm illarum motus sit sursùm. Non præstat id tellus; nàm quomodò novit tellus, atomos suas longè à se excurrentes jàm grave corpus invenisse, jàm satellitum more alligasse, ut novam tùm demùm iisdem vim imprimat, qua possint fugitivum retrahere? Deniquè quibusnam brachiis, aut manibus, aut quo alio instrumento terra, & atomos suas, & gravia corpora ad se trahit? Quod si insita vi id facit, cur eamdem insitam vim negant Atomistæ corporibus, qua ad terram descendant, nisi contradicendi studio? ergo &c.

Dicimus 2.° Gravitatis rationem non esse repetendam à motu, & præssione subtilis materiæ, ut placet Cartesio; nequè ab aëris crassioris præssione, ut alii RR. exponunt. Prob. utraque pars: Si ab ætheris, vel aëris præssione oritur gravitas corporum, explicari non potest major, vel minor gravitas; ut cum experimur, mer-

mercurium esse quatuordecim vicibus graviorem aqua, aut frustrum auri plus ponderis habere, quàm cupream laminam: ergo. Patet antec. nàm tùnc ea corpora essent graviora, quibus incumbit major aëris, vel ætheris portio; sed hoc allatæ experientiæ est contrarium; quia plus aëris, seù ætheris incumbit in illam cupream expansiorem laminam: ergo &c. Tamèn, vel aër natura sua gravis est, vel non? Si primum; cur aliis corporibus gravitatem denegant RR.? Si secundum: ergo aër ipse ab alio impellitur deorsùm; & inquisitio recurrit, progrediendo in infinitum: igitur &c.

Dicimus 3.° Gravitatem corporum non oriri à motu Telluris, ut vult Thomas Hobbes. Prob. Motus ille telluris pro libito confictus est. Quod si extaret in Tellure motus ille, cum tellus ipsa ex Hobbesio in giros agatur, cur non continuò à se repellit gravia corpora, quæ in telluris superficie posita sunt? Tùm ipsa aëris continua in tellurem præssio, & gravitas ostendit, non aërem à tellure repelli, sed potiùs in ipsam tellurem niti: ergo gravitas corporum non oritur à motu, quo tellus aërem continuò à se repellit.

Dicimus 4.° Caussam motus deorsùm in corporibus naturalibus non esse solum Deum, ad quem alii RR. confugiunt. Prob. Sinè sufficienti ratione Philosophi isti internam tollunt à corporibus gravitatem, legequè à Deo constituta, docent, gravia ab ipso Deo deorsùm moveri. Sed undenàm noverunt illi, rem ita esse? Non nisi ex proprio marte, & arbitrio: cum igitur ejusmodi leges proponant, quas re ipsa admittendas esse non probant; quid aliud præstant, nisi verborum sono Philosophię studium complecti, Philosophosque illudere? ergo.

Dicimus 5.° Nullatenùs esse admittendum Newtonianum mutuæ atractionis, seù gravitatis principium. Prob. Philosophus ea non debet admittere, quæ non probantur sufficienti ratione; atqui universale illud gravitatis, atractionisque mutuæ principium, quod Newtoniani non sensibilibus tantummodò corporibus, verùm etiàm primitivis eorumdem particulis adscribunt, nulla

suf-

sufficienti ratione probatur; licèt enim ejusmodi vis attractiva naturalitèr insit aliquibus corporibus, non tamèn fas est indè colligere, eamdem omnibus inesse: ergo. Confirmatur; vis illa gravitatis, atractionisque mutuæ non convenit omnibus corporibus; aliàs omnia corpora in hac nostra atmosphera existentia non permanerent invicèm divisa, & sejuncta, sed mutua vi se attraherent; at contrarium demonstrat experientia: ergo nèc illa vis attractiva convenit omnibus corporibus, nèc corpora ratione illius sunt gravia.

Dicimus 6.° & ultimò: Internum extare principium gravitationis in corporibus. Sivè istud principium ingenita dicatur materiæ affectio, sivè distincta qualitas. Id enim in medio relinquimus. Sanè sententia ista, quæ gravitatem ab intrinseco repetit, simplicior est, & verisimilior aliis omnibus RR. hypothesibus. Nàm potuit Deus, ut placuit Newtonianis, vim omnibus conferre corporibus, qua mutuò se trahant. Potuit etiàm Deus, Cartesio asseverante, tantum imprimere motum materiæ, qui in eadem sempèr quantitate perseveret. Potest materia subtilis, ut affirmant Cartesiani, motum imprimere aliis corporibus. Potuit tamèn Deus vim attribuere uncinatis atomis, ut arrepto per aërem gravi corpore, in tellurem redeant. Cur igitur non potuit Deus talem vim imprimere corporibus, ut velùt sponte sua in telluris centrum nitantur? Faciliùs sanè intelligitur ista vis corporibus omnibus communis, qua deorsùm ferantur; ipsamque ostendit tanta inter se RR. dissensio, & altercatio.

Ex quibus omnibus colligitur, virtutem determinativam motus deorsùm non esse repetendam ab externo contactu corporum cognatorum, ut exponit Mainanus. Valent enim contra ipsum argumenta, quæ contra Gassendum proposuimus. Convincitur etiam gravia, & levia non habere vim se movendi à generante, quoniàm permanet illa etiam post generantis destructionem; nisi velint Thomistæ ab ipso generante communicari vim internam gravitatis, sicut, & aliæ affectiones communi-

can-

cantur; quod verissimum est. Empedoclis demùm opinio corruit, motum gravium, & levium à Cœlo repetentis, quatenùs illud rapidissima sua revolutione corpora quædam ad se trahat; alia verò propulset. Quæ omnia pro libito dicta sunt, atque rationibus suprà relatis rejiciuntur.

Utrùm deniquè corporibus quibusdam naturalibus concedenda sit absoluta levitas, quemadmodùm aliis absoluta gravitas attribuitur, inquisitio parvi momenti est. Certè levia corpora dicuntur illa, quæ sursùm feruntur, sivè id ex intrinseca virtute obtineant, sivè ab extrinseco sursùm trudantur, quod minùs isto sint gravia. Videantur quæ suprà de igne diximus. Argumenta, quæ hìc nobis objiciuntur à RR. ex dictis, & infrà dicendis facilè solvuntur; ideòque illa apud AA. videnda relinquimus.

APENDIX.

Ubi aliqua resolvuntur dubia de motu gravium, & levium.

Quæres 1.° An motus gravium, & levium ad propria loca debeat fieri per lineas rectas? Resp. affirmativè. Ratio est; quia agens naturale non impeditum agit secundùm ultimum suæ potentiæ, & quamprimùm nititur propriam perfectionem acquirere; sed propria loca sunt perfectiones naturales gravium, & levium: ergo ad ea moventur per lineam rectam, quæ est omnium brevissima. Undè cum obliquè ab extrinseco compelluntur moveri, ut apparet in pluvia, & grandine à vento impulsis, nituntur sempèr per minorem curvitatem descendere, vel ascendere, ut citiùs perveniant ad terminum.

Quæres 2.° A quo proveniat, quod motus naturalis gravium, & levium velocior sit in fine, quam in principio, & medio? Motum naturalem velociorem esse in fine, exceptis Simplicio, & Arriaga, omnes concedunt cum Arist. 1. de Cœl. cap. 8. text. 88. & constat experientia: videmus enim lapidem v. gr. eo majorem incutere ictum, quo altiùs cadit; undè quo altiùs movetur,

eo magis intenditur velocitas motus. Rationem hujus inquirimus: in qua assignanda eodem modo variant RR. ac in præcedenti Quæst. ab eodemque fonte gravitatem, & illius accelerationem derivari putant. Nos tamèn

Dicimus: quod caussa, cur motus sit velocior in fine, quàm in principio, & medio; est impulsus à gravitate caussatus; & quia ad augmentum impulsus accelleratur motus, & ex motu celeriori magis intenditur impulsus; hinc est, quod grave, quo altiùs cadit, velociùs movetur. Ita S. D. in 2. dist. 2. Quæst. 10. §. *Concedo*, ℣. *Item*, num. 7. ubi ait: *Motus naturalis intenditur in fine secundùm Philosophum*; *cujus dificilè esset assignare caussam, si effectivum illius motus esset præcissè aliquid extrinsecum*: ergo caussa majoris velocitatis in motu gravium, & levium est ipsemet impulsus à gravitate, & levitate caussatus, non autem aliquid extrinsecum. Patet etiàm experientia: dum enim volumus ligna vehementiùs scindere, altiùs securim attollimus; sed hoc ideò est, quia grave quo plùs movetur, eo plùs impulsus acquirit: ergo.

Quæres 3.° Qua proportione fiat accelleratio gravium? Resp. accellerationem gravium fieri per numeros impares; quatenùs si grave descendens primo minuto ulnam v. gr. unam spatii confecit, altero minuto tres ulnas conficiet, tertio quinque, & sic deinceps, procedendo per hos numeros 1. 3. 5. 7. &c. Rem ita esse Galilæus omnium primus felicitèr detexit, & demonstravit. Hic autem motus vocatur æquabilitèr accelleratus, & definitur: *Qui à quiete recedens temporibus æqualibus æqualia celeritatis momenta sibi superaddit.* Motus tamèn æquabilis, seù uniformis *est ille, quo spatii partes quibuscumque temporibus æqualibus à mobili peractæ, inter se sunt æquales.* In quibus nullomodo est immorandum.

DIS-

DISPUTATIO SEXTA.

De Composito Substantiali.

QUÆSTIO PRIMA.

An Compositum Substantiale essentialitèr constituatur, tàm ex unione, quàm ex materia, & forma?

IN hac dificultate Averroes, & alii pauci dixerunt, formam esse totam quidditatem compositi; materiam verò concurrere ad illius constitutionem, tamquàm vehiculum formæ. At communis sententia tenet, tàm materiam, quàm formam esse de essentia compositi. Circà unionem autem est controversia. Thomistæ enim affirmant, negant verò Scotistæ cum S. D. in 3. dist. 2. Q. 2. §. *Quantum ad tertium*, ℣. *Et ideò*, num. 11. dicentes, unionem tantùm se habere ut conditionem ad compositionem compositi substantialis.

Dicimus 1.° Compositum substantiale intrinsecè constituitur ex materia, & forma, tamquàm ex partibus essentialibus. Prob. 1.° Ex symbol. D. Athan. *Sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita &c.* Sed tàm Deus, quàm homo intrinsecè, & essentialitèr constituunt Christum D.: ergo tàm caro, quàm anima essentialitèr constituunt hominem. Itèm S. Aug. 19. de Civit Dei ait: *Homo neque est anima solùm, neque corpus solùm, sed ex utraque compositum.* Prob. tamèn ratione: Essentia physica hominis, v. gr. est illa, quæ per definitionem physicam explicatur; sed per talem definitionem explicatur utraque pars: ergo utraque est de essentia hominis. Prob. min. hæc est bona definitio physica hominis, scilicèt: *Constans corpore, & anima rationali*, & non esset bona, si diceretur solùm: *Homo est constans anima*: ergo.

Dicimus 2.° Unio non est de essentia compositi naturalis, sed solùm conditio simplicitèr necessaria ad constitutionem, & conservationem ejus. Est D. S. cit. & inter Scotistas communis. Prob. Unio est respectus extrin-

trinsecùs adveniens; ideòque debet esse accidens; sed nullum accidens potest esse de essentia substantiæ: ergo. Deindè unio non est formalitèr in composito, sed in partibus, partesque denominat unitas, non verò totum, quod potiùs dicitur unum, quia ad entitatem illius consequitur unitas, ut propria passio: ergo unio non est de essentia compositi. Quod autem unio sit necessaria conditio ad constitutionem, & conservationem compositi, constat, quia nisi ponatur unio, partes non constituunt ipsum totum, & tamdiù illud conservatur, quamdiù manent partes unitæ.

Objicies contra primam. Primò: Materia, actione caloris naturalis humidum radicale depascentis, perpetuò dilabitur, & per nutritionem alia acquiritur; compositum verò sempèr est idem; sed variata materia, idem nequit perseverare compositum, admisso, quod materia sit de ejus essentia: ergo. Secundò: Sequeretur eamdem numero materiam pertinere ad diversas essentias; pereunte enim Petro, v.gr. in ejus materia alia forma succedit: ergo. Tertiò: In generali Resurrectione non resurgeret idem homo; nam eadem numero materia ad multos attinere potest; ut patet in illis, qui humanis carnibus vescuntur, qui materiam hominum, quos comedunt, sibi copulant; sed hoc est contra fidem: ergo.

Respond. ad primum probare etiàm formam substantialem materialem non esse de essentia compositi; hæc enim etiàm per nutritionem deperditur. Resp. 2.° neg. in nutritione variari materiam animalis, quoad puriores, & solidiores partes, in quibus salvatur ejus essentia, & fundatur identitas individui; solùmque variatur quantùm ad aliquas partes impuriores, & fluxibiliores. Ad secundum, totum concedimus, nullumque ibidem inconveniens adest, in quo subjectum commune in essentia diversorum seorsim, & etiam simùl includatur. Ad tertium dicimus ex D. Aug. & Scoto à nostro Villa-Castin citatis, quod homo resurget in novissimo die cum eodem corpore, quo ad partes, quas accepit à parentibus, & cum aliquibus ejus partibus solidioribus, quas in variis

tem-

temporibus per nutritionem acquisivit; non præcissè quas acquisivit ex comestione humanæ carnis, sed cum aliis.

Objicies contra secundam. Unio est ipsamèt compositio; sed de ratione essentiali compositi est compositio: ergo etiàm unio est de essentia compositi. Probat. min. Compositum dicitur essentialitèr tale à compositione, sicut album ab albedine, & animatum ab anima; sed albedo est de essentia albi, & anima animati: ergo paritèr. Respond. dist. maj. Unio est ipsamèt compositio grammaticalis, conc. philosophica, neg. maj. & distinct. min. inversis terminis, neg. conseq. Ad probat. disting. maj. à compositione philosophica, transeat, à compositione grammaticali, neg. maj. & conc. min. neg. conseq. Itaque si compositio sumatur grammaticalitèr, ut sonat ethymologia nominis, & nihil est aliud, quàm partium unio, non pertinet ad essentiam compositi. At si sumatur philosophicè, ut significat caussalitatem partium in ordine ad totum, sic non est unio, nèc de essentia compositi, si sumatur formalitèr, seù pro relatione, quam dicit; tamèn sumpta materialitèr de essentia compositi est.

QUÆSTIO SECUNDA.

An compositum substantiale distinguatur realitèr à suis partibus simùl sumptis, & unitis?

Aggredimur per difficile dubium, in quo ad veritatem inveniendam subtilitate, & labore opus est. Et supponimus non loqui de toto metaphysico, seù natura specifica ex genere, & differentia constituta; nèc de toto logico, quale est universale respectu inferiorum; sed de toto physico per se, & essentiali, quod, nempè, constat ex materia, & forma. Et quidèm certum est, tale compositum realitèr distingui à qualibet parte seorsim sumpta, & etiam ab omnibus collectivè sumptis, & non unitis; corpus enim, & anima possunt simùl existere, quin existat homo. Undè Quæstio est, an compositum substan-

tantiale distinguatur realitèr à suis partibus simùl sumptis, & unitis? Negant communitèr Thomistæ; affirmant verò omnes ferè Scotistæ, uno, vel altero dento; nec desunt aliqui non ignobiles Thomistæ, qui affirmativam nobiscum partem substineant, ut Hervæus. Capreol. Cayet. Ferrara, Soncinas, Flandria, Deza, Conimbric. Fonsec. Lalemandet, & alii. Cum quibus

Dicimus, totum per se substantiale realitèr distingui à suis partibus simùl sumptis, & unitis; ita ut prætèr materiam, & formam, & unionem, reperiatur in composito alia entitas positiva, & absoluta, quæ tertia entitas appellari solet; materia enim est prima, forma verò secunda; undè illa entitas erit tertia. Ita S. D. pluribus in locis, sed clariùs in 3. dist. 22. §. *Modò ad propositum*, ℣. *Dico igitur*, num. 18. ubi ait: *Homo habet unitatem quamdam, & entitatem aliam ab istis partibus, etiam unitis.* Colligitur etiam ex Arist. lib. 3. de Anim. & alibi, ubi dividit substantiam corpoream in tres substantias, scilicèt, materiam, formam, & compositum: ergo compositum est substantia alia, seù distincta à materia, & forma.

Prob. 2.° ratione fundamentali: Omnis caussa vera, & realis, quæ caussat per influxum verum, & realem, realitèr distinguitur à suo effectu; sed materia, & forma unitæ sunt veræ, & reales caussæ influentes in compositum substantiale: ergo adhuc unitæ realitèr distinguntur à composito substantiali. Maj. patet ex difinitione caussæ. Min. etiam constat; quia secundùm Arist. & omnes; quodlibet compositum substantiale habet quatuor genera caussarum; sed ex illis materia, & forma sunt duæ caussæ, vel una totalis: ergo &c.

Valdè premit adversarios ratio ista; ideòque, ad illam solvendam varias adhibent solutiones; frequentior autèm inter Thomistas est, caussam extrinsecam, quæ extra se producit effectum, debere ab ipso realitèr distingui, non tamèn caussam intrinsecam, qualis est materia, & forma, quia caussat totum per communicationem sui, & exhibitionem suæ entitatis. Sed contrà; impli-

plicat aliquid caussare seipsum in aliquo genere caussæ: ergo caussa intrinseca non potest caussare, nisi aliquid ab ipsa realitèr distinctum; aliàs seipsam caussaret. Prob. antec. Omnis caussa debet præsupponi ad caussatum; sed nihil præsupponitur sibi ipsi; aliàs esset, & non esset, quod implicat: ergo.

Prob. 3.° conclus. Unitas per se habet aliquam per se entitatem propriam, in qua fundatur; sed unitas compositi substantialis est unitas per se: ergo habet aliquam entitatem propriam pro fundamento. Tunc sic; sed tale fundamentum nequeunt esse entitates partium adhuc unitarum: ergo debet esse tertia entitas ab eis realitèr distincta. Maj. patet; quia omnis propria passio requirit proprium subjectum, cujus est passio. Min. subsumpt. prob. Propria unitas requirit unam entitatem; sed partes adhuc sub unione, non sunt una entitas, sed plures, & ut sic fundant unionem, non unitatem; quia tàm distinctæ manent post unionem, quàm anteà: ergo subjectum unitatis per se compositi non possunt esse entitates partium adhuc sub unione.

Prob. 4.° Gradus metaphysici completi, v. gr. corpus, animal, homo, &c. sunt idem realitèr cum toto, immò, & formalitèr, secundùm Thomistas; sed non sunt idem realitèr cum materia, & forma, nec seorsim, nec simùl sumptis, & unitis: ergo sunt idem realitèr cum aliqua entitate distincta realitèr à materia, & forma, tàm seorsim, quàm simùl sumptis, & unitis. Maj. patet; nam Petrus, v. gr. essentialitèr est corpus, animal, homo, & hic homo. Min. quo ad primam partem est evidens; nam materia, & forma seorsim non est corpus (Prædicamentale, & completum) nec animal, nec homo, nec hic homo. Quo ad secundam verò partem ostenditur. Implicat, aliquod prædicatum esse de essentia partium unitarum, quod non erat de essentia illarum antè unionem; sed prædicata corporis, animalis, hominis, &c. non erant identificata cum partibus non unitis: ergo neque cum illis unitis, & conjunctis. Probat. maj. partes per unionem non mutant suam essentiam, quam

an-

anteà habebant: ergo implicat, aliquod prædicatum esse essentiale ipsis unitis, quod non erat essentiale ipsis non unitis; & consequentèr illa prædicata sunt essentialia alicui tertiæ entitati ab ipsis unitis distinctæ.

Prob. deniquè. Differentia contrahens genus corporeum, nequit esse spiritualis; quia differentia cum genere realitèr identificatur, & corporeum cum spirituali nequit realitèr identificari; sed rationalitas est differentia contrahens genus corporeum, scilicèt, animal: ergo rationalitas realitèr distinguitur ab anima rationali, & consequentèr homo realitèr distinguitur ab anima, & corpore pro altera parte.

Objic. 1.° Ex S. D. lib. 1. Physic. Quæst. 9. ℣. *Nunc ponitur*, num. 4. ubi ait: *Nunc ponitur ista conclusio. Totum est suæ partes, ita ut omnes partes simùl sumptæ sint ipsum totum.* Quam conclusionem ibi prob. & respondet argumentis in oppositum: ergo &c. Secundò: Ex D. Athan. in Simbolo. *Sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ità Deus, & homo unus est Christus*; sed Christus non dicit tertiam entitatem resultantem ex Verbo, & humanitate; aliàs in illa, & non in sola humanitate passus fuisset, quod est hæreticum: ergo nec homo dicit tertiam entitatem resultantem ex anima rationali, & carne.

Resp. ad primum. Primò: Illos Physic. libros non constare esse D. S. in opinione nostri Annalistę Wading. Secundò: Admisso, quod sint D. S. resp. ibi, ut patet ex contextu, loqui de toto integrali, quod etiàm nos concedimus à suis partibus non distingui. Tertiò: Admisso etiàm, quod de toto essentiali loquatur, resp. Doct. non negare distinctionem realem totius à partibus simùl sumptis, & unitis, sed exclusionem essentialem; ideòque ait: *Quod omnes partes simùl sumptæ, & unitæ sunt ipsum totum*, hoc est essentialitèr, non identicè. Resp. ad secundum, paritatem solùm tenere in hoc, quod sicut anima, & corpus sunt de essentia hominis, & substantialitèr uniuntur in una persona, ità Divinitas, & humanitas sunt de essentia Christi, & in una persona Verbi

subs-

substantialitèr uniuntur. Aliàs si paritas quo ad omnia teneret, sequeretur, quod sicùt Deus, & homo ita est unus Christus, ut possit Deus prædicari de homine, & è contrà; ita anima posset prædicari de corpore, & è contrà. Et etiàm sicut anima, & corpus uniuntur tamquàm actus, & potentia; ità Verbum, & humanitas. Quæ omnia sunt falsa; ac proindè paritas non tenet quo ad omnia.

Objic. 3.° Partes sunt idem essentialitèr cum toto: ergo etiam sunt idem realitèr cum illo. Patet conseq. implicat, aliquid realitèr distingui ab eo, cum quo essentialitèr est idem: ergo si partes sunt essentialitèr idem cum toto, non possunt ab eo realitèr distingui. Resp. dist. ant. sunt idem essentialitèr mutuò neg. antec. non mutuò, conc. antec. & neg. conseq. Ad prob. dist. ant. cum quo essentialitèr mutuò est idem, conc. antec. cum quo essentialitèr non mutuò est idem, neg. antec. & conseq. Reverà partes sunt idem essentialitèr cum toto, quia constituunt ejus essentiam; at totum non est idem essentialitèr cum partibus, quia earum essentiam non constituit. Similitèr totum est idem essentialitèr cum partibus, quia illas includit in sua essentia; partes verò non sunt idem essentialitèr cum toto, quia illud in earum essentia non includunt. Undè hæc identitas partium cum toto, & totius cum partibus semper est non mutua, & imperfecta, composibilisque cum distinctione reali. Vide quæ diximus in præliminaribus ad distinctionem Scoticam de distinctione, & identitate formali ratione inclusionis &c.

Sed quæres hic 1.° An hæc tertia entitas dicenda sit materialis, vel spiritualis in homine? Et supponimus, esse compositum ex corpore, & spiritu; immò de facto natura humana dicitur media inter merè corporalem, & spiritualem, quia componitur ex una parte purè corporali, & alia merè spirituali. Dubium ergo est de ipsa tertia entitate cathegorematicè sumpta, an sit corporea, an verò spiritualis. Resp. tertiam entitatem esse totam materialem, & corpoream. Prob. Homo essentialitèr est

corpus metaphysicum: ergo non potest esse formalitèr spiritus. Patet conseq. Nàm sicut repugnat, rationale, & irrationale identificari realitèr eo, quod immediatè dividunt animal; ita ratio spiritus, & ratio corporis immediatè dividunt substantiam; sed homo est substantia, & corpus completum: ergo repugnat cum illo identificari rationem spiritus.

Quæres 2.° Quid sit dicendum de aliis compositis? Resp. nullum compositum, prætèr substantiale ex potentia, & actu ultimato, seù completo, distingui realitèr à suis partibus simùl sumptis, & unitis, sivè totum accidentale, sivè pèr agregationem, sivè integrale, homogeneum, vel heterogeneum. Colligitur ex D. S. in 3. dist. 2. Quæst. 2. §. *Quantum ad tertium*, ℣. *Et si quæras*, num. 10. & alibi. Ex quo hæc depromitur ratio. Ideò partes compositi substantialis caussant tertiam entitatem, quia una est per se actus, & alia per se potentia; sed nullæ partes aliorum compositorum sunt per se actus, aut potentia, ut patet: ergo.

Quæres 3.° Quodnam sit proximum, & adęquatum subjectum accidentium? Resp. non materiam primam, sed compositum esse subjectum proximum, & adęquatum accidentium materialium. Est utriusque Scholæ quo ad utramque partem. Prob. ergo utraque simùl; si materia prima esset subjectum proprium inhæssionis accidentium, nullus esset motus violentus in rerum natura; hoc est falsum: ergo. Prob. maj. motus non dicitur violentus, nisi quandò subjectum dicit repugnantiam ad formam recipiendam; sed materia prima ad nullam formam dicit repugnantiam: ergo nullus motus esset violentus, si materia est subjectum proximum inhæssionis accidentium; & consequentèr calor in aqua non erit violentus; sed hoc est contrà omnes: ergo calor ideò violentus est, quia subjectatur, non in materia, cui non repugnat; sed in tota aqua, contrà cujus naturalem inclinationem est: ergo compositum est proximum accidentium materialium subjectum.

Sed hic adverte, non omnia accidentia materialia

pro-

proximè inhærere corpori, seù composito, sed unum mediante alio. Et si quæras, quale accidens sit illud, quo mediante, cætera accidentia inhærent substantiæ? Resp. Tale accidens esse quantitatem; nàm albedo in superficie extenditur, & similitèr calor, cum diffunditur per corpus, extenditur in ejus quantitate: ergo qualitates in quantitate immediatè recipiuntur. Undè compositum est subjectum immediatum *quod* omnium accidentium materialium, & quantitas est subjectum proximum *quo* omnium accidentium, quę media quantitate recipiuntur.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Caussa in communi.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Caussa in communi?

Relictis aliorum definitionibus, placet nobis, quæ traditur à Suario, Mastrio, & aliis, & sic se habet: *Caussa est principium per se influens esse in aliud.* Circa secundam verò partem quæstionis. Caussa ut sic dividitur ab Arist. in quatuor genera, scilicèt, in caussam materialem, formalem, efficientem, & finalem. Quæ divisio ab omnibus admittitur. Et si consideretur respectu caussæ materialis, formalis, & efficientis est univocà, & generis in species; nam omnes istæ veræ sunt caussæ, & differunt inter se per diversas rationes specificas caussandi, ut patet; at si ratio communis caussæ comparetur ad caussam finalem, talis divisio est æquivoci in sua æquivocata; finis namquè physicè, & realitèr non influit in effectum; nec est vera, & realis caussa, ut mox dicemus.

Istæ autem caussæ non ità differunt inter se, ut idem materiale respectu diversorum effectuum non possit exercere omnia, & singula caussarum genera; at respectu ejusdem effectus aliqua genera, non verò omnia. Primum patet in anima, quæ est caussa formalis respectu cor-

po-

poris, seù hominis; efficiens suarum operationum; materialis, seù receptiva earumdem actionum; & deniquè finalis, seù finis generationis. Secundum videtur in Deo, qui est simùl principium, & finis omnium rerum. Ordo ergo, quem prædictę caussæ habent in caussando, dupliciter considerari valet; vel in intentione, vel in executione. In intentione prior est caussalitas finis; hic enim movet efficientem in ratione amati. Secunda caussalitas est efficientis; nam caussæ intrinsecæ caussant, quia priùs caussant extrinsecæ, non è contrà. Tertia est caussalitas formæ; & ultima in hoc ordine est caussalitas materiæ. In ordine tamèn executionis efficiens est prima, secunda materia, tertia forma, quæ in suo esse dependet ab efficiente, & materia; & ultima est finis.

Si tamèn quæras; quænam ex his caussis dignior, & perfectior sit? Resp. Caussas extrinsecas esse digniores, & perfectiores intrinsecis; nam caussalitas caussæ extrinsecæ dicit perfectionem sinè imperfectione; intrinsecæ verò cum imperfectione; sunt enim pars caussati. Undè Deo tribuitur utraque caussalitas extrinseca, nulla verò intrinseca. Ex caussis autem extrinsecis finis est nobilior, quia movet agens ad agendum, & actiones agentis ad ipsum ordinantur. Ex caussis tandèm intrinsecis forma est perfectior materia; hæc enim appetit illam, ut turpe pulchrum.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quid sit caussalitas, seù in quo formalitèr consistat ratio Caussæ in communi?

Hoc nomen *Caussa* est concretum quoddam dicens pro materiali rem illam, quæ caussa denominatur, v. gr. homo, ignis, &c. & pro formali formam illam, à qua res formalitèr denominatur caussa, quæ solet dici caussalitas. Et inquirimus, quid sit, & in quo consistat? Quibus notatis

Dicimus primò: Caussa in actu primo remoto dicit duo,

duo, nimirùm, subjectum, seù entitatem rei pro materiali, & potentiam, seù virtutem pro formali; & sic in tali statu constituitur in esse caussæ formalitèr per relationem transcendentalem ad effectum, quæ est ipsa virtus, & potentia productiva talis effectus realitèr entitati caussæ identificata. Colligitur tàm ex Philosopho, quàm ex D. S. à nostro Villa-Castin citatis; & prob. Caussa in actu primo remoto est caussa potens agere, seù cum virtute ad agendum; sed potentia, seù virtus caussandi importat directè relationem transcendentalem ad effectum possibilem: ergo in illa potentia, seù relatione transcendentali stabit caussalitas, seù ratio formalis caussæ in actu primo remoto.

Dicimus secundò: Caussa in actu primo, seù potentia proxima constituitur per ipsam virtutem, seù potentiam, non utcumque, sed ut expeditam, & prout connotat omnia requisita ad effectum. Hæc est communis, & suficientèr patet ex dictis de potentia materiæ. Difficultas ergo, eaque non levis, est, quid dicat caussalitas in actu secundo, seù in exercitio caussandi? An dicat aliquid absolutum, vel respectivum? Et si dicit respectivum, an præcedat, saltim natura, effectum; an verò sit aliquid medians inter effectum, & caussam? An denique subsequatur? Pro qua

Dicimus tertiò: Caussalitas, à qua caussa denominatur formalitèr in actu secundo caussans, non est aliquid absolutum, sed respectivum. Est S. D. infrà citandi, & Scotistarum; & probat. quia secundùm omnes, caussa est concretum relativum, respiciens effectum pro termino: ergo id, quod formalitèr dicit, debet esse relatio.

Dicimus quartò: Relatio ista non præcedit natura effectum, nèc mediat inter effectum, & caussam, sed est posterior natura ipso effectu. Ita expressè S. D. in 2. dist. 1. Quæst. 2. §. *Quantum ad istud*, V. *Et quando arguitur*, num. 8. Prob. ratione: Relatio formalitèr ut talis, essentialitèr est habitudo inter duo extrema; sed implicat, dari habitudinem, nisi dentur ipsa extrema,

in-

inter quæ versetur; sicut implicat dari unionem sinè partibus: ergo relatio caussę ad effectum necessariò supponit entitatem caussę, & effectus, inter quę versetur.

Ojicies contrà tertiam conclus. Si relatio esset caussalitas caussæ, tunc caussa media relatione caussaret; sed hoc implicat, quia relatio non est de genere activorum: ergo non consistit caussalitas in tali relatione. Resp. dist. maj. media relatione, tamquàm forma, à qua formalitèr denominatur exercitè caussans, conc. maj. media relatione, tamquàm per virtutem caussandi, neg. maj. & dist. min. in eodem sensu, neg. conseq. Aliud est inquirere, per quid caussa causset; aliud verò per quid denominatur formalitèr caussa, ut caussans. Caussat quidèm mediante virtute absoluta, quæ est ratio agendi; & dicitur caussalitas fundamentalis. Denominatur verò formalitèr caussans, & influens ratione relationis subsequutæ.

Objicies contrà quartam: Agens agit actione; sed actio, per nos, est relatio: ergo agit relatione; sed agens ut tale est prius effectu: ergo relatio, qua agit est prior effectu; & consequentèr media inter caussam, & effectum. Resp. in hoc argumento non esse novam difficultatem à præcedente distinctam; proindèque eisdem terminis responderi valet, atque distingui. Actio itaquè formalitèr accepta, est posterior caussa, & effectu, utpotè relatio; fundamentalitèr verò sumpta, est prior effectu, ut diximus.

QUÆSTIO TERTIA.

An omnis Caussa debeat effectum præcedere, & esse perfectior illo?

Ad primam partem quæstionis respondentes, dicimus; ad rationem caussæ non requiritur prioritas durationis in ordine ad effectus, sed sufficit, & requiritur prioritas naturæ. Sic S. D. in 2. dist. 1. Quæst. 3. §. *Tenentes*, ℣. *Ad secundum*, num. 17. ubi ait: *Caussa non caus-*

caussat, in quantùm præcedit effectum duratione; sed est caussa in quantùm præcedit effectum natura. Prob. prima pars: Caussa non est caussa, nisi in eo instanti, in quo caussat; anteà enim solùm erat caussa in potentia: ergo in ratione caussæ non exigit prioritatem temporis.

Prob. secunda pars: Prius est, caussam esse in se, quàm communicet esse effectui; nàm priùs aliquid debet habere esse in se, quàm communicare esse alteri: ergo caussa priùs debet esse, quàm effectus; sed non priùs tempore, ut diximus: ergo priùs natura. Confirmatur: illud est prius prioritate naturę essendi, quod ex se potest esse sinè alio; sed quælibet caussa potest esse sinè effectu, quantùm est ex se: ergo est prior natura suo effectu. Jàmque respondentes ad secundam quæstionis partem.

Dicimus 1.° Omnis caussa formalitèr, & reduplicativè, ut talis, est perfectior suo effectu. Prob. Caussa formalitèr ut talis, dicit independentiam, effectus verò dependentiam importat; sed independens, formalitèr ut tale, est perfectius, & nobilius dependenti: ergo. Confirmatur: Caussa, ut talis, dat esse effectui, & effectus, ut talis, accipit esse à caussa; sed perfectius, & beatius est dare, quàm accipere: ergo caussa, formalitèr ut talis, est nobilior, & perfectior suo effectu.

Dicimus 2.° Loquendo de caussa entitativè, & absolutè, non requiritur, quod sit perfectior, aut æquè perfecta cum suo effectu. Prob. materia prima est caussa formæ materialis, & compositi; sed forma in entitate est perfectior materia, & compositum est perfectius non solùm materia, sed etiàm forma, & materia simùl sumptis: ergo.

Si autem inquiras, quænàm caussæ sint perfectiores, quænàm in perfectiores suis effectibus? Resp. quod loquendo de finali caussa, modò est perfectior, ut cum proximum diligo proptèr Deum; modò est imperfectior, ut cum proptèr vanitatem elicio actus spirituales virtutis. Caussa verò efficiens, si est univoca, est ejusdem perfectionis cum effectu, ut ignis ignem producens: si est totalis æquivoca, est perfectior suo effectu; si denique

què est tantùm partialis, potest esse imperfectior suo effectu. Circà caussas intrinsecas dicimus tamèn, compositum, seù tertiam entitatem esse perfectius partibus, etiàm simùl sumptis, & unitis; nàm compositum includit perfectiones, & entitates partium, & ultrà dicit propriam entitatem: ergo.

QUÆSTIO QUARTA.

An Caussa necessariò requirat existentiam ad caussandum?

Thomistæ præssi argumentis D. S. negantis, Sacramenta posse physicè cuussare gratiam, quià quandò gratia infunditur, verba Sacramenti non existunt, ut caussalitatem physicam Sacramentorum defendant, tenent, naturaliter posse aliquod agens non existens caussare, dummodò tamèn immediatè antè productionem effectus, extiterit; etiàm si in instanti productionis non existat. Cæteri verò Theologi hanc sententiam totis viribus rejiciunt. Cum quibus:

Dicimus, existentiam esse necessariam indispensabilitèr ad caussandum; ita ut nec etiàm divinitùs aliquod agens non existens possit physicè caussare. Ita S. D. pluribus in locis à nostro Villa-Castin citatis; ipsamque docuit Arist. 4. Metaph. text. 16. ubi ait: *Ea, quæ non sunt, quo pacto, aut loquentur, aut ambulabunt?* Id enim docent plerique PP. præcipuè S. Greg. Thaumat. Disp. de anim. ubi ad verba Philosophi cit. addit. *Nisi forte ità quis insaniat, ut id, quod non est, ejus, quod est, caussam esse affirmet.*

Probat. ratione: Id, in quo non est virtus respectu effectus, non potest esse caussa illius; sed in re non existente, non est virtus respectu effectus; ergo res non existens nequit esse caussa illius. Maj. patet; nam id, in quo non est potentia, non potest dici potens. Probat. min. præcissa existentia, caussa non est in actu primo, sed in mera potentia objectiva; sed ens in mera potentia objec-

jectiva actu est nihil: ergo nihil potest; & consequentèr &c. Confirmatur: Caussa nihil potest caussare in instanti immediatè antè suam existentiam: ergo nec immediatè post existentiam sui. Prob. conseq. Ideò caussa extitura nihil producere valet, quia ipsa nihil est; sed caussa præterita de præsenti nihil est, & eodem modò se habet, ac si numquàm extitisset: ergo.

Nè dicas, caussam, quæ non existit, permanere in esse virtutis, estò non permaneat in esse entis. Nàm contrà est: Caussam permanere in esse virtutis, vel est aliquam virtutem derivatam à caussa remanere existentem, vel est, eam in operari manere, & non in esse? Si primum: ergo non solùm immediatè post instans ultimum, sed etiam post mille instantia, & post multos dies caussa poterit caussare. Cave igitur (lepidè inquit Hurtado) nè te impetat canis mortuus. Deindè ex hac responsione in re habemus intentum; siquidèm jàm verificatur, virtutem immediatè productivam requirere existentiam, ut modò causset. Si dicas secundum, petis principium; quià ex argumentis constat, non posse dari, operari sine esse.

Objicies cum Thomistis. Primò: Pater non existens, sed mortuus, est caussa filii posthumi: ergo caussa non existens potest caussare. Secundò: Ut unum corpus agat in aliud, v. gr. ignis in lignum, non requiritur simultas loci, sed sufficit contiguitas: ergo nec requiritur simultas temporis, sed contiguitas sufficit. Tertiò: Caussa moralis, & formalis non requirunt existentiam ad caussandum: ergo nec caussa physica. Quartò: Privatio est principium, & terminus à *quo* generationis, & tamen non existit in instanti generationis, sed immediatè antè: ergo paritèr. Quintò: Sacramenta caussant gratiam in primo instanti sequenti ad eorum existentiam, in quo jàm non sunt: ergo caussa non existens poterit caussare, si immediatè antè extiterit.

Resp. ad primum: Patrem mortuum non esse caussam immediatam, sed solùm mediatam filii posthumi, qui generat mediante semine, quod ipse dereliquit;

semen tamèn existit quandò filius concipitur. Ad secundum neg. conseq. Disparitas est; quod illud, quod non existit in hoc loco, existit tamèn in alio, absolutè existit, & habet esse simplicitèr; quod autèm non existit in hoc tempore, absolutè non existit, nec habet esse; ac proindè nequit entitatem alicui tribuere. Ad tertium: certum est caussam moralem, & finalem non requirere physicam, & realem existentiam ad caussandum, sed solùm requirit existentiam moralem; quià moralitèr, & non physicè, caussat. Ad quartum: Non tenet paritas, quià caussa verè influit in effectum; privatio verò non influit in generationem, sed tantùm illam principiat per modum termini à *quo*, seù recedentis, & derelicti; ideoquè debet non existere. Ad quintum, concedimus sacramenta caussare gratiam, non physicè, ut volunt Thomistæ, sed tantùm moralitèr. Observa autèm hic à Thomistis committi circulum vitiosum; nàm in Theologia probant Sacramenta caussare physicè gratiam, quandò non existunt; quià caussa potest operari physicè, etiàm si non existat; hic autèm probant, caussam posse operari physicè, etiàm si non existat; quià Sacramenta non existentia caussant physicè gratiam; sed neutrum efficacitèr probant.

QUÆSTIO QUINTA.

An Caussa essentialitèr connectatur cum effectu possibili?

Caussam diximus intrinsecè, & essentialitèr constitui in ratione talis per relationem transcendentalem ad effectum; nuncquè quærimus, an caussa secundùm esse possibile habeat connexionem cum effectu, ità ut ex possibilitate unius inferatur necessariò possibilitas alterius; aut ex negatione possibilitatis unius, sequatur per necessariam consequentiam impossibilitas alterius? In qua

Dicimus 1.° Nulla caussa est per se connexa cum aliquo effectu in particulari, sed quocumque effectu particu-

cùlari repugnante, virtus productiva caussæ eadem omninò permaneret. Prob. repugnante uno albo, si tamèn alia essent possibilia, non repugnaret potentia visiva. Quis enim dicet, meam potentiam visivam fore destruendam, si modò redderetur impossibile album existens apud Indos? ergo quolibet effectu in particulari repugnante, non repugnaret potentia, seù caussa productiva illius.

Dicimus 2.° Si repugnarent omnes effectus alicujus caussæ collectim sumpti, repugnaret caussa creata formalitèr ut talis. Prob. Caussa formalitèr, ut talis, dicit relationem transcendentalem ad effectum; sed repugnante termino adæquato alicujus relationis, repugnat ipsa quoquè relatio: ergo repugnante effectu, repugnaret caussa formalitèr ut talis. Confirmatur; ideò Scotistæ omnes cum S. D. infrà citando, tenent, omnipotentiam non esse essentialitèr connexam cum possibilibus, quià non est perfectio relativa secundùm esse, ità ut essentialitèr includat ordinem realem transcendentalem ad creaturas; sed quælibet caussa creata dicit relationem transcendentalem ad effectum: ergo repugnante collectione effectuum, repugnaret quoquè ipsa caussa creata.

Dicimus 3.° Divina Omnipotentia non est essentialitèr connexa cum possibilibus, nec seorsim, nec collectim sumptis. Ita S. D. pluribus in locis, quem sequuntur omnes Scotistæ, & plures extranei contrà Thomistas. Prob. ratione D. S. Si Omnipotentia Dei connecteretur cum possibilitate creaturarum, deficiente possibilitate cujuslibet creaturæ, quantumvis minimæ, deficeret omnipotentia; consequens est falsum: ergo, & antec. Prob. min. Tùm: ex illo Psalmi: *Deus meus est tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Tùm: quia id, quod est magis necessarium non potest coexigere ad sui existentiam illud, quod est minus necessarium; sed Deus est ens magis necessarium, quoad omnia sua intrinseca, quàm quodlibet aliud intelligibile: ergo nequit coexigere ad sui existentiam aliquam creaturam adhùc possibilem. Tùm de-

deniquè: si Omnipotentia talis esset naturæ, ut deficiente qualibet creatura, deficeret, talis omnipotentia, non esset summè perfecta. Quod sic prob. Nàm si concipitur Omnipotentia ità absoluta ab unoquoque effectu, ut quocumque, immò omnibus simùl repugnantibus, eadem omninò permaneret, talis omnipotentia esset perfectior illa, quæ deficeret repugnante effectu aliquo: ergo non hæc, sed illa esset summè perfecta: ergo non hæc, sed illa est Deo adscribenda: ergo &c.

Prob. 2.° Etiàm ex D. S. quià necessarium ex se non mutabitur secundùm aliquid perfectè idem sibi, quacumque positione possibili, vel impossibili facta circà aliud à se; sed quidquid est in perfectè simplici (ut est Deus) est idem sibi perfectè: ergo nihil in eo potest mutari, quocumque posito circà aliud; & consequentèr quacumque hypothesi facta circà creaturas possibiles, manebit immutabilis Omnipotentia.

Prob. 3.° Omnipotentia Dei non est inseparabilis à possibilitate creaturæ: ergo destructa possibilitate, non destrueretur omnipotentia. Patet conseq. Quià si unum extremum est separabile ab alio, uno destructo, non est necesse aliud destrui. Prob. antec. Si Omnipotentia nequit separari à possibilibus, vel est, quià est idem realitèr cum illis, vel quià dependet ab illis, vel deniquè quià est simùl natura cum ipsis, seù dicit relationem ad illa? Sed nihil horum est verum: ergo non est inseparabilis ab ipsis. Maj. est evidens; min. verò, quo ad primam, & secundam partem est de fide; quo ad tertiam tamèn ostenditur; quià relatio ordinatur ad terminum, tamquàm ad suum specificativum; sed nihil, quod est in Deo, potest specificari ab aliquo creato: ergo. Et etiàm: quià relativa sunt simùl natura invicèm necessariò connexa, & posita se ponunt, ac perempta se perimunt: ergo sunt æqualis necessitatis; & consequentèr si Deus, ut omnipotens correlativè se habet cum creatura possibili, erit æqualis necessitatis cum ipsa.

Prob. 4.° Si lapis v.gr. redderetur impossibilis, adhuc maneret in Deo, quantùm est ex se potentia productiva la-

lapidis: ergo destructio unius possibilis adhuc à posteriori non infert destructionem omnipotentiæ. Prob. ant. Chymæra de facto non ideò dicitur impossibilis, quià Deus nequeat illam producere, aut illi potentia desit; sed è contrà: ideò potentia Dei non potest exire in actum circà Chymæram, quià ipsi deest potentia passiva, ut producatur: ergo defectus potentiæ passivæ in creatura non arguit in Deo defectum potentiæ activæ.

Objicies contrà primam: Si unus effectus redderetur impossibilis, caussa amitteret respectum ad talem effectum; sed ordo ad alios effectus à parte rei est idem cum ordine ad hunc effectum, ut diximus agentes de potentia remota materiæ primæ: ergo etiàm periret ordo ad alios effectus. Resp. dist. maj. amitteret extrinsecè, & terminativè, conc. maj. intrinsecè, & realitèr, neg. maj. & conc. min. neg. conseq. Respectus enim non perit, nisi pereat effectus formalis specificativus illius; at relatio caussæ non specificatur à quolibet effectu determinatè, sed ab effectu ut sic, & à singulis disjunctim, & vagè. Undè, uno solo possibili remanente, adhuc staret potentia caussæ.

Objicies contrà tertiam: Potentia proxima ad producendum aliquem effectum est essentialitèr connexa cum possibilitate talis effectus; sed omnipotentia est intrinsecè potentia proxima producendi creaturas; nàm est potentia perfectissima, & completissima producendi illas: ergo est connexa cum ipsis. Resp. dist. maj. Potentia proxima sumpta quietativè, formalitèr, & pro per se significato, conc. maj. sumpta quidditativè, fundamentalitèr, & pro denominato, neg. maj. & dist. min. est intrinsecè potentia proxima fundamentalitèr, & pro denominato, conc. min. formalitèr, & pro per se significato, subdist. secundùm id, quod dicit in recto, conc. min. secundùm id, quod importat de connotato, & in obliquo, neg. min. & dist. conseq. est connexa cum illis sumpta quietativè, & formalitèr, seù pro per se significato, conc. conseq. sumpta quidditativè, & pro denominato, neg. conseq.

Om-

Omnipotentia ergo quidditativè, & in primo signo naturæ considerata, est perfectio absolutissima Dei absquè eo, quod in tali signo cointelligantur possibilia, aut terminatio aliqua ad ipsa. Undè in posteriori signo ex ipsa omnipotentia, tamquàm ex fundamento, & ex possibilibus, tamquàm connotatis resultat (vel potiùs intelligitur resultare) illa relatio rationis, qua formalitèr denominatur omnipotentia, & tendit, seù terminatur ad creaturas; ideoquè tota entitas, & essentia omnipotentiæ salvatur completissimè, & perfectissimè, seù in actu primo proximo in illo absoluto, quin de novo ad tendentiam, & denominationem addatur aliquid, nisi respectus rationis, & connotatio possibilium; quapropter possibilia non desiderantur ad complendam entitatem potentiæ, sed tantùm ut connotata illius entitatis in se essentialitèr completæ.

QUÆSTIO SEXTA.

An caussæ possint esse ad invicèm caussæ?

Sensus quæstionis est, an, scilicèt, hæc caussa causset illam, & insupèr caussetur ab eadem. Quod potest intelligi, vel in eodem genere; ut si una caussa producat efficientèr aliam, & è contrà; vel in diverso genere; ut si una causset efficientèr aliam, & illa causset materialitèr hanc. Circà quod conveniunt omnes, non posse in eodem genere dari mutuam caussalitatem, seù dependentiam. Quarè tota difficultas est, circà mutuam caussalitatem in diverso genere. Pro quo

Dicimus: Caussæ non possunt esse sibi invicèm causse in diverso genere, secundùm eamdem rationem. Colligitur ex D. S. in 2. dist. 3. Quæst. 4. §. *Propter argumenta*, ℣. *Præterea illud*, num. 9. quem sequuntur Discipuli contrà Thomistas. Probat. implicat, idem esse caussam, & effectum respectu ejusdem: ergo implicat, duo se invicèm caussare secundùm eamdem rationem, adhuc in diverso genere. Prob. antec. Implicat, aliquid

esse

esse prius, & posterius, dependens, & independens respectu ejusdem; sed si daretur mutua caussalitas, idem esset prius, & posterius, dependens, & independens respectu ejusdem; nàm in ratione caussæ esset prius, & independens; in ratione effectus esset dependens, & posterius: ergo. Confirmatur; implicat, aliquid simùl esse, & non esse; sed si daretur mutua caussalitas, idem simùl esset, & non esset: ergo. Prob. min. Nàm idem esset, & existeret ex ea parte, qua caussaret, & non esset ex parte, qua indigeret caussari, seù accipere esse: ergo.

Diximus in conclusione: *Secundum eamdem rationem*; nàm secundùm diversas rationes bene possunt caussæ esse invicèm caussæ, tàm in diverso, quàm in eodem genere; materia enim est caussa formæ, quo ad ejus esse simplicitèr, & primum; & forma est caussa materiæ, quo ad esse formale, quod est extrinsecum constitutivè, licèt possit dici intrinsecum informativè. Immò in eodem genere Magister potest docere discipulum, qui posteà doctior evadens, docebit illum, in quo nulla est repugnantia. Et hoc est ad summum, quod probant contrariorum argumenta, quod etiàm nos concedimus. Sed numquàm convincent, caussas se mutuò caussare secundùm idem esse; ità ut effectus tribuat caussæ illud idem esse, quod caussa præstitit effectui; hoc enim implicat, & ideò à nobis in conclusione negatur.

QUÆSTIO SEPTIMA.

A qua Caussa proveniat determinatio effectus quo ad speciem, & individuum?

Dicimus 1.° Caussæ naturales in quocumque genere ad plures in specie effectus indifferentes, determinantur ad talem effectum in specie ex variis caussis secum concurrentibus, & variis conditionibus occurrentibus, ab ipsisque desumitur extrinsecè species effectus. Sic S. D. in 1. dist. 3. Quæst. 7. §. *Ad auctoritatem*, ℣. *Vel aliter*, num.

num. 39. ubi docet, intellectum ad multas intellectiones specie differentes illimitatum determinari ad unam, vel alteram in specie certa, à certo objecto concurrente, & solùm ad generationem hominis determinari ex concursu hominis, & ad generationem Leonis ex concursu Leonis; sic etiàm ex diversitate dispositionum materię *circa quam* Sol agit, lutum indurat, & ceram liquefacit, in lacte producit dulcedinem, & in absynthio amaritudinem. Caussa autèm determinata ad unam speciem, ex natura sua ad talem speciem determinatur; ignis enim v. gr. non potest producere nisi ignem, etiàm stante quacumque dispositione.

Circà caussam autèm liberam, scilicèt, voluntatem, quantùm ad libertatem contrarietatis, scilicèt, ad amandum, vel odiò habendum, determinatur ab objecto, ut diximus in Ethica; at quantùm ad libertatem contradictionis, scilicèt, ad amandum, & cessandum ab amore ex se ipsa determinatur. Et in hoc distinguitur caussa libera à naturali; nàm libera, possitis omnibus requisitis ad operandum, potest operari, & non operari; naturalis autèm non potest non operari, saltim de potentia ordinaria.

Dicimus 2.° Quandò caussæ sunt indeterminatæ ad plures numero effectus, determinantur ad unum numero præ aliis à solo Deo, seù caussa prima. Sic S. D. in 4. dist. 43. Quęst. 3. per totam; & est communis DD. Prob. talis determinatio nequit refundi in caussam secundam: ergo absolutè refundenda est in primam. Prob. antec. Ignis, v. gr. licèt ex se sit determinatus ad speciem, scilicèt, ad calorem, & non ad frigus, non tamèn est magis determinatus ad hunc numero calorem, quàm ad alium: ergo determinatio hujus numero effectus nequit ipsi igni, seù caussæ secundæ attribui. Patet conseq. nàm determinatio effectus quo ad individuationem nequit attribui caussæ indifferenti; sicut nec determinatio effectus quoad speciem adscribitur caussæ indifferenti ad talem speciem: ergo talis determinatio provenit à caussa prima. Idem dic de caussa libera: voluntas enim

de

de se non est determinata ad hanc numero volitionem potiùs, quàm ad illam: igitur &c.

QUÆSTIO OCTAVA.

An idem numero effectus possit produci à pluribus caussis totalibus, & adæquatis.

Dicimus 1.° Idem numero effectus potest produci à pluribus caussis totalibus seorsim sumptis. Ita S. D. in 2. dist. 20. Quæst. 2. §. *Dico*, ℣. *Dico*, *quod non*, num. 3. & alibi, quem sequuntur Discipuli, & plures extranei contra Thomistas. Prob. ratione Theologica ex S. D. in 2. cit. Ipsimet homines, qui de facto sunt prædestinati, essent etiàm prædestinati, si maneret status innocentiæ; sed plures ex ipsis de facto sunt nati à parentibus reprobis, qui in illo statu non fuissent: ergo in illo statu deberent nasci ab aliis: ergo idem effectus productus ab una caussa totali, poterit divissim produci ab alia. Sed quià hæc ratio, & aliæ metas Philosophiæ excedunt, ideò

Prob. ratione Philosophica primò: Ignis A. v. gr. potuit antecedentèr producere ignem caussatum ab igne B: ergo idem effectus potest divisivè à duplici caussa totali produci. Prob. antec. Ignis productus ab igne B. est omninò ejusdem rationis cum igne producto ab igne A.: ergo sicut ignis A. potuit in unum, ita & in alium. Patet conseq. nàm omnis caussa potens in unum effectum, potest in quemlibet alium ejusdem rationis, nisi adsit aliqua specialis ratio oppositum suadens, quæ hic non adest.

Prob. secundò ad hominem: Idem numero habitus productus per primam demonstrationem Logicalem v. gr. circà syllogismum, potuit, juxta adversarios, produci per demonstrationem circà definitionem; si circà illam fieret prima demonstratio: ergo idem numero habitus potest produci à duplici caussa totali divissim sumpta. Quod, ut ait noster Villa-Castin, debet intelligi,

non tantùm de potentia Dei absoluta, sed etiàm de potentia ordinaria, & naturalitèr.

Dicimus 2.° Nec de potentia Dei absoluta potest idem numero effectus produci simùl à duplici caussa totali, & adæquata. Ita DD. Angelicus, & Subt. à nostro Villa-Castin citati, estque communis in utraque Schola. Prob. primò ratione D. S. si idem effectus produceretur simùl à duplici caussa totali, dependeret simùl à duplici caussa totali; hoc implicat: ergo. Prob. min. Si idem effectus dependeret simùl à duplici caussa totali, à neutra essentialitèr dependeret; vel ab eadem simùl dependeret, & non dependeret essentialitèr: ergo implicat, eumdem effectum à duplici caussa simùl dependere. Prob. antec. Nihil dependet essentialitèr ab eo, quo non existente, nihilominùs illud esset; sed si idem effectus esset totalitèr à duplici caussa, qualibet non existente, adhùc effectus existeret: ergo à neutra essentialitèr dependeret, vel ab eadem simùl dependeret, & non dependeret essentialitèr.

Prob. 2.° Si idem numero effectus produceretur simùl à duplici caussa totali, quælibet etiàm esset totalis, & non esset totalis; hæc est contradictio: ergo. Sequel. maj. prob. Et in primis esset totalis, ut supponitur in quæstione, deindè non esset totalis, quod sic ostenditur; caussa totalis in exercitio, seù in actu secundo est illa, quæ totalitèr ponit effectum, ità ut nihil relinquat ponendum ab altera caussa; si enim aliquid relinquat producendum non erit totalis; sed tunc una caussa relinqueret aliquid producendum ab alia: ergo non esset totalis. Confirm. Posita actione totali unius caussæ, effectus transiit de non totalitèr producto, ad totalitèr productum: ergo per unam caussam exhauritur tota producibilitas effectus; sed si relinquitur aliquid producendum per alteram caussam, non exhauriretur: ergo una caussa erit totalis, quià totum, & totalitèr effectum ponit; & non erit totalis, quià relinquit totum, & totalitèr effectum ponendum ab alia.

Urgetur: Posito effectu per unam caussam, omninò au-

aufertur non esse talis effectus; sed ut caussa producat, supponit effectum non esse, cum illum transferat ab uno statu in alium: ergo una caussa totalitèr ponit effectum, ut per illam omninò sit, & totalitèr illum non ponit, ut adhuc effectus omninò non sit; & consequentèr quælibet esset caussa totalis, & non esset.

Prob. 3.° conclusio: Implicat, eumdem effectum bis produci in eodem instanti: ergo implicat, simùl caussari à duplici caussa totali. Patet conseq. Nàm si aliquid simùl caussatur à duplici caussa totali, bis in eodem instanti caussatur, semèl ab una, & semèl ab altera. Prob. antec. Implicat, aliquid bis in eodem instanti corrumpi. Nàm ut aliquid totalitèr desinat, sufficit unica corruptio; illa enim possita, nihil aliud remanet corrumpendum: ergo implicat, bis in eodem instanti produci. Conseq. patet à paritate.

Objicies contrà primam: Si effectus productus ab una caussa, posset ab alia produci, sequeretur, quod dependeret, & non dependeret à sua caussa: ergo. Prob. sequel. in primis dependeret, ut supponitur; deindè non dependeret, quià nihil dependet ab illo, sinè quo potuit habere esse; sed si effectus productus ab una caussa, posset ab alia produci, posset esse sinè illa, à qua est productus: ergo. Resp. neg. sequel. Ad prob. neg. maj. Non enim sequitur, quod effectus de facto dependeat, & non dependeat à caussa, à qua est productus; sed solùm quod effectus, qui de facto dependet ab una caussa, potuerit non dependere ab illa; in quo nulla est contradictio; sicut non est: *Homo est albus, homo potuit non esse albus*, quià non est affirmatio, & negatio ejusdem de eodem, & secundùm idem.

Objicies contrà secundam. Primò: Si duo ignes v. gr. applicarentur eidem stupæ æqualitèr simùl, & eodem modo producerent eumdem numero calorem; nàm caussa necessaria applicata passo operatur circà illum, quantum potest; sed quilibet ex illis ignibus caussantibus esset caussa totalis caloris, vel ignis caussati: ergo possent eumdem numero effectum producere. Secundò: Ex

S. D. in 4. dist. 10. Quæst. 4. §. *De quæsito*, ℣. *Respondeo*, num. 8. ubi ait: *Ad rationem de Incarnatione dico, quod possibile esset illud idem Corpus* (Christi) *fuisse formatum de sanguinibus Virginis, & hoc sub modo essendi naturali, non obstante, quod Eucharistia præcessisset vera.* Ex quo sic arguitur: Corpus Christi D. existens in Eucharistia haberet esse totalitèr per actionem creativam Dei, v. gr.; sed hoc non obstante, potuit, juxta D. S. formari de sanguinibus Virginis: ergo idem corpus potest habere esse per duplicem actionem totalem.

Resp. ad primum: Illos duos ignes in tali casu non esse caussas totales, & totalitèr agentes, sed partiales; itaquè ità neuter ageret secundùm totam virtutem, sed partialitèr influeret in effectum; nàm licèt sint agentia naturalia, & æquè passo approximata, requirunt tamèn capacitatem subjecti, & effectus exigentiam, quibus se accomodat virtus naturalis, ut à primo Agente applicata. Ad secundum D. S. se explicat immediatè, dicens: *Sed illa formatio non fuisset tunc inceptio corporis, nisi secundum quid, sicut modo conversio panis in Corpus, non inceptio corporis, nisi secundùm quid, quià quod sic incipit, præhabet esse simplicitèr.* Undè (ait Villa-Castin) B. V. M. in tali casu non esset vera Mater Christi; quià talis conceptio non esset verè generatio, cum non haberet esse simplicitèr, & primum per concursum Virginis: igitur nequè esset vera caussa; & consequentèr &c.

DISPUTATIO OCTAVA.

De Caussis in particulari.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit caussa efficiens?

Philosophus lib. 2. Physicor. caussam efficientem sic definit: *Est id, undè principium mutationis primum, aut quietis.* Quæ clariùs sic explicari potest: *Caussa efficiens est principium primum, à quo provenit mutatio, aut quies.*

Quæ

Quæ definitio ab omnibus communitèr recipitur. In qua per ly *principium*, cum cæteris convenit caussis; ly *primum*, non supponit pro primo absolutè, & simplicitèr, qualis est solus Deus; sed in proprio, & determinato genere. Cæteræ particulæ habent locum differentiæ ab aliis caussis; quià totum propriè non dicitur fieri à *materia*, & *forma*, sed ex *materia*, & *forma*; undè non sunt *à quibus*, sed *ex quibus*; similitèr caussa finalis non est, *à qua motus*, sed *cujus gratia fit motus*. Ly *mutatio*, non sumitur propriè pro mutatione physica, seù transitu de privatione ad formam; sed etiàm latè pro transitu de non esse ad esse, quo sensu etiàm comprehendit creationem. Tandèm additur, *aut quietis*; & idem est, ac conservationis.

Circà secundam, partem caussa primò dividitur in caussam per se, & caussam per accidens. Illa est, quæ secundùm naturam propriam habet virtutem, & non secundùm aliquid sibi accidens caussat; sic Medicus per se medetur, & ædificator per se ædificat. Ista est, quæ non attingit effectum, licèt habeat connexionem accidentalem cum caussa per se alicujus effectus. Sic Musicus ædificat, & Medicus ambulat. Secundò dividitur in caussam physicam, quæ verè, & realitèr influit in effectum, ut Pater respectu filii; & moralem, quæ potest sumi duplicitèr. Primò quatenùs moralitas idem est, ac libertas; quo sensu voluntas dicitur caussa moralis suorum actuum; sed quià hæc, etiàm physicè, & realitèr producit, ideò potiùs est caussa physica, quàm moralis. Secundò sumitur moralitas pro imputatione; & in hoc sensu caussa moralis est illa, cui secundùm prudentem existimationem imputatur effectus; licèt verè in ipsum non influat. Et hujusmodi caussæ his versiculis à Moralibus comprehenduntur.

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, Mutus, Non obstans, Non manifestans.

Tertiò dividitur in caussam principalem, quæ propria virtute attingit effectum principalitèr intentum, ut

ignis

ignis ad producendum ignem; & instrumentalem, quæ activè non attingit talem effectum. Quartò dividitur caussa in proximam, seù immediatam, quæ nullo alio medio concurrit ad effectum; & mediatam, seù remotam, quę mediante alio, dicitur ad effectum concurrere.

Quintò dividitur in caussam totalem, & partialem. Totalis est, quæ se sola est sufficiens ad ponendum effectum absque alia; vel simplicitèr excludendo quamlibet caussam, ut Deus; vel in determinato genere, ut in linea efficientis, materialis, vel formalis. Partialis est, quæ se sola non ponit effectum, sed cum consortio alterius caussæ ejusdem generis; ut pater, & mater respectu filii; objectum, & potentia respectu notitiæ. Sextò dividitur in caussam primam, quæ independentèr ab alio operatur, ut Deus; & in secundam, quæ agit dependentèr à prima. Septimò in universalem, quæ concurrit, vel ad omnes effectus, ut Deus, vel ad plures, ut Sol; & particularem, quæ concurrit ad certum, & determinatum effectum, ut sublunaria. Octavò dividitur in univocam, quæ producit effectum sibi similem in natura, ut ignis ignem; & æquivocam, quæ producit effectum alterius rationis, & naturæ, ut Sol producens aurum: alias caussæ efficientis divisiones, utpotè parùm utiles, omittimus.

QUÆSTIO SECUNDA.

An Caussæ secundæ sint verè efficientes, & quid efficiant?

Circà primam partem aliqui Philosophi antiqui, quos novitèr sequitur Cartesius, negaverunt caussis secundis omnem virtutem productivam, asserentes, Deum solum producere effectus ad præsentiam rerum creatarum. Alii autèm dixerunt, creaturas corporeas nihil efficere, spirituales verò producere aliquid. Alii deniquè dicebant, creaturas corporeas posse producere accidentia, non verò substantiam. His tamèn sententiis, ut erroneis, relictis.

Dicendum est cum communi creaturas, seù caussas se-

secundas habere aliquam efficientiam physicam respectu plurium rerum, quæ de novo producuntur. Prob. 1.° Ex Sacra Scriptura pluribus in locis. Gen. enim cap. 1. & seq. dicitur: *Germinet terra herbam virentem::: producant aquæ reptile::: crescite, & multiplicamini::: Quid fecisti?::: Quid fecisti hanc rem.* Et Christus D. Luc. 21. ℣. 29. ajebat: *Videte ficulneam, & omnes arbores, cum producunt jàm ex se fructus.* Deindè Trident. Sess. 6. Can. 4. Anathematizat eum, qui dixerit, nostrum liberum arbitrium nihil operari, sed se habere veluti inanime instrumentum in ordine ad actus supernaturales ad nostram justificationem pertinentes: ergo est in nobis virtus activa ad tales actus. Confirmatur; nàm aliàs homines non peccarent, nec mererentur; & consequentèr nec essent digni pœna, aut præmio; cum non haberent dominium suarum actionum, quod necessariò ad meritum, & demeritum requiritur: ergo &c.

Prob. 2.° Nàm experientia docet, ad præsentiam ignis produci calorem, & ad contactum aquæ produci frigus: ergo ignis, & aqua producunt hos effectus. Nec valet dicere, solum Deum ipsos producere ad præsentiam aquæ, & ignis. Contrà enim est: Quià si solus Deus illos produceret, non esset major ratio, quarè produceret calorem ad præsentiam ignis, quàm ad præsentiam aquæ: ergo &c. Nunc verò ad secundam partem respondentes

Dicimus 1.° Illa, quæ resultant emanatione propria, seù metaphysica non sunt propriè effectus subjecti, à quo dimanant. Prob. Intèr caussam, & effectum datur relatio realis; sed hæc debet versari intèr extrema realitèr distincta: ergo illa, quæ propriè dimanant, cum non distinguantur realitèr, non possunt terminare relationem caussalitatis à subjecto.

Dicimus 2.° Illa, quæ dimanant impropriè, sivè sint absoluta, sivè respectiva, dummodò non sint instituta ad denominandum aliquid formalitèr caussans, sunt propriè effectus caussæ efficientis. Prob. quod dimanat physicè ab efficienti, & non est *quo* in ratione denominandi

pro-

producens, propriè est *quod*, seù productum, vel effectum; sed hæc, de quibus loquimur, dimanant physicè ab efficienti, & non sunt *quo* in ratione denominandi producens: ergo sunt verè *quod*, seù productum, vel effectum. Undè omnia accidentia, sivè absoluta, sivè relativa, excepta activa caussalitate, sunt verè effectus caussæ efficientis.

Dicimus 3.° Illa, quæ dimanant impropriè, & sunt relationes institutæ à natura ad denominandum aliquid formalitèr caussans, non habent propriè rationem effectus. Prob. Ad rationem effectus propriè requiritur, quod aliquid proveniat à caussa, seù fundamento per alium influxum, & caussalitatem distictam; sed hæc, de quibus loquimur, nequeunt per alium influxum, & caussalitatem distinctam procedere; aliàs influxus esset influxus, actionis actio, & caussalitatis caussalitas, & sic in infinitum: ergo &c.

Ex dictis à fortiori colligitur, illa, quæ fiunt per simplicem efficientiam habere propriè rationem effectus; talia sunt composita substantialia, formæ substantiales, & accidentales, tàm absolutæ, quàm respectivæ extrinsecùs advenientes; nàm tales relationes non dimanant, cum non insurgant ex natura extremorum, & extrema possint actu reperiri sinè ipsis, ut patet.

Contrà primam conclusionem objiciunt plures auctoritates Scripturæ, & PP. v. gr. illud 1. Corinth. 12. *Deus, qui operatur omnia in nobis*, & alia hujusmodi; sed hæc, & similia solùm probant, nos non posse aliquid operari sinè concursu generali, aut speciali Dei; ut patet in operibus conducentibus ad vitam æternam; sed per hoc non excluditur concursus creaturæ.

QUÆSTIO TERTIA.

Quid formalitèr sit caussalitas efficientis?

Dicimus 1.° Caussalitas agentis, ut producentis formalitèr, seù ut comparatur ad terminum productum,

est

est actio consistens in relatione intrinsecùs adveniente. Prob. facilè, suppositis his, quæ diximus de caussalitate in communi: caussalitas ut sic est relatio caussæ ad effectum: ergo caussalitas efficientis, ut producentis, erit relatio efficientis ad effectum; sed talis relatio est intrinsecùs adveniens, cum resultet indispensabilitèr, possitis extremis: ergo.

Dicimus 2.° Caussalitas efficientis formalitèr, ut transmutantis, seù ut respicit subjectum, est relatio extrinsecùs adveniens pertinens ad prædicamentum actionis. Hæc etiàm patet ex sæpiùs dictis; nàm relatio extrinsecùs adveniens est illa, quæ non statim resultat, possitis extremis, sed requirit aliquam conditionem extrinsecam, ut resultet; sed actio transmutativa est hujusmodi; non enim resultat calefactio, v. gr. possitis in rerum natura igne, & ligno, nisi adsit extrinseca conditio applicationis: ergo.

Nuncquè inquires: An actio productiva, & conservativa sit eadem? Resp. 1.° Quotiescumquè caussa prima producens, & conservans est eadem, etiàm eadem est actio productiva, & conservativa. Ità S. D. hic à Villa-Castin cit. & patet; quià conservatio est continuata productio, ut omnes concedunt: ergo ubi est eadem caussa producens, & conservans, eadem quoquè erit actio productiva, & conservativa; relatio enim, qualis est actio, non variatur, non variato fundamento, aut termino. Resp. 2.° Quandò effectus producitur ab una caussa, & ab alia conservatur, actio primò productiva, & conservativa distinguuntur. Prob. variatis extretremis, vel saltim uno illorum, necesse est, relationem actionis quoquè variari; sed quandò effectus ab una caussa producitur, & ab alia conservatur, variantur extrema, vel saltim unum illorum: ergo etiàm variatur actionis relatio.

QUÆSTIO QUARTA.

An substantia creata sit immediatè operativa?

Sensus quæstionis est, an virtus productiva, quàm in substantia creata supponimus, sit ab illa realitèr distincta, ratione cujus attingat effectum, vel sit aliquid indistinctum, & realitèr idem cum ipsa substantia? Atquè ideò quæstio hæc valdè affinis est illi, in qua inquiritur, an potentiæ distinguantur realitèr ab essentia? Si enim distinguuntur, tunc substantia, non immediatè, sed mediante aliqua virtute realitèr distincta producet suos effectus; si verò sint indistinctæ, tunc substantia se ipsa realitèr erit productiva. Et quià effectus potest esse substantia, vel accidens, de utroquè procedit difficultas. In qua

Dicimus 1.° Substantia creata est principium *quo* proximè, & immediatè productivum accidentium in se ipsa. Est communis inter Scotistas cum pluribus extraneis contrà Thomistas; & probat. ratione communi, & solida. Aqua calida, remoto contrario, recuperat pristinam frigiditatem, quam amisserat; sed tunc nulla adest virtus immediatè, & proximè productiva illius frigiditatis, nisi substantia aquæ: ergo. Omnia constant præter min. quæ probanda est, impugnando multiplicem solutionem Thomistarum. Et imprimis illa frigiditas nequit caussari à generante aquam; quià generans potest non esse sufficientèr applicatum; immò jàm in rerum natura non existere. Nequè talis frigiditas produci potest ab aëre circunstante, ut volunt alii; aër enim regularitèr non est tàm frigidus, quàm ipsa aqua. Nequè itèm frigus illud proveniret ab aliqua oculta qualitate residente in aqua, ut volebat Jabellus; nàm ut benè ait Hurtado, tàm oculta est ista qualitas, ut prætèr Jabelli, oculos cæterorum Philosophorum effugerit. Nèc deniquè frigiditas illa provenire potest à substantia aquę per simplicem emanationem, & resultantiam; nàm resultantia, & emanatio impropria, seù alicujus realitèr distincti non tol-

tollit veram efficientiam: ergo frigiditas illa producitur immediatè à substantia aquæ.

Dicimus 2.° Substantia creata habet virtutem intrinsecam, & immediatè productivam accidentium in subjecto extraneo. Sic S. D. in 2. dist. 9. Quæst. 2. §. *Ad argumenta*, ℣. *Respondeo*, num. 33. Prob. Quià Sol producit calorem in corporibus inferioribus; sed non per alium calorem, quià Sol non est formalitèr calidus, sed virtualitèr tantùm; nèc assignari potest in Sole alia qualitas, per quam calor ille producatur: ergo per suam substantiam illum immediatè producit. Et etiàm quià cognitio intuitiva substantiæ, v. gr. caussatur immediatè ab ipsa substantia; sed talis cognitio est accidens: ergo. Si dicant Thomistæ, notitiam intuitivam caussari etiàm mediantè specie dependente in esse, & conservari ab objecto. Contrà est; quià talis species etiàm est accidens; sed hæc caussatur in intellectu, & non mediante alio accidente, nè detur processus in infinitum: ergo.

Dicimus 3.° Substantia creata est principium *quo* immediatè productivum alterius substantiæ. Ita S. D. sæpè, sed ex professo in 4. dist. 12. Quæst. 3. §. *Etsi contra hoc*, num. 10. & alibi; quam præter Discipulos, sequuntur plures extranei contrà Thomistas. Prob. conclusio ratione fundamentali S. D. qua omnes utuntur: Accidens nequit esse principium *quo* immediatè productivum substantiæ: ergo sola substantia est tale principium. Prob. antec. Id, quod est imperfectius, nequit caussare id, quod est perfectius; sed accidens est imperfectius substantia, & hæc perfectior quocumque accidenti: ergo principium *quo* immediatè productivum substantiæ nequit esse accidens, sed substantia. Maj. inquit S. D. *Est ità per se nota, sicut quælibet alia in Philosophia, qua negata, nescirem probare aliquem ordinem entium, neque quod primum ens esset perfectissimum; immò posset protervus dicere, totum universum factum esse à musca*; non enim potest redargui, nisi per hanc majorem, quam si negat, rogamus à contrariis, ut inveniant medium convincendi protervum. Min. etiàm est evidens. Undè conseq. est legitima.

Res-

Respondent Thomistæ, caussam principalem, quæ in virtute propria producit effectum, debere esse perfectiorem, aut æquè perfectam cum illo; non verò caussam instrumentalem, quæ tantùm est *quo* caussa principalis effectum producit. Undè cum substantia sit caussa principalis, accidens autèm instrumentaria, sufficit quod substantia sit æquè perfecta cum effectu, non verò requiritur, quod accidens sit æquè perfectum cum illo.

Sed contrà: Accidens operari in virtute substantiæ, vel sic intelligitur, ut accidens in agendo recipiat quandam formam à substantia, per quam proportionetur ad substantiam producendam, ut vult Capreolus; vel ità ut accidens non transitivè, sed permanentèr sit virtus substantiæ, ut vult Cayetanus? Neutrum dici potest: ergo. Prob. min. quo ad primam partem; quià illa virtus de novo in accidenti recepta, vel est substantia, vel accidens? Non substantia; quià accidens nec recipit, nec substentat substantiam: non accidens; aliàs adhùc esset improportionatum ad substantiam producendam; cum omne accidens utpotè imperfectius substantia, sit improportionatum ad substantiam producendam. Quo ad secundam verò partem prob. eadem min. quià tunc accidens ex natura sua, & ut à substantia distinctum esset virtus adæquata, & immediatè productiva substantiæ; sed hoc implicat; nàm entitas ignobilior alia, non potest illam in sua virtute continere: ergo &c.

Objicies contrà primam: Potentia specificatur ab operatione, & termino operationis; sed substantia nequit specificari ab operatione, nec à termino operationis, si ille est accidens; quià potentia substantialis, utpotè nobilior, ab his specificari nequit: ergo non potest accidentia immediatè producere. Resp. dist. maj. specificatur extrinsecè, & manifestativè, conc. maj. intrinsecè, & formalitèr, neg. maj. & dist. min. nequit specificari intrinsecè, & formalitèr, conc. min. extrinsecè, & manifestativè, neg. min. & conseq. Potentia enim intrinsecè, & essentialitèr specificatur à suis prædicatis intrinsecis, & constitutivis, ab actu verò extrinsecè, & ma-

manifestativè ; in quo nulla est repugnantia.

Objicies contrà secundam: Si forma substantialis esset principium proximum immediatè operativum, habens talem formam, sempèr operaretur in actu secundo; hoc est falsum: ergo. Probat. seq. Ideò habens formam substantialem vitæ, sempèr est actu vivens, quià talis forma est immediatum principium vivendi: ergo paritèr. Resp. instando argum. Si forma accidentalis esset principium immediatè operativum, habens talem formam, sempèr operaretur in actu secundo; sed accidens est principium proximum immediatè operativum: ergo habens tale accidens, sempèr operabitur in actu secundo; sed hoc non sequitur: ergo nec primum. Resp. ergo, neg. maj. Ad prob. dist. antec. ideò præcissè neg. antec. quià est principium in genere caussæ formalis, conc. antec. & neg. conseq. Discrimen est; quod forma est principium vivendi in genere caussæ formalis, seù per solam communicationem sui; ideoquè dùm est subjecto capaci unita, sempèr illi præbet effectum formalem, & licèt sit per se ipsam principium immediatum in genere caussæ efficientis, non sempèr operatur; quià ad hoc indiget aliis extrinsecis conditionibus, quæ sæpè non adsunt.

Objicies contrà tertiam: Primò: accidens se solo potest destruere formam substantialem: ergo, & illam producere. Patet conseq. *Quia corruptio unius est generatio alterius.* Prob. antec. nàm calor, v. gr. potest destruere substantiam aquæ, cum possit omnem gradum frigoris ab aqua destruere, slnè quo conservari non potest: ergo. Secundò: Accidentia vini consecrati habent virtutem convertendi guttulam aquæ mixtam in vinum; ac proindè producunt formam vini. Resp. ad primum, accidentia, non formalitèr, & principalitèr, sed solùm dispositivè destruere substantiam, quatenùs disponunt subjectum, ut agens principale sua immediata actione producat in illo formam substantialem, quæ expellit aliam ab eadem materia. Ad secundum dicimus, solum Deum producere formam vini in aqua illa ad ocultandum misterium: undè accidentia nihil efficiunt.

Quæ-

Quæres hic 1.° An aliqua accidentia sint activa, & qualia? Resp. Solas qualitates intèr accidentia esse propriè activas. Probat. Omnia accidentia sunt quantitas, qualitas, aut relationes; sed ex his quantitas non est per se activa alterius quantitatis, nec relatio habet rationem activi; nàm si ipsa per se non acquiritur, nec etiàm poterit esse principium effectivum alterius: ergo sola qualitas erit activa; quod etiàm constat; nàm calor separatus ab igne producit calorem: ergo &c.

Quæres 2.° An accidens respectu alterius accidentis sit caussa principalis, vel instrumentalis? Resp. esse caussam principalem. Prob. calor separatus ab igne producit alium calorem: ergo est caussa principalis. Patet conseq. nàm caussa instrumentalis non potest agere à principali separata: ergo.

Quæres 3.° An accidens saltim inadæquatè, & partialitèr producat de facto substantiam? Resp. negativè contrà Suarez, & alios. Et prob. substantia v. gr. ignis continet adæquatè alium ignem, cum sit ejusdem speciei, & perfectionis cum illo: ergo est caussa sufficiens adæquata productiva illius; & consequentèr non indiget accidenti, ut caussa partiali ad producendum alium ignem.

QUÆSTIO QUINTA.

An in caussis creatis detur potentia obedientialis, & ad quid?

Per potentiam obedientialem nihil aliud intelligimus, quam subjectionem creaturæ respectu Dei, non ut Auctoris naturalis, sed ut agentis suprà vires naturæ ad effectus supernaturales præstandos. Undè quæstio est, an caussæ secundæ habeant aliquam potentiam innatam, ratione cujus possint præstare effectus vires naturæ excedentes, supposito concursu speciali Dei? Et quià potentia alia est passiva, seù ad recipiendam formam, & alia activa, seù ad producendum effectum. De utraquè in præsenti per sequentes conclusiones resolvitur quæstio. In qua

Di-

Dicimus 1.° Datur in rebus potentia obedientialis passiva in ordine ad aliquas formas recipiendas. Est communis, & prob. Nàm intellectus, & voluntas recipiunt aliquas formas supernaturales, ut sunt gratia, & habitus per se infusi; sed tales formæ non producuntur ab aliquo agente creato, nec à Deo, ut auctore naturæ; sed ut agente supernaturali: ergo datur potentia obedientialis passiva in rebus ad aliquas formas supernaturales recipiendas. Quæ potentia obedientialis passiva entitativè sumpta nihil aliud est (ut ait noster Villa-Castin) quam ipsamet entitas, seù potentia receptiva naturalis rei cum connotatione ad Deum, ut agentem supernaturalem.

Dicimus 2.° Non datur in quolibet subjecto potentia obedientialis passiva ad quamlibet formam recipiendam. Ita S. D. in 4. dist. 12. Quæs. 2. §. *Hic sunt*, ℣. *Ad quartum*, num. 8. ubi ait: *Sicut lapis non potest esse sapiens, quià nullomodò habet rationem receptivi respectu sapientiæ, sic Angelus non potest esse albus, quià nullomodò succeptivus est formæ hujus.* Prob. brevitèr. Plures formę nec divinitùs possunt recipi in aliquibus subjectis, ut albedo in Angelo, gratia in lapide, visus in auditu &c. ergo respectu talium formarum non datur potentia passiva obedientialis in aliquibus subjectis.

Dicimus 3.° In aliquibus rebus creatis datur potentia obedientialis activa ad producendos aliquos effectus. Ita D. S. in 3. dist. 4. Quæst. unic. §. *Ad propositum*, ℣. *Istud declaratur*, num. 12. ubi ait: *Sicut igitur natura* (humana Christi D.) *ad quam ut ad formalem terminum erat ista generatio, tantùm erat in potentia obedientiali, ut uniretur Verbo; ità illa Mater tantùm habuit potentiam obedientialem, ut esset Mater Verbi.* Et §. *Sed est nè*, num. 14. ait: *Quod potentia generativa* (Beatissimæ Virginis) *erat naturalis, secundùm quam erat naturalitèr fœcunda, &c.*: ergo juxtà S. D. Beatissima Virgo habuit potentiam naturalem activam generandi, quæ proptèr modum non naturalem exequendi, potest dici, non naturalitèr, sed obedientialitèr, & miraculosè genuisse.

Quod

Quod quidem nec Thomistæ poterunt negare; nàm Div. Thom. 1. Part. Quæst. 35. art. 3. in corpore, & ad 2. ait: *Beatissimam Virginem esse veram, & naturalem Matrem Christi D.* Et tamèn negari nequit genuisse miraculossè, & obedientialitèr quoad modum: ergo. Undè hæc potentia obedientialis activa est ipsamet potentia activa creaturæ, prout connotat concursum Dei, non generalem, sed specialem, & ex ordinaria, & communi lege indebitum creaturæ.

Dicimus 4.° Non datur in qualibet re creata potentia obedientialis activa ad quemlibet effectum producendum. Sic S. D. in 4. dist. 1. Quæst. 1. §. *Ad quæstionem*, num. 26. ubi ait: *Si enim alicui naturæ repugnat, quod sit principium activum aliquarum actionum, non est possibile, quod per potentiam quamcumque sit principium illarum; & si enim posset Deus absolutè creare frigus, non tamèn posset per calorem, &c.* Ex quibus verbis prob. conclus. ratione; ut aliquid possit elevari ad producendum aliquem effectum, debet habere aliquam virtutem, saltèm partialem, & inchoatam respectu illius; si enim nullam habet virtutem, eodem modo se habet quo ad hoc, ac si nihil esset; sed sunt aliqua entia, in quibus nulla virtus adhuc partialis, reperitur respectu plurium effectuum; ut in calore respectu frigoris, & in lapide respectu actuum vitalium: ergo talia entia non habent potentiam obedientialem, ut possint elevari ad tales effectus producendos.

QUÆSTIO SEXTA.

An Caussa creata possit à Deo elevari ad creandum?

Supponimus, creationem esse productionem rei ex nihilo, seù ex nullo subjecto præsupposito; ad differentiam generationis, quæ est productio rei ex aliquo subjecto præsupposito. Undè quod inquiritur est: an alicui creaturæ communicari possit potentia ad aliquid ex nihilo producendum? Supponimus etiàm, quæstionem in duplici sen-

sensu exagitari posse. Primò: Utrùm creatura possit aliam creare, ut caussa principalis? Secundò: An saltim possit assumi, ut instrumentum creationis? Supponimus deniquè, in nullo sensu, id posse naturalitèr contingere; hoc enim ad minùs probant auctoritates PP. & præsertim D. Athan. Serm. 13. contrà Arian. dicentis: *Condere, & creare solius Dei est, ejusque Verbi, & Sapientiæ.* Hæc sunt apud omnes certa; solùmque manet dubium de potentia Dei extraordinaria, & absoluta. In quo

Dicimus 1.° Nulla creatura potest assumi ad creadum per modum caussæ principalis. Hæc est communis contrà Durand. Gab. Malon. & Arriaga. Et omissis PP. auctoritatibus, apud Mast. tom. 2. Theologiæ disp. 1. Quæst. 1. videndis; prob. ratione: Implicat creatura, quæ non sit finitæ, & limitatæ virtutis in agendo; sed agens finitum, & limitatum nequit creare: ergo. Prob. min. Agens finitum, & limitatum, ut tale, nequit creare, nisi agat independentèr à subjecto; sed nequit agere independentèr à subjecto: ergo. Prob. min. Ut tale agens ageret independentèr à subjecto, deberet eminentèr continere caussalitatem subjecti, eamque supplere in genere caussæ efficientis; sed agens limitatæ virtutis nequit continere eminentèr caussalitatem subjecti, nec eam supplere in genere caussæ efficientis: ergo. Confirmatur; implicat, caussam unius generis determinati supplere caussalitatem alterius generis; nec enim materia potest supplere caussalitatem formæ, aut efficientis: ergo nullum efficiens creatum potest supplere caussalitatem materialem; atqui omne agens creatum ex natura sua requirit concursum subjecti ad producendum effectum: ergo.

Dicimus 2.° Nulla creatura potest assumi, adhùc ut instrumentum physicum ad creandum. Ità S. D. in 4. dist. 1. Quæst. 1. estquè ferè communis; & probat. Si creatura posset assumi, ut instrumentum ad creandum, vel esset, quià haberet in se aliquam virtutem saltèm inchoatam, & remotam ad creandum; vel quià elevaretur per aliquam virtutem superadditam; sed neutrum

dici potest: ergo. Prob. min. quo ad primam partem; nàm si creatura esset tali virtute ornata, esset instrumentum naturale ad creandum; quod repugnat: ergo. Prob. etiàm quo ad secundam partem, quià talis virtus superaddita esset accidentalis; sed modus connaturalis accidentis est cum dependentia à subjecto: ergo nequit ei competere modus oppositus operandi sinè dependentia à subjecto, qui est modus operandi in creatione: ergo &c.

Sed objicies contrà hanc. Primò: Non minor virtus requiritur ad efficiendam Incarnationem, quàm ad creandum, quià opus Incarnationis excedit vires naturæ, non minùs, quàm creatio; sed Beatissima Virgo virtute Dei cooperata est instrumentalitèr ad Incarnationem: ergo. Resp. conc. maj. neg. min. Nàm Incarnatio propriè consistit in unione hypostatica naturæ humanæ cum Verbo Divino, & hanc unionem solus Deus efficit. Undè Sanctissima Virgo ad talem unionem non concurrit, sed solùm ad generandam Sanctissimam Humanitatem Christi D.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Quomodo Caussa prima concurrat cum caussis secundis ad ipsarum effectus?

Supponimus 1.° Creaturam dependere à Caussa prima in esse, fieri, & conservari. Est de fide. Nàm Joann. 1. dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt.* Et Sapient. 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conservaretur?* Supponimus 2.° Omnem creaturam dependere à Deo etiàm in operari. Est etiàm de fide. Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Et 2. Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis &c.*

Supponimus 3.° Contrà Durandum, Ludovic. Dola, & quosdam antiquos, caussam primam, seù Deum, non solùm concurrere mediatè, & remotè, conservando, scilicèt, caussas creatas ad omnes ipsarum effectus, sed

etiàm

etiàm immediatè, & per se in ipsos influere. Hoc constat ex Scriptura; nàm Joann. 5. ajebat Christus D. *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Quem text. D. Aug. Epist. 146. Quæst. 2. de concursu immediato Dei cum caussis secundis intelligit, dicens: *Quomodò negare poterimus, Deum etiàm nùnc operari cuncta, quæ fiunt, cum Dominus dicat: Pater meus usque modò operatur?* Itèm D. Hieronym. sup. illa verba Pauli 2. Corinth. cit. ait: *Si voluero curvare digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare, sempèr mihi auxilium Dei necessarium erit.* Idem tamèn prob. à DD. quampluribus rationibus, quas brevitatis gratia apud ipsos videndas relinquimus.

Supponimus deniquè contrà Suarez, & alios, concursum caussæ primæ esse realitèr distinctum à concursu caussæ secundæ; nàm si ille sumatur fundamentalitèr, est ipsa Divina volitio omninò diversa à concursu caussę creatæ; & si formalitèr consideretur, est relatio rationis, quam nos concipimus in Deo ad similitudinem relationis realis, quam creatura dicit ad suum effectum. Undè falsum est, quod dici solet, caussam primam, & secundam eadem actione concurrere ad producendum effectum. His suppositis

Dificultas, eaque gravissima, est, quomodò caussa prima concurrat cum secunda, quandò hæc actualitèr producit? An, scilicèt, solùm influat simùl cum ipsa in communem effectum absque aliquo influxu in ipsam caussam? An verò influat, non solùm in effectum caussę secundæ, sed etiàm in ipsam caussam, & si influat in caussam, an per aliquem influxum prævium, seù physicam præmotionem, an verò per influxum simultaneum, seù concomitantem effectum, & pertinentem ad actum secundum? In qua

Thomistæ omnes, prætèr concursum simultaneum, quo Deus simùl cum creatura influit in communem effectum, tenent, requiri etiàm alium concursum pręvium in ipsa caussa intrinsecè receptum, qui appellatur physica præmotio, quo Deus caussam secundam ad agendum

dum determinat. At in prædicta præmotione explicanda differunt; nàm aliqui volunt, se habere per modum potentiæ, seù actus primi complentis ipsam caussam per modum virtutis. Alii dicunt, esse complementum, & applicationem ad agendum, non per modum virtutis in actu primo, sicut dantur habitus, sed per modum ultimæ determinationis, & applicationis actus primi ad secundum; proindequè statuitur, quasi medium inter virtutem completam, & actualem operationem, quià supponit illam, & præcedit istam. Alii deniquè tenent, physicam præmotionem esse ipsammet actionem caussæ secundæ, non prout caussa tali actu agit, & se movet, sed prout efficitur ab ipso Deo, & recipitur in voluntate, v. gr.

Sed contrà physicam præmotionem primo modo explicatam, qui minùs frequens est, sic insurgimus; ut caussa univoca, v. gr. producat in suo genere sufficit, quod illa sit æquè perfecta cum effectu; non enim requiritur major vis productiva ex parte caussæ, quàm sit entitas producibilis ex parte effectus; sed ignis producens est æquè perfectus, ac ignis producendus absque alio superaddito per modum virtutis: ergo sufficiens est ad producendum alium ignem. Maj. patet: nàm hoc ipso, quod caussa sit æquè perfecta cum effectu, nulla formalitas, aut prædicatum producibile relucet in ipso, quod non reperiatur etiàm in caussa. Min. est evidens, & conseq. legitima. Nèc in hoc modo dicendi ampliùs immoramur. Tùm quià etiàm apud Thomistas malè audit. Tùm tamèn, quià etiàm contrà ipsum militant impugnationes, quibus

Contrà physicam prȩmotionem secundo modo explicatam, sic insurgimus; supposita completa virtute ex parte ignis, v. gr. nihil prævium intrinsecum desideratur, ut exeat in actum secundum: ergo talis præmotio intrinsecè in igne recepta per modum applicationis inutilis est. Prob. antec. Posita completa virtute in igne, solùm desideratur omnium impedimentorum remotio, & omnium prærequisitorum positio; sed hæc omnia sunt

ex-

extrinseca respectu ignis: ergo supposita virtute completa, nihil intrinsecum prævium desideratur. Prob. min. Nàm approximatio, seù applicatio localis ignis ad lignum, v. gr. & ablatio humiditatis ab ipso ligno, &c. nihil ponunt intrinsecum in ipso igne, ut patet: ergo.

Deindè impugnatur physica præmotio in utroquè sensu explicata ex eo, quod destruat libertatem creatam. Potentia libera est illa, quæ possitis omnibus requisitis, potest agere, & non agere; sed si voluntas physicè præmovetur, non potest non operari: ergo præmotio physica destruit libertatem creatam. Prob. min. Præmotio est necessariò requisita ad operandum, sivè per modum virtutis, sivè per modum applicationis; sed posita præmotione voluntas non potest non operari; nàm præmotio physica est essentialitèr connexa cum operatione: ergo illa posita, non potest non operari.

Respondent aliqui Thomistæ, & novissimè Palanc. voluntatem Divinam esse liberam, quià possitis omnibus requisitis, quæcumque illa sint, potest agere, & non agere; & creatam verò solùm esse liberam ex eo, quod possit agere, & non agere, possitis omnibus prærequisitis creatis, intrà suum ordinem existentibus, non verò possitis prærequisitis Divinis, qualia sunt scientia Dei, ejus prædeterminatio, &c. Sed contrà; quià ex hoc sequitur, quod voluntas nostra numquàm est libera: ergo ruit solutio. Prob. antec. non esset libera, cum solùm habet prærequisita creata, nec cum habet prærequisita ex parte Dei, seù Divina: ergo numquàm. Prob. antec. voluntas nostra solùm est libera, cum potest operari, & non operari; sed in neutro casu potest operari, & non operari; nàm in primo non potest operari, quià non habet præmotionem ad operandum; in secundo verò non potest non operari, quià jàm est præmota ad operandum: ergo in neutro casu potest operari, & non operari: ergo &c.

Deindè quià prædicta solutio, & apertè libertatem creatam impugnat, & opponitur Trident. Sess. 6. Can. 4. ubi definit, quod posita gratia efficaci, potest homo illi dis-

dissentire, si vellit. Ex quo sic arguitur. Per te, salvatur libertas ex eo præcissè, quod voluntas possit operari, possitis omnibus requisitis, solùm intrà suum ordinem caussæ secundæ; sed gratia efficax est unum ex prærequisitis ad operationem, non ex parte caussæ secundæ, sed ex parte Dei: ergo optimè salvatur libertas voluntatis creatæ cum eo, quod non possit dissentire gratiæ efficaci, quod Trid. damnat. Vel alitèr; possitis omnibus requisitis ex parte Dei, non potest non operari voluntas, per te: ergo possita gratia efficaci ad consensum, non potest voluntas dissentire, quod repugnat dicto Concilio; sed non minùs physica præmotio se tenet ex parte Dei, & applicat ad operationem, quàm gratia efficax: ergo.

Alii respondent, concedendo, voluntatem non posse ponere dissensum, v. gr. in sensu composito præmotionis ad consensum; benè tamèn in sensu diviso. Sed contrà hanc distinctionem militat eadem ratio, quam suprà contrà Palanc. propossuimus, ampliusquè impugnatur: Hæc propositio: *Homo actu sedens potest stare*, est vera in sensu diviso, & non composito; finge ergo, hominem actu sedere independentèr omninò à sua libertate, eo quod Deus univit illi sessionem, quin in sua libertate sit impedire illius existentiam. Supponamus etiàm, quod non esset in hominis potestate à se abigere sessionem; certè nulla in tali homine manebit potentia libera ad standum; nàm ille homo non exercuit libertatem in existentia sessionis, quæ à solo Deo infussa est; deindè cum sessio repugnet statui, & supponamus, non esse in potestate sedentis expellere sessionem, nequè in sensu divisso datur libertas ad standum. Modò sic, existentia præmotionis ad consensum pugnat essentialitèr cum dissensu; aliundè nèc illius existentia, nèc illius ablatio pendet ab usu voluntatis liberæ: ergo nèc existentia dissensus pendet à voluntate, & libertate.

Confirmatur: Qui non potest tollere unum extremum, nequit efficere, quod aliud extremum existat separatum ab illo; sed non est in potestate voluntatis tollere exis-

ten-

tentiam prædeterminationis, quià prædeterminatio in fieri, & conservari dependet à Deo: ergo data prædeterminatione, non est in potestate voluntatis, quod detur carentia operationis. Maj. patet, quià hoc esse divissum ab illo dicit duo, nempè, & hoc existere, & illud non existere: ergo solùm ille poterit dividere, qui potest facere, ut hoc existat, & aliud non. Perpende, quæsumus, quid libertatis maneat in voluntate creata, cui absquè ejus consensu advenit physica præmotio? Dissentire simùl cum illa est impossibile; dissentire, & simùl non dissentire cum illa ex suppositione, quod illam habeat, etiàm est impossibile, abigere à se physicam præmotionem non potest; quid ergo faciet? Deniquè physica præmotio, ut explicata ab AA. tertię sententię, non aliam continet doctrinam, quam ipsissimam nostram posteà explicandam de concursu simultaneo.

Nèc immoramur in rejicienda opinione quorundam RR. Scotistarum, qui licèt præmotionem per qualitatem intrinsecè impressam sempèr negaverint, asserunt tamèn voluntates nostras præmoveri per imperium extrinsecum, seù per decretum efficax Dei infalibilitèr connexum antecedentèr cum ipsa operatione, eo, quod usum voluntatis antecedat. Nàm rationes suprà contrà præmotionem propositæ æquè militant contrà hanc singularem opinionem; tamquè illa, quàm ista rejicitur à Chrisost. Hom. 12. in Epist. ad Heb. ubi ait: *Non antecedit voluntates nostras, ne lædatur arbitrii libertas.* Suaristarum etiàm sententiam relinquimus, qui tenent, effectum eadem omninò actione provenire partialitèr, & simùl à caussa prima, & secunda, & prætèr influxum in effectum, nullum alium statuunt in ipsam actionem caussæ. Quam sententiam tamquàm D. S. genuinam, sequuntur aliqui Scotistæ antiqui. Contrà quos omnes

Dicimus: Caussa prima concurrit cum secunda, non tantùm influendo in effectum, sed etiàm in actionem ipsius caussæ secundæ, non influxu prævio, & antecedente operationem creaturæ, sed omninò concomitante. Ità expressè S. D. pluribus in locis, sed prçcipuè in 2. dist. 37.

Quæst.

Quæst. 2. §. *Ad solutionem*, ℣. *Et si objicitur*, num. 15. ubi ait: *Diversæ caussæ ordinatæ, licèt habeant ordinem secundùm perfectius, & imperfectiùs caussare, non tamèn habent prioritatem naturæ.* Prob. ratione: Actio creaturæ, cum sit ens creatum, & per participationem, non minùs, quàm effectus, debet immediatè à Deo dependere; sed hæc dependentia sufficit, ut caussa secunda operetur, ut subordinata, mota, & applicata à caussa prima: ergo ex eo præcissè, quod Deus, prætèr influxum in effectum, influat quoquè in actionem caussæ, salvatur plenè subordinatio, motio, & applicatio caussæ primæ ad secundam, & consequentèr superfluit quilibet alius concursus antecedens actionem caussæ secundæ.

Prob. 2.° Eo modo dicendum est, caussam primam concurrere cum secundis, quo meliùs salvetur illæssa libertas creaturæ, & dependentia illius in operando, tamquàm à caussa prima; sed ex concursu caussæ primæ in operationem caussæ secundæ, meliùs salvatur libertas creaturæ, & ejus dependentia à caussa prima in agendo: ergo concursus caussæ primæ in secundam est concomitans, & non prævius. Prob. min. quo ad primam partem: ex eo, quod Deus simùl efficiat actionem caussæ secundæ, salvatur, quod Deus non præveniat ejus consensum, seù libertatem, sed simùl caussa secunda se condeterminet cum Deo; sed sic optimè salvatur libertas; quià creatura liberè vult, quod Deus: ergo. Idquè docuit D. Aug. lib. 1. ad Simpl. Quæst. 2. ubi ait: *Deus, ut vellimus, & suum esse voluit, & nostrum*; id est, simùl voluit suum velle cum nostro velle, seù voluit velle nobiscum, seù nostrum velle simùl cum suo velle.

Quo ad secundam verò partem ostenditur. Per influxum caussæ primæ in actionem caussæ secundæ, hæc de non agente fit agens, & determinatur in actu secundo recipiendo à Deo novam relationem actionis; sed hoc sufficit, ut in operando dependeat à Deo, & subordinetur illi: ergo benè salvatur in nostra sententia subordinatio, & dependentia caussæ secundæ ad primam.

3.° Ut voluntas moveatur à Deo, ut agat, sufficit, quod

quod reducatur de potentia proxima ad actum agendi; sed præcisè per ipsam actionem, quatenùs receptam à Deo, reducitur formalitèr, & intrinsecè de potentia proxima ad actum agendi (supponimus actionem sujectari in agente, de quo posteà): ergo. Prob. min. quod est in potentia ad aliquem actum formalitèr, reducitur de potentia ad ipsum actum per ipsummet actum, ad quem est in potentia: ergo voluntas, quæ est in potentia ad ipsam actionem, reducitur formalitèr de potentia ad actum per ipsam actionem, ut productam à caussa prima, & à se ipsa.

Confirmatur hoc: Implicat indifferentiam alicujus potentiæ actu determinari pro priori ad ipsam operationem; nàm evidens est, indifferentiam non auferri, nisi per unum ex extremis, ad quæ talis potentia est indifferens: ergo impossibilis est quælibet determinatio caussæ secundę à prima, pręvia ad ipsam operationem: ergo solùm determinatur caussa secunda à prima per ipsam actionem creatam, ut habitam à Deo, & consequentèr concursus caussæ primæ in secundam formalitèr consistit in concomitantia utriusque caussæ in actionem creatam.

Objicies 1.° Auctoritatem Cathecismi Rom. editi jussu, & approbatione S. Pii V. 1. part. de 1.° articulo Fidei, cap. 2. num. 40. dicentis: *Quæ moventur, & agunt aliquid intima virtute ad motum, atque actionem, Deus ità impellit, ut quamvis caussarum secundarum efficientiam non impediat, præveniat tamèn*: ergo Deus præmovet caussas secundas &c. Resp. 1.° Nèc verba illa, nèc totum Cathecismum habere auctoritatem definitivam. Resp. 2.° Verbum *impellit* plùs probare, quàm Thomistæ vellint; significat enim coactionem, & necessitatem, quam etiàm ipsi non admittent. Resp. 3.° Ly *præveniat* solùm significare in Deo movente prioritatem *à quo*, seù perfectionis, & independentiæ; non autèm prioritatem *in quo*, seù naturæ, sivè caussalitatis.

Objicies 2.° Si caussa secunda non præmoveretur à prima, sequeretur, quod esset primum se movens, &

primum se determinans ad illam operationem; hoc implicat: ergo. Prob. seq. maj. Si caussa creata ageret absquè præmotione physica, posset agere absquè influentia caussæ primæ, & absquè ejus dependentia : ergo esset primum agens. Resp. hæc, & similia probare quidèm caussam secundam moveri à prima ad agendum, & non agere, nisi quatenùs ab ipsa motam; non tamèn probare talem motionem esse antecedentem ad operationem caussæ secundæ, sed concomitantem, & pertinentem ad actum secundum, modo suprà explicato.

QUÆSTIO OCTAVA.

Ubi aliqua dubia circà cæteras caussas resolvuntur?

Dubitabis 1.° Quid sit caussa materialis, & formalis? & quis utriusquè effectus, & caussalitas? Resp. Caussam materialem sic definiri ab Arist. 2. Physicor. cap. 3. *Est primum subjectum, ex quo aliquid fit cum insit*; caussam autèm formalem sic: *Est ratio quod quid erat esse rei, seù est ratio quidditatis.* Quæ definitiones intelligi debent, juxtà dicta de materia, & forma. Effectus autèm materiæ sunt quatuor, scilicèt, generatio compositi, forma materialis, unio cum ipsa forma, & compositum ipsum. Effectus verò formæ sunt tres; primus primitate intentionis, & dignitatis, est compositum substantiale; secundus est illud esse formale, & completum, quod materia recipit à forma, quæ actuatio, & completio necessariò præcedit compositum ipsum. Hi que effectus vocantur primarii. Tertius tamèn, qui est secundarius, & negativus, est expulsio formæ præexistentis; quæ naturalitèr sequitur ad introductionem novæ formæ. Circà utriusque caussalitatem jàm sufficientèr sumus suprà loquuti.

Dubitabis 2.° Quænam sit caussa instrumentalis? Et non loquimur de instrumento latè sumpto, qua ratione omnis caussa secunda dicitur instrumentalis respectu primæ, quià dependentèr ab illa operatur; sed de instrumento propriè sumpto, quod nempè, inservit principali

pali agenti ad producendum terminum per se ab ipso intentum: & hoc est triplex. Supernaturale, seù morale, quo utitur principale agens ad aliquem effectum producendum, cum quo nullum habet ordinem, aut proportionem naturalem, ut Sacramenta, quæ sunt caussæ instrumentales Gratiæ. Naturale, quod naturali agenti famulatur in ordine ad aliquod opus naturale, ut calor est instrumentum ignis ad producendum alium ignem. Et deniquè artificiale, quod inservit principali agenti ad aliquod opus artificiale efficiendum; ut maleus, & serra. Ex his tamèn nullum est activum respectu termini principalis ab agente producti; respectu verò ad alia tantùm aliqua instrumenta naturalia possunt dici activa.

Dubitabis 3.° Quæ sit caussa exemplaris? Respond. Exemplar, quod apud Latinos idem est, ac apud Græcos, & Theologos *Idea*, & apud Hispanos *Dechado*, est forma, seù ratio, ad cujus instàr aliquid efficitur. Et est duplex, externum, quod sibi proponit Artifex ante oculos, ut ad instàr illius aliquid efficiat; ut pictor imaginem ad similem efformandam; & internum, quod est quoddam intentionale idolum, quod in mente format Artifex, ut ad ejus similitudinem aliquid ad extrà efficiat. Et de isto propriè agimus in præsenti; pro cujus intelligentia est advertendum, exemplar, seù ideam propriè non esse conceptum formalem, sed objectivum: qui tamèn conceptus, seù exemplar, si comparetur ad effectum, seù ideatum, reducitur ad genus caussæ efficientis; si verò comparetur ad agens, reduci potest ad genus caussę formalis.

Dubitabis 4.° Quid, & quotuplex sit finis? Resp. Finem sic communitèr ab omnibus definiri cum Philosopho 2. Metaph. text. 8. & 2. Physic. cap. 3. *Finis est, cujus gratia cætera fiunt*, veluti deambulandi sanitas. Dividitur ergo primò in finem *Cujus*, estquè bonum desideratum; & in finem *Cui*, & est persona, vel subjectum, cui bonum aliquod desideramus, v. gr. desidero amico ægroto sanitatem. Secundò, dividitur in finem *quo*, seù formalem, estquè ipsamet operatio, qua finis *qui* con-

consequitur, ut visio, seù fruitio beatifica; & in finem *qui*, seù objectivum, & est ille, quem media operatione consequimur; v. gr. Deus. Tertiò, dividitur in finem *proximum*, seù non ultimum, qui ad ulteriorem finem ordinatur; & in *remotum*, seù ultimum, qui ad ulteriorem non ordinatur, ut Deus. Ultimò dividitur in finem *operis*, seù intrinsecum, ad quem ex natura sua aliquid ordinatur; & in finem *operantis*, seù extrinsecum, quem sibi præscribit operans. Atquè omnes isti propriè habent rationem finis.

Circà autèm hanc caussam finalem, quàmplura hic veniunt notanda. Primum; quod caussalitas finis in actu primò, seù virtus fundamentalitèr motiva voluntatis, v. gr. non potest esse malum, vel indifferens, sed debet esse bonum, aut bonitas, pro quo vide, quæ jàm in Ethica diximus. Secundum; caussalitas exercita finis realitèr, & materialitèr sumpta nihil aliud est, quàm actio agentis, non præcissè sumpta, sed ut dicit habitudinem ad finem tamquàm ad moventem, & alicientem agentem ad agendum. Tertium; caussalitas finis, ut condistincta ab efficienti, est alectio, & motio actualis, quæ nihil aliud formalitèr est, quàm habitudo in fine concepta ab intellectu ad modum relationis realis, desumpto fundamento ex eo, quod finis terminet relationem realem actionis agentis ad ipsum. Pro quibus nostrum consule Villa-Castin hic.

Dubitabis 5.° Quæ agentia agant proptèr finem? Resp. 1.° Deum propriè, & rigorosè agere proptèr finem. Hæc est communis ex illo Prov. cap. 16. *Universa proptèr semetipsum operatùs est Dominus*: ergo. Resp. 2. Bruta propriè, & rigorosè non agere proptèr finem: nàm non possunt formalitèr attingere rationem finis, & medii, unumquè cum alio conferre, quod ad agendum proptèr finem propriè, & in rigore requiritur; undè solùm impropriè, & materialitèr proptèr finem agunt, & hoc solùm probant argumenta contrariorum. De Angelis, & hominibus nullus dubitat proptèr finem rigorosè agere.

Du-

Dubitabis 6.° Quid sit fortuna, quidque sit casus? Resp. Quod *fortuna est caussa per accidens eorum, quæ rarò eveniunt actione agentis ex electione*; casus verò est *caussa per accidens in his, quæ rarò contingunt sinè electione.* Undè fortuna dicitur propriè de caussis, quę agunt ex proposito, seù liberè, & quibus evenit aliquid prætèr intentum, non frequentèr, sed rarò, ut cum rusticus fodiens terram, ut fundet domum, reperit thesaurum; casus tamèn dicitur de caussis non liberis, v. gr. de equo, qui vadens ad fluvium, ut vibat, submergitur.

Dubitabis 7.° Quid sit fatum? Resp. Antiquos Philosophos, ut refert Cicero lib. 2. de Divinatione, docuisse fatum esse quandam connexionem, & ordinem caussarum universi, à quibus omnia proveniebant ex necessitate naturæ. Alii dicebant, fatum esse ipsam voluntatem Divinam non liberè, sed necessariò agentem; ità ut non potuerit Deus alitèr res disponere, ac modò fecit. Tandèm Calvinus, Lutherus, aliiquè Hæretici asserebant, fatum esse à Divina voluntate, quæ licèt potuerit ab æterno res alitèr disponere, tamèn posito, quod ità decrevit, voluntas nostra fatali necessitate operatur bonum, vel malum. His modis acceptum fatum valdè detestantur SS. PP. & catholici omnes; nàm vel tollit à Deo libertatem, & omnipotentiam, vel liberum à nobis arbitrium. Fatum igitur in catholico sensu sic definitur à Boetio lib. 4. de Consolatione, pros. 4. *Fatum est rebus mobilibus immobilis inhærens dispositio, juxtà quam Divina providentia, suis quoquè nectit ordinibus.* Et in hoc sensu ab omnibus admittitur.

Dubitabis ultimò, quid sit Monstrum? Resp. definitionem monstri colligi à DD. ex Arist. his verbis: *Effectus naturalis à recta, & solita dispositione secundùm speciem notabilitèr degenerans, ob aliquod impedimentum.* Et si petas, an monstra intendantur à natura? negativè respondebimus; hæc enim sempèr eveniunt prætèr intentionem creati agentis, qui sempèr intendit effectum perfectiori modo possibili; at non prætèr intentionem Dei, cui nullus effectus est cassualis, & fortuitus, quique

que monstra intendit ad pulchritudinem, & decorem universi.

DISPUTATIO NONA.

De motu, actione, & passione.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit motus, & quies?

Aristoteles lib. 3. Physic. cap. 3. motum in communi sic definit: *Est actus entis in potentia, quatenùs in potentia.* Hanc calumniantur RR. Philosophi, velùt ipso definito obscuriorem, sed ut verum fateamur, nèc ipsi meliorem asignant; proindequè meritò impeti possunt celebri illa Martialis sententia, Epigramate 8. libri 2.

Hæc mala sunt, sed tu non meliora facis.

Prædicta verò definitio significat, motum intelligi instàr perfectionis, quæ rei convenit, quatenùs tendit ad aliam perfectionem. Undè si subjectum tendit ad formam substantialem, dicitur mutatio propriè dicta; si verò ad formam accidentalem, tunc est motus propriè dictus; utrumquè autèm præfacta definitione comprehendit Philosophus. Præcipua tamèn motus species est *motus localis*, qui definitur à Peripateticis: *Motus localis est translatio de loco in locum.* Hæcquè definitio non est solius vulgi, ut calumniantur Cartesiani; sed etiàm sapientum; nàm D. Aug. lib. 2. de Ordine, cap. 6. ajebat: *Nihil aliud est motus localis, quam de loco in locum transitus.*

Immò nec ipsi RR. meliùs motum localem definiunt; nàm Gassendus post Epicurum sic illum describit: *Est transitus mobilis à loco in locum fluxu continuo*; alii verò Atomistæ sic: *Est corporis vel secundùm se totum, vel secundùm singulas sui partes transitus de loco in locum.* Quæ quidèm duæ descriptiones omninò idem sunt cum nostra. Cartesius tamèn part. 2. principior. num. 24. & seq. ait: *Motus autèm* (scilicèt localis; nequè enim alius

sub cogitationem meam cadit) *nihil aliud est, quàm translatio unius partis materiæ, sivè unius corporis, ex vicinia eorum corporum, quæ illud immediatè contingunt, & tamquàm quiescentia spectantur, in viciniam aliorum.* Ibidemquè docet, *translationem esse reciprocam*, Cœlumquè non posse moveri circà terram ab ortu in ocasum, quin, & terra moveatur ab ocasu in ortum; quietemquè motui oppositam esse realem, & possitivam, sicut ipse motus. Nos verò

Dicimus, motum localem non esse translationem corporis ex vicinia eorum corporum, quæ tangit, in viciniam aliorum: quietem verò sitam esse in sola motus privatione. Prob. prima pars: Si motus esset translatio corporis ex vicinia eorum corporum, quæ tangit, in viciniam aliorum, Nauta in navi iter perficiens, non moveretur, & arbor immobilis, & fixa permanens in medio fluminis, sempèr localitèr moveretur; sed utrumque est falsum: ergo. Prob. min. nàm Nauta iisdem sempèr navis partibus præsens esset, & ab iisdem sempèr immediatè tangeretur; non ergo moveretur localitèr. Arbor autèm illa successivè applicaretur diversis aquæ partibus ipsam immediatè tangentibus; igitur localitèr moveretur; quæ quidèm rectæ rationi experientiæquè repugnant: ergo &c.

Prob. secunda pars: Nulla ratio suadet quietem in positivo consistere: ergo absquè fundamento idipsum affirmat Cartesius. Undè sicùt tenebræ nil aliud sunt, nisi mera lucis privatio, ità quies aliud non est, nisi mera privatio motus. Nàm juxtà Cartesium ipsum, antequàm Deus imprimeret motum materiæ, ipsa non movebatur, & hoc ipso quiescebat: ergo quies in sola motus privatione consistit. Hæc adversùs Cartesianos exhibuimus, nunc verò

Dicimus, prædictam Arist. definitionem idoneam esse. Quod patet; quià motus est id, quo res denominatur moveri; sed id, quo res denominatur moveri, intelligitur velùt perfectio rei, quæ movetur, quatenùs tendit ad formam aliquam acquirendam: ergo motus in communi

muni rectè dicitur, actus entis in potentia, quatenùs in potentia. Hinc S. August. lib. de Immortalitate Animæ, cap. 8. ait: *Motus omnis ad aliud est, cujus indiget, quod movetur.* Et D. Greg. lib. 5. Moral. inquit: *Mutari est, ex alio in aliud ire.* Undè colliges: Primò, motum esse *successionem formæ advenientis post formam immediatè præcedentem.* Quæ quidèm successio est relatio, cujus fundamentum est mobile, quod à privatione formæ ad formam transiit, sivè de *non esse ad esse.* Secundò, prætèr motum localem dari etiàm motum de privatione ad formam, ut patet: ergo &c.

QUÆSTIO SECUNDA.

Ad quæ prædicamenta detur per se motus?

Pro hujus solutione nota, motum posse sumi triplicitèr. Primò: Latissimè pro acquisitione nova alicujus entitatis in subjecto, & sic in omnibus prædicamentis reperitur. Secundò: Propriè pro acquisitione per se alicujus termini, importatque rationem motus communem mutationi, & motui propriè dictis. Tertio: In sensu rigoroso, seù ad terminum accidentalem. Hoc notato

Dicimus 1.° Ad Substantiam datur per se motus propriè sumptus, prout est transitus ad terminum per se, & propria novitate acquisibilem; non verò datur motus rigorosè, & propriissimè sumptus. Prob. prima pars; forma substantialis est maximè intenta à natura, habet propriam acquisitionem, & non est ens occasionatum; sed hoc sufficit, ut ad illam detur per se motus, minùs impropriè sumptus: ergo. Secunda pars patet ex Arist. lib. 5. Physic. text. 18. dicente: *Ad substantiam non dari per se motum.* Prob. ex ipso ibi; motus rigorosè sumptus est passio, aut actus corporis, aut substantiæ naturalis completę; sed motus ad substantiam non est actus substantiæ completæ, sed materiæ primæ, quæ est substantia incompleta: ergo.

Dicimus 2.° Ad Qualitatem, Quantitatem, & Ubi da-

datur per se motus rigorosè sumptus. Hæc est communis, & patet; nàm ad motum rigorosè sumptum sufficit, quod terminus sit per se intentus à natura, & quod habeat aliquam contrarietatem, vel resistentiam ad agens limitatæ virtutis; sed termini augmentationis, alterationis, & lationis sunt per se intenti, propria novitate acquisibiles, & habent contrarietatem, seù resistentiam ad agens finitum; ut patet: ergo.

Dicimus 3.° Ad reliqua prædicamenta non datur per se motus propriè sumptus. Prob. Reliqua prædicamenta non habent propriam novitatem, seù acquisitionem, nèc sunt per se à natura intenta, sed sunt entia occasionata, quæ sempèr insurgunt ad acquisitionem alicujus absoluti: ergo non habent conditiones per se requisitas, ut ad illa detur per se motus. Ubi adverte, motum desumere unitatem specificam à solo termino *ad quem*, & sic qualis est forma, ad quam est motus, talis etiàm est ipse motus; unitatem verò numericam à termino *ad quem*, & à sujecto: cum enim motus sit relatio debet variari, saltim numericè, variato fundamento, vel termino.

QUÆSTIO TERTIA.

In qua cætera dubia circà motum examinantur?

Dubitabis 1.° Quænam sit caussa continuati motus projectorum? Resp. nèc aërem, nèc attomos per se mobiles, nèc motum partium internarum corporis projecti, nèc legem quamdam generalem naturę, esse talem caussam, sed esse vim impressam, seù impetum projectis ipsis à movente communicatum. Probat. breviter; & imprimis, aër potiùs resistit, quàm caussèt talem motum, immò si moveret corpora projecta, cur non projecta non movet? Deindè, de attomis jàm suprà sufficientèr diximus. Tertiò, motus partium internarum pro arbitrio est à Gassendo excogitatus. Quartò, recurrere ad caussam generalem cum Cartesio fugere difficultatem potiùs est, quàm ipsam resolvere. Deniquè, quià projecta moventur

velociùs, vel tardiùs secundùm majorem, vel minorem moventis impulsum: ergo ab hoc provenit continuatio motus ipsorum.

Dubitabis 2.° A quo proveniat motus resilientiæ? Resp. solùm provenire ab impulsu caussato à projiciente. Ità S. D. in 2. dist. 13. Quæst. unic. in fine, & prob. Nàm pila v. gr. quo fortiùs impellitur, eo fortiùs resiliit: ergo impulsus quo resiliit, provenit à projiciente; nàm impulsus à projiciente impressus potens erat deferre pilam longiori motu: ergo dùm non potest in directum agere, agit in obliquum, & reflectit; & consequentèr motus reflexus, seù quo resiliit, erit à projiciente.

Dubitabis 3.° An detur quies in puncto reflectionis? Resp. 1.° Quandò ambo motus sunt ab intrinseco, ut motus dilatationis, & restrictionis cordis, datur quies in puncto reflectionis. Patet, quià talis motus est gratia alicujus boni, quo fruitur in termino motus; ordinatur enim ad refrigerium viventis: ergo petit, ut in illo quiescat, & eo perfruatur. Resp. 2.° Si uterquè motus est ab extrinseco, ut cum pila ad parietem impellitur, & deindè reflectit, non datur quies in puncto reflectionis. Prob. dùm pila ad parietem impellitur, vel impetus impressus à projiciente evanuit, & sic non posset reflectere, sed ad terram laberetur; vel adhuc permanet? ergo cum sit caussa naturalis non impedita, caussabit motum, cujus est naturalitèr productivus; & consequentèr non quiescet mobile.

Resp. 3.° Si motus directus est ab intrinseco, reflexus verò ab extrinseco non movente, sed obsistente, ut dùm grave deorsùm movetur, & deindè reflectitur ratione impulsus acquisiti in motu directo, non datur quies in puncto reflectionis, & patet ratione antecedenti; nàm ille impulsus, vel evanuit, vel non. Si primum; non potest reflectere. Si secundum; non potest quiescere, nàm quies continuationi motus opponitur. Resp. deniquè; si motus directus est ab extrinseco, & reflexus ab intrinseco, ut cum lapis sursùm projicitur, & impulsu cessante,

de-

deindè ex propria natura revertitur deorsùm per eamdem lineam; tùnc datur quies in puncto reflexionis. Et constat; quià impulsus elevat sursùm, in quantùm superat resistentiam gravitatis: ergo ut descendat, debet gravitas excedere impulsum; sed non excedit in tempore immediatè sequente, ad quod lapis acquirit ultimam superficiem sursùm; quià antequàm superet impulsum, debet esse illi æqualis, dumquè sunt æquales, utrumque est impedimentum nè in proprias exeat actiones: ergo in illo tempore immediato non excedit, & consequentèr lapis sursùm quiescit.

Dubitabis 4.° Quænam sit caussa motus elastici? Et supposito, quod elaterium *est vis se se in statum naturalem restituendi; seù est vis, qua corpus præssum resilit.* Resp. Caussam prædicti motus, nèc esse mutuam attractionem partium corpus elasticum componentium, ut volebat Newtonus, nèc contexturam pororum, aut partium prædicti corporis; sed esse virtutem elasticis corporibus intrinsecam, qua debitam sibi reparant raritatem, vel densitatem. Patet prima pars: Vis attrahens juxtà Newtonum omnibus corporibus communis est: ergo omnia corpora erunt elastica, quod est contrà experientiam. Secunda pars suadetur: caussa motus elastici est virtus activa; sed sola dispositio partium, aut contextura pororum non est virtus activa, ut patet: ergo licèt prædicta dispositio multùm confferat ad motum elasticum; tamèn ipsa sola non est caussa illius, sed aliqua virtus elasticis corporibus intrinseca.

Dubitabis 5.° An omnia corpora dura, & solidiora sint elastica? Affirmant RR. & docent, illa secundùm partes insensibiles compressionem pati, & posteà resilire, & se se restituere: at hoc, quod affirmant, minimè probant; nèc facilè persuadere poterunt hominibus, corpora solidiora, ut sunt incus, campanum æs, crassiora marmora, eburneæ pilæ, &c. vim elasticam habere, proindequè à nobis sempèr negabitur, usquè dùm ab ipsis demonstretur, quod certè numquàm eveniet.

QUÆS-

QUÆSTIO QUARTA.

Utrùm actio transiens subjectetur in agente, vel in passo?

Dicimus ergo, actionem transeuntem subjectari in agente, non in passo. Ità S. D. in 4. dist. 13. Quæst. 1. §. *Si ergo*, ℣. *Dicatur*, num. 10. & D. Thom. pluribus in locis à Palanc. cit. estquè communis omnium Scotistarum contrà plures Thomistas. Et prob. Actio, & Passio formalitèr sunt relationes, quibus agens, & passum ad invicèm referuntur; sed relationes subjectantur in re per ipsas relata: ergo sicut passio subjectatur in passo, ità quælibet actio in agenti. Major est certa; prob. min. relatio est in illo subjecto, in quo est fundamentum, seù ratio fundandi; sed fundamentum actionis est potentia activa, quæ est in agente, non in passo: ergo actio (non solùm immanens, de qua non negant Thomistę) sed etiàm transiens subjectatur in agente, non in passo.

Sed objicies: Actio immanens distinguitur à transeunte in hoc, quod immanens est intrinseca perfectio agentis, & manet in ipso; actio verò transiens formalitèr transit ad passum, & in illo recipitur: ergo. Resp. neg. antec. Nàm actio immanens convenit cum transeunte in eo, quod utraque recipitur in agente; & solùm differunt in eo, quod immanens producit terminum in ipsomet agente, ut cum aqua recuperat in se frigiditatem; transiens verò producit terminum in subjecto extraneo.

DISPUTATIO DECIMA.

De Infinito.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit infinitum?

Infinitum juxtà nominis ethymologiam, est, quod caret termino, & fine; ipsumquè definit Philosophus 3. Physic. text. 62. & 63. *Infinitum est id, cujus semper est ali-*

aliquid extrà accipere. Id est, in quo, quovis finito sumpto, semper superest aliquid accipiendum. Hæc autèm definitio, ut notat S. D. Quodlib. 5. §. *De primo*, num. 2. solùm convenit infinito syncathegorematico. Ex ea tamèn cathegorematicum sic definiri potest: *Est id, cujus nihil est extrà*; id est, cui non solùm nihil deest illorum, quæ spectant ad constitutionem ejus, sed extrà quod nihil penitùs remanet in illo gradu, & ordine.

Ex quo constat, infinitum, aliud esse syncathegorematicum, seù in potentia, quod licèt actu habeat terminum, non tamèn in potentia, v. gr. infinitum syncathegorematicum hominum, quorum non tot poni possunt, quin plures, & plures sint possibiles poni: & aliud cathegorematicum, quod actualitèr terminum, & finem non habet. Et hoc est duplex; aliud per essentiam, quod dicitur infinitum simplicitèr, & in omni genere; qualis est solus Deus O. M. & hoc definitur à Scoto: *Esse illud, cui nihil entitatis deest eo modo, quo possibile est illud habere in aliquo uno.* Aliud est per participationem, seù secundùm quid, & in aliquo genere; & potest esse vel secundùm intensionem, vel secundùm extensionem, vel secundùm durationem, vel secundùm numerum, vel deniquè secundùm essentiam. Quæ infinita, an, & quomodò sint possibilia? hic disputandum est.

Sed antequàm ad illa procedamus dubitabis; an tota, & omnimoda differentia infiniti syncathegorematici à cathegorematico consistat in eo, quod illud sit tantùm tale in potentia, ità ut non existant omnes ejus partes; istud verò in actu, & existens? Resp. Infinitum syncathegorematicum à cathegorematico differre ratione potentialitatis, non intelligendo potentialitatem, ut remaneant aliquæ partes non existentes, sed ità quod licèt simùl omnes ponerentur adhùc maneret infinitum syncathegorematicum intrinsecè inexpletum, & cum capacitate ad ulteriores partes, si essent possibiles. Ità D. S. 2. Metaph. Quæst. 6. §. *Hic est notandum*, ubi ait: *Successivè infinita, si essent simùl; non essent infinita in actu::: quià infinita fuerunt in accipiendo, & in potentia; ideò*

num-

numquàm sequitur ex illis, si essent simùl, infinitas actualis; quià alterius rationis sunt infinitas actualis, & potentialis: ergo &c.

Dubitabis ulteriùs; an unum infinitum possit esse majus, aut minus alio? Resp. unum infinitum syncathegorematicum posse esse majus, aut minus alio; repugnat verò infinitum cathegorematicum majus, aut minus alio. Patet primum: Nàm sub specie hominum v. gr. possunt individua multiplicari in infinitum, & similitèr sub specie Leonum; sed tunc collectio utriusquè speciei esset major collectione alterius tantùm: ergo &c. Patet etiàm secundum: Tùm ex Scoto in 2. dist. 1. Quæst. 3. §. *Tenentes*, ℣. *Ad ultimum*, num. 20. tùm ex Philos. 1. de Cœlo, text. 130. Infinitum in actu est illud, quo non est majus: ergo infinitum in tali genere erit illud, quod in tali genere non est aliud majus; & consequentèr in nullo genere poterit dari unum infinitum majus alio; aliàs illud, quod esset minus, esset imperfectum; consequenterquè non infinitum.

QUÆSTIO SECUNDA.

An in creatis possit dari aliquod infinitum cathegorematicum, vel saltim syncathegorematicum?

Dicimus 1.° Implicat creatura cathegorematicè infinita in essentia, seù quo ad gradum specificum. Hæc est communis contrà Aversam, & prob. ratione D. S. in 1. dist. 8. Quæst. 3. §. *Alii*, ℣. *Respondeo*, num. 21. Implicat creatura, quæ sit summum ens, vel Deus; sed si daretur creatura cathegorematicè infinita quo ad gradum specificum, illa esset Deus, & summum ens: ergo. Maj. fide, & ratione constat. Min. prob. Illa creatura infinitè perfecta esset substantia spiritualis, quæ est perfectissima ratio contenta sub ente: ergo esset substantia spiritualis infinitè perfecta, & ens infinitè perfectum; & consequentèr Deus. Patet conseq. quià enim homo habet perfectissimam differentiam intrà genus animalis,

est

est perfectissimum animal: ergo si illa creatura haberet infinitam differentiam intrà lineam substantiæ, spiritus, & entis, esset infinitus spiritus, substantia infinita, & infinitum ens: ergo &c.

Objicies contrà hanc primò: Deus habet infinitam potentiam productivam: ergo potest producere effectum cathegorematicè infinitum. Secundò: Deus communicat creaturæ æternitatem, quæ est infinita duratio: ergo potest &c. Tertiò: Unio hypostatica est infinitæ excellentiæ, opera Christi D. sunt infiniti valoris, & peccatum est infinitum in linea offensæ: ergo etiàm de facto datur infinitum cathegorematicum. Resp. ad primum neg. conseq. aliàs Deus posset alium Deum producere, quod est absurdum. Ad secundum neg. antec. sed dato, quod creaturæ æternitas communicaretur, adhùc non esset infinita, nàm hoc proveniret illi ab extrinscco, quod non potest esse in casu conclusionis, quæ de intrinsecis loquitur prædicatis. Ad tertium: Unio hypostatica, & peccatum sunt infinita extrinsecè, & terminativè; quià illa unit naturam humanam cum termino infinito; & hoc offendit Deum infinitum. Opera verò Christi non infinita propriè sunt, sed solùm habent summitatem quandam, & excellentiam.

Dicimus 2.° Possibile est infinitum syncathegorematicum in perfectione essentiali; sed data quacumque specie, potest Deus, aliam, & aliam perfectiorem in infinitum producere. Hanc tenent communitèr Thomistæ, & gravissimi Scotistæ, quos citat, & sequitur Mast. nèc reverà opponitur S. D. in 3. dist. 13. Quæst. 4. quià ut notat Cavellus 2. Metaph. Quæst. 6. Schol. 2. nihil certum potest ex D. S. colligi circà infinitatem syncathegorematicam specierum. Videturquè expressa D. Dionysii, cap. 13. de Divinis nominibus dicentis: *Deus est infinita vi, & potentia præditus, non solùm quod vim omnem in lucem proferat, sed etiàm quod omnem quoquè vim ipsam superet: quodquè possit etiàm infinitè infinitas alias potentias præterire, quæ sunt in lucem proferre.*

Ex quo sic probat. Quod detur alia, & alia species ma-

magis, & magis perfecta in infinitum nèc repugnat ex parte Dei, nèc ex parte creaturæ: ergo ex nullo capite. Prob. antec. Non repugnat ex parte Dei, quià ejus potentia est infinita, aliundè nèc ex parte creaturæ; nàm dato processu syncathegorematico, numquàm perveniretur ad aliquam speciem actu infinitam; sed quæcumque assignata erit limitata: ergo nèc repugnat ex parte creaturæ. Confirmatur; perfectio, & virtus Dei, utpotè infinita, numquàm adæquari, & exhauriri potest, quantumvis à creatura participetur: ergo assignata quacumquè creatura, quantumvis perfecta, adhuc distabit in infinitum à perfectione Dei; & consequentèr adhuc remanet infinita perfectio participabilis à creatura; ac proindè alia magis, & magis participans in infinitum possibilis est.

Sed objicies primò: Quælibet creatura possibilis cognita à Deo, potest à Deo produci, nàm creatura, quæ à Deo produci non potest, impossibilis est; sed Deus cognoscit omnes, & singulas creaturas possibiles: ergo quamlibet ex illis producere potest. Producat ergo perfectissimam, quam novit; vel hæc est finita? Et dabitur status; vel infinita? Et sic datur infinitum cathegorematicum, quod implicat. Resp. ergo, negando, quod in tali processu detur aliqua species perfectissima, & cæteras excedens, finiensquè processum; aliàs non est processus infinitus; quod est contrà suppositum. Undè prædicta species omninò repugnat; ac per consequens à Deo non cognoscitur.

Sed urges; non repugnat species omnium minima: ergo nequè omnium maxima. Prob. antec. nàm ut ait D. Dionysius: *Species procedunt à Deo, sicut numerus ab unitate*; sed assignabilis est numerus omnium minimus, scilicèt, binarius: ergo etiàm assignabilis est species omnium minima: ergo &c. Resp. permisso antec. de quo videri possunt Mast. & Complut. neg. conseq. & paritatem; nàm creaturæ decrescunt, quo magis à Divino esse recedunt; & ità sicut est possibilis omnimodus recessus à Deo, qualis est anihilatio, ideò in descenssu

po-

potest dari status; quià tamèn creaturæ crescunt in perfectione per accessum ad Divinum esse, sicùt tale esse est infinitum, ideò potest dari accessus in infinitum; ac proindè semper est possibilis perfectior creatura in infinitum.

Dicimus 3.° Possibile esse infinitum syncathegorematicum secundùm multitudinem. Hæc est communis, & constat ex D. Aug. 12. de Civit. cap. 18. ubi loquens de tali infinitate, ait: *Certissimum esse, numeros infinitos esse*; & ex Arist. 3. Physic. text. 68. ubi ait: numeros augeri in infinitum, sicùt magnitudines in infinitum dividuntur. Idquè constat in creaturis intellectualibus, quæ per totam æternitatem plures actus eliciunt sinè termino; & hæc proculdubiò est sententia Subt. D. in 3. dist. 13. Quæst. 4. §. *Ad primam quæstionem*, ℣. *Sed contrà*, num. 2. Undè de hoc infinito nulla est difficultas, sed solùm de Cathegorematico. De quo

Dicimus 4.° Repugnat infinitum cathegorematicum, seù in actu secundùm multitudinem. Hæc est communis in utraquè Schola contrà aliquos Suaristas. Probat. ex Arist. 3. Physic. text. 41. dicente: *Etenim numerus, aut id, quod numerum habet, numerari potest; si igitur fieri potest, ut res numerabilis numeretur, infinitum quoquè pertransiri potest.* Prob. ratione; si daretur infinitum cathegorematicum in numerali multitudine, sequerentur contradictoria: ergo tale infinitum repugnat. Prob. ant. sequeretur unum infinitum esse majus alio, & non esse majus; esse minus, & non esse minus: ergo. Prob. ant. productis infinitis hominibus, esset major numerus oculorum, & adhùc major numerus capillorum; hoc enim luce meridiana clariùs est; sed aliàs non esset majus numerus capillorum, aut oculorum, quàm hominum; quià implicat, unum infinitum cathegorematicum esse majus alio; nàm infinito repugnat finiri, & terminari: ergo.

Sed objicies contrà istam; infiniti Angeli sunt entia realia, quæ cognoscuntur à Deo: ergo non repugnat, quod ponantur simùl in re. Resp. 1.° conc. antec. neg. conseq. quià illa multitudo includit aliquid ultimum, in

quo sistitur; quod est impossibile. Resp. 2.° Quod licèt per impossibile illa multitudo poneretur in actu, adhùc non esset cathegorematicè infinita, sed syncathegorematicè; nàm existentia non variat essentiam rei, ut cum Scoto diximus multoties.

Dicimus 5.° Implicat infinitum in actu, seù cathegorematicum secundùm magnitudinem. Hanc tenent Mast. Canon. Barg. & alii, citantes Scotum pluribus in locis; estquè communis Thomistarum; & prob. Illud quantum infinitum esset divissibile in partes; hæc enim est quanti definitio: ergo ab illo posset aliqua pars detrahi; nunc inquirimus, quantitas illa, quæ remanet, vel est finita, vel infinita? Si est finita: ergo tota magnitudo finita erat; nàm utpotè finita poterit pertransiri; & similitèr pars ablata; & consequentèr adhùc tota quantitas non esset infinita. Si secundum: ergo pars erit æqualis toto, vel dabitur unum infinitum majus alio. Patet primum; pars ablata per te est infinita; ergo est æqualis toto infinito, quod componebat. Secundum verò ostenditur; quantitas erat major, antequàm auferretur illa pars, modò est minor, & tamèn infinita: ergo dabitur unum infinitum majus alio.

Dicimus 6.° Possibile est infinitum syncathegorematicum in magnitudine; saltim in corporibus homogeneis. Ità S. D. sæpè, sed clariùs in 2. dist. 2. Quæst. 9. §. *Ad aliud*, num. 31. ubi ait: *Ignis autèm non est determinatus ad quantitatem determinatam in aliqua specie, quià quantùm est ex se produceret majus quantum, si apponantur combustibilia in infinitum*: Modò sic; sed Deus potest igni applicare combustibilia in infinitum: ergo ejus quantitas potest augeri magis, ac magis in infinitum. Conseq. est legitima, min. sub sumpta est evidens, doctrinaquè D. S. ex qua subsumitur est expresa Scripturæ Prob. 30. dicentis: *Ignis verò numquàm dicit, sufficit*: ergo &c. Confirmatur; quià ut tenet communis sententia potest Deus producere guttas aquæ numero infinitas: ergo, & quantitatem infinitam. Patet conseq. quià illæ guttæ possent applicari, & uniri ad mare; & sic mare

quan-

quantitativè cresceret magis, ac magis usquè in infinitum. Undè erravit Arist. (ut notat Scotus) dum 3. Physicor. 69. dixit; in quantitate molis quantum contigit esse in potentia, tantum contigit esse in actu.

Dicimus 7.° Repugnat infinitum cathegorematicum in intensione, seù qualitas infinitè intensa, sivè naturalis, sivè supernaturalis. Probat. brevitèr de utraquè; quià si non repugnaret qualitas infinita in actu, nèc etiàm repugnaret substantia infinita in actu; quod omnes negant; quià creaturæ non repugnat infinitas ex ratione formali substantiæ; nàm prædicatum substantiæ de facto est infinitum in Deo: ergo solùm repugnat ex ratione creaturæ; ac proindè si semèl conceditur alicui creaturæ, nempè qualitati, non repugnare infinitatem, nulla est ratio cur substantiæ repugnaret.

Dicimus 8.° Qualitas potest in infinitum syncathegorematicè intendi; atquè ità repugnat assignari summus gradus in qualitatibus. Hæc est communis intèr Thomistas, eamquè tenent quamplurimi Scotistæ, & probatur primò: Quantitas non habet terminum intrinsecum, sed potest à Deo in infinitum augeri: ergo nèc qualitas habet talem terminum, sed intendi in infinitum potest. Secundò: Possito calore in quocumquè gradu, potest Deus alium calorem creare, & præcedenti unire; sed potest Deus producere plures numero calores in infinitum: ergo. Tertiò: Nàm hoc non repugnat, nèc ex parte Dei, qui est agens infinitæ virtutis; nèc etiàm ex parte qualitatis, quæ, cum sit totum homogeneum, necessariò est unibilis cuicumquè gradui supervenienti; sed aliàs non repugnant infiniti gradus secundùm multitudinem: ergo &c.

Sed contrà objicies primò: S. D. in 3. dist. 13. Q. 4. ubi probat Gratiam Christi D. non fuisse infinitam, nèc summam possitivè, sed tantùm negativè, hoc est, ità summam, quod licèt possit creari alia æqualis, non tamèn alia major: ergo. Secundò: Arist. 3. Physic. text. 68. & 69. dicentem: *Quantum contingit esse in potentia, tantum contingit esse in actu*, & subdiit S. D. *Et ità non*

est

est procedere in infinitum, eundo ad formam; & ideò necesse est, in forma quantumcumquè perfecta, ponere terminum qualitercumquè possibilem: ergo. Resp. ad 1. S. D. ibi contrariam sententiam probabilitèr docuisse, non tàm motum rationibus, quas ipse solubiles prævidit, quàm ex devotione, & reverentia erga Christum D. ut ipse testatur devotissimis illis verbis: *In commendando Christum D. malo excedere, quàm defficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam opportet in alterum incidere.* Undè, ut notat Cavellus, id non docuit, ut omninò certum; proindequè absquè ejus injuria ab ipso recedere possumus. Ad 2. vide, quæ diximus supra conclusione 6.

DISPUTATIO UNDECIMA.

De loco, & tempore.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit locus, & in quo formalitèr consistat?

Jàm verò (ait Philosophus 4. Physic. cap. 6.) *magnum quiddam, ac difficile videtur sumere, quid sit locus?* Undè Philosophi diversimodè illum explicant; nàm Stoici locum dixerunt, *Spatium à corpore occupatum*, ipsosquè pleriquè RR. sequuntur. Gassendus autèm, *locum internum propriè esse locum dixit, ipsumquè esse spatium æternum, immobile, incorporeum, improductum, quod nèc substantia sit, nèc accidens, sit tamèn aliquid reale.* Aristoteles tamen cit. in lib. text. 3. sic locum describit: *Locus est ultimum corporis continentis, immobile primum*; sivè ut declarant Peripatetici: *Locus est superficies prima, & immobilis corporis continentis*; ut v. gr. aëris meum corpus continentis prima superficies; quam vocant immobilem, alii per ordinem ad partes fixas Universi, scilicèt, ad polos, & centrum mundi; alii per ordinem ad determinatas partes virtuales Divinę Substantiæ; Neoterici tamèn per ordinem ad spatium imaginarium, quod fixum, & immobile intelligunt. Nos verò

Di-

Dicimus, Locum materialitèr sumptum non esse spatium, sed superficiem ultimam, & immobilem corporis continentis; ejusquè immobilitatem solùm esse petendam ex ordine ad Telluris centrum, partesquè fixas, & immobiles Universi. Probat. prima pars contrà Gassendum; nàm spatium illud æternum, immobile, incorporeum, improductum, quod nèc sit substantia, nèc accidens, est contrà rationem, & fidem: ergo repugnat. Patet primò; nàm implicat juxtà omnes, dari aliquod ens, quod nèc substantia, nèc accidens sit: ergo. Secundò; etiàm constat; repugnat enim aliquid reale extrà Deum, quod ab ipso non sit productum; ideoquè Sap. 11. ℣. 26. dicitur: *Quomodò autèm posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? Aut quod à te vocatum non esset, conservaretur*: ergo &c. Prob. etiàm hoc contrà Stoicos; quià spatium, ut ab ipsis proponitur, est quid imaginarium, nihilquè reale: ergo nequit exercere munera loci realis, & veri. Prob. secunda pars; locus est id, quod continet aliquod corpus; sed hoc præstat ultima superficies corporis ambientis: ergo hæc habet rationem loci.

Prob. deniquè tertia pars; quià immobilitas loci nequit desumi à spatio illo à Modernis imaginato; hoc enim est nihil, & à nihilo nil reale potest sumi. Deindè loci immobilitas nèc potest sumi à partibus virtualibus Divinæ Substantiæ; nàm hæc non intelliguntur in Deo, nisi quatenùs terminat relationes præsentiæ omnium creaturarum in Universo existentium: ergo priùs intelliguntur creaturæ tales relationes fundantes; proindequè ab his debet sumi immobilitas loci, à partibus nempè immobilibus universi; sed hæc sunt telluris centrum, partesquè fixæ, seù mundi poli: ergo. Usquè huc de loco materialitèr accepto sumus locuti; si autèm quæras, in quo formalitèr consistat? Resp. formalitèr consistere in respectu extrinsecùs adveniente, & spectante ad prædicamentum *Ubi*; de quo in Logica jàm sufficientèr diximus.

Hic tamèn dubitabis 1.° Quibus rebus conveniat esse in loco? Et supposito, Deum propriè, & in rigore non esse

esse in loco; quià à nullo corpore contineri valet; & etiàm notato, omnia corpora, quæ ab ultimo Cœlo, seù Empyreo continentur esse propriè in loco; habent enim extrà se aliud corpus continens; dubium solùm est de Cœlo Empyreo, & de substantiis spiritualibus. Ad quod resp. 1.° Ultimum Cœlum non esse in loco. Ità Arist. & Scotus hic à nostro Villa-Castin citati; & prob. ut aliquid sit in loco, debet habere extrà se aliud corpus continens; sed ultima sphera non habet extrà se aliud corpus, ut patet: ergo non est in loco. Resp. 2.° Omnes substantias spirituales creatas esse in loco. Prob. 1.° Ex illo Apoc. 12. ubi de Angelis reprobis dicitur: *Nec locus inventus est eorum amplius in Cœlo.* Deindè ratione; illud propriè est in loco, extrà quod est corpus ipsum continens; sed extrà Angelos est aliquod corpus ipsos continens; aliàs diffunderentur sinè termino: ergo Angeli sunt propriè in loco.

Dubitabis 2.° Quomodò res sint in loco? Resp. 1.° Quod locus est duplex, circunscriptivus, scilicèt, & definitivus: ille autèm est, qui continet locatum, & ità cum illo commensuratur, ut totus locus toti locato correspondeat, & partes partibus. Definitivus verò est sinè ulla commensuratione; sed ità ut res sit tota in toto loco, & tota in qualibet parte loci; & ità sunt in loco res spirituales; corporeæ verò sunt in loco circumscriptivè: & hoc, vel penetrabilitèr, ut diximus in Logica de substantia corporea ante quantitatem; & tunc multiplicatur *Ubi* ad multiplicationem rerum corporearum, quæ sunt in composito; nàm quælibet est ratio proxima fundandi prædictam relationem; vel impenetrabilitèr, quod convenit rei, ratione quantitatis; & tùnc sufficit unicum *Ubi*, ut corpus, & ejus partes essentiales, accidentia, & cætera, quæ sunt in eo, dicantur ubicata; nàm prædicta unica quantitate impenetrabilitèr extenduntur; consequenterquè sufficiet unicum *Ubi* circumscriptivum, ut ubicata dicantur.

Resp. 2.° Substantia spiritualis creata est in loco fundamentalitèr per suam substantiam, non per suam ope-

operationem. Est S. D. & suorum, aliorumquè contrà Thomistas; & prob. Angelus potest à sua operatione cessare, vel ob suam libertatem, vel ob denegatum à Deo concursum; sed adhuc substantia ejus remaneret in loco, ubi priùs operabatur; aliàs per negationem concursus ad operationem anihilaretur: ergo non est in loco per suam operationem, sed per suam substantiam.

Dubitabis 3.° An Deus actu sit in spatiis imaginariis? Et supposito, spatium imaginarium esse illud inane, quod dicitur esse extrà Cœlum; estquè negatio realis corporum. Resp. Deum actu esse in tali spatio, ità ut ratione suæ immensitatis, non solùm sit in toto mundo, sed etiàm extrà hunc mundum per illud inane reperiatur difussus. Prob. quià antequàm mundus esset, Deus erat difussus per illud inane: ergo etiàm nunc. Deindè; si Deus non esset actu in tali spatio, posset verè, & propriè moveri; posset enim hunc mundum movere de hoc spatio ad aliud, & simùl cum ipso transferri velut nauta movetur ad motum navis; sed hoc est absurdum: ergo Deus est actu in spatiis imaginariis: non quià Deus fundet, vel terminet relationem præsentiæ ad illa spatia; hoc enim est impossibile; sed quià illi negationi coexistit, illiquè non est distans, nec absens.

Dubitabis 4.° An duo corpora quanta possint esse in eodem loco penetrata saltèm divinitùs? Resp. naturalitèr esse impossibile, non verò supernaturalitèr. Prima pars ab omnibus conceditur; secunda verò, quæ est contrà Epicurum, & Durandum, patet; nàm Christus D. natus est, inviolato Virginis utero: surrexit è sepulcro, immoto lapide: ingressus est ad discipulos, januis clausis; & in Ascensione penetravit cœlos, ut ait Paul. ad Hebr. 4. sed hæc omnia facta sunt per penetrationem coexistentium in eodem loco: ergo. Prob. ratione: Non minùs exigit quantitas, quod ejus partes sint ad invicèm impenetratæ, quàm cum partibus alterius quantitatis; sed partes unius quantitatis possunt supernaturalitèr ad invicèm penetrari: immò de facto in Venerab. Eucharistia sunt penetratæ partes quantitatis Corporis Christi D.

ut patet: ergo. Confirmatur; quantitas Corporis Christi D. & quantitas specierum sunt duæ quantitates; & tamèn sunt in eodem spatio compenetratæ: ergo duo corpora quanta possunt in eodem loco compenetrari; nàm impenetrabilitas actualis est effectus secundarius quantitatis; & sic potest à Deo impediri.

QUÆSTIO SECUNDA.

An idem numero corpus possit esse circumscriptivè in duobus locis?

Hæc est præcipua dificultas in hac materia; cujus sensus est, an corpus unicum existens circumscriptivè hic, possit divinitùs esse circumscriptivè alibi. Negant Thomistæ, affirmant verò Scotistæ. Cum quibus

Dicimus: Idem numero corpus potest divinitùs esse in pluribus locis circumscriptivè. Hæc est adeò consona Venerab. Mysterio Eucharistiæ, ut eximius Suarez miretur, quomodò catholici DD. oppositum dicere potuerint, tenentes de fide Corpus Christi D. esse in pluribus locis simùl; ideoquè receptissima est intèr Scriptores Dogmaticos contrà Hæreticos; valdè enim conducit ad retundendam eorum impietatem circà maximum fidei Sacramentum. Probat. ratione fundamentali; Corpus Christi D. de facto est in pluribus locis, in uno circumscriptivè, & in aliis definitivè, seù sacramentalitèr, ut docet fides: ergo divinitùs potest esse simùl in duplici loco circumscriptivè. Prob. conseq. nàm facilius est istud, quàm illud; magis enim consentaneum est corpori existenti in uno loco modo quantitativo, & naturali, constitui in alio loco modo etiàm naturali, & quantitativo, quàm modo definitivo, & sacramentali, seù absquè ullo modo extensionis in ordine ad locum: ergo &c. Prob. antec. facilius est, rem conservari cum suo modo naturali, quàm sinè illo; nàm ad hoc ultimum necessarium est novum miraculum; sed præsentia circumscriptiva est modus, & quasi proprietas naturalis corporis: ergo &c.

Prob.

Prob. 2.° Duo corpora quantitativè extensa possunt Divinitùs esse simùl in eodem loco circumscriptivè: ergo etiàm idem corpus quantitativè extensum poterit Divinitùs esse circumscriptivè in duplici loco; nèc facilè asignabitur disparitas.

Prob. 3.° ex historiis Ecclesiasticis: plures Sancti simùl extiterunt in duobus locis circumscriptivè, ut legitur de S. Martino Episcopo, de S. Antonio Paduano, de S. P. N. Francisco, de S. Ignatio, de S. Xaverio, & aliis; & quod caput est, Christus D. aparuit post Ascensionem Petro Apost. Romam desserenti, & etiàm Paulo Damascum petenti, ut ipse testatur 1. Cor. 5. sed non aparuit, desserendo Cœlum; nàm Actorum 3. dicitur: *Quem oportet cœlum suscipere usquè ad tempus resurrectionis hominum.* Et D. August. in decreto de consecrat. dist. 2. cap. 1. ait: *Donèc finiatur sæculum, sursùm est Dominus*: ergo simùl fuit circumscriptivè in Cœlo, & extrà Cœlum.

Nè dicant contrarii, Christum D. Cœlum desseruisse per brevem morulam; hocquè non opponi Scripturæ; nàm contrà est, quià Scriptura asserit, Christum D. non relicturum Cœlum usquè in diem judicii; sed in die judicii non relinquet ipsum, nisi per brevem morulam, in qua fiet judicium: ergo antè illum diem, nèc per brevem morulam relinquet Cœlum. Nèc dicant alii, tales aparitiones fuisse imaginarias, aut medio Angelo factas; nàm illæ aparitiones, præcipuè sibi facta, assumitur à Paulo ad probandam veritatem resurrectionis; sed hæc non probatur ex aparitione imaginaria, aut medio Angelo facta, sed ex vera aparitione Christi D.: ergo &c.

Objiciunt Thomistæ 1.° Quilibet locus in illo eventu esset adæquatus corpori, ut supponitur, & non esset adæquatus: ergo repugnat. Patet secunda pars ant. locus adæquatus est ille, quem corpus non excedit, sed adæquat, sed in casu corpus excederet quemlibet ex illis locis, quià esset extrà quemlibet illorum: ergo &c. Resp. 1.° argumentum etiàm militare contrà maximum Eucharistiæ Sacramentum, ut patet. Resp. 2.° neg. ant.

quo ad secundam partem. Ad prob. conc. maj. neg. min. & dist. implic. prob. esset extrà quemlibet illorum per distinctam præsentiam conc. per eamdem neg. Itaquè uterquè locus esset adæquatus, quià uterquè totum contineret corpus; neuter tamèn esset inadæquatus; quià ut locus inadæquatus dicatur, requiritur, quod totum non contineat corpus; quod de nullo illorum verificaretur.

Objiciunt 2.° Implicat multiplicari effectum formalem etiàm secundarium, quin forma multiplicetur; sed præsentia localis est effectus formalis secundarius quantitatis: ergo implicat quòd multiplicetur inmultiplicata quantitate. Resp. 1.° instando argumentum: Implicat multiplicari effectum formalem etiàm secundarium, quin forma multiplicetur; sed cum corpus est successivè in pluribus locis multiplicantur præsentiæ, quæ sunt effectus &c. quantitatis: ergo hoc non potest esse, quin quantitas multiplicetur. Resp. 2.° dist. maj. implicat multiplicari effectum formalem adæquatum &c. conc. maj. inadæquatum, neg. maj. & dist. min. inversis terminis, neg. conseq. Nàm quælibet præsentia localis determinata est inadæquata respectu quantitatis; nàm potest successivè plures habere; adæquatam tantùm haberet, si esset in omni loco possibili.

Objiciunt 3.° Plura absurda, & contradictiones, quæ verificarentur de eadem re possita circumscriptivè in pluribus locis, v. gr. idem homo conficeret magnum exercitum. 2. sibi choreas duceret. 3. sibi ipsi occurreret. 4. secum pugnaret, & nesciretur, uter vinceret. 5. eadem gutta Universum inundaret, & submergeret. 6. Romæ moreretur, ascenderet, calefieret, &c. & Cordubæ viveret, descenderet, frigesceret, &c.; sed hæc omnia sunt absurda, & contradictoria: ergo. Resp. 1.° Hæc omnia, etiàm fatentibus Adversariis, verificari de Corpore Christi D. in Cœlo, & in Eucharistia collocato. Resp. 2.° neg. indè sequi nèc absurda, nèc contradictiones. Nàm accidentia absoluta, quæ sunt independentia à loco essent ubiquè eadem, saltim secluso miraculo;

re-

relativa autèm, & dependentia, vel concomitantia locum possent esse diversa; sed de hoc infrà. Doctor S. dicit, hæc *puerilitatem sapere potiùs, quàm Philosophiam.*

Sed ut fundamentalitèr solvantur, dubium hoc excitat S. D. An corpus in duobus locis existens haberet utrobiquè eadem accidentia? Respondetquè in 4. dist. 10. Quæst. 2. *Quæcumquè sunt priora essentialitèr ipso ubi, uniformitèr insunt corpori, quamvis habenti diversa ubi; nèc variabuntur, variato ipso ubi. Quæ verò posteriùs sunt, vel simùl natura, variabuntur secundùm varietatem ipsius ubi. Hoc patet: quià prius essentialitèr non variatur propter variationem posterioris, sed posterius benè variatur ad variationem prioris. Quæ verò sunt simùl natura cum illo, variantur cum illo.* Undè duo inferunt Scotistæ. Primò: Quod accidentia omnia absoluta corporis conveniunt ei in omni loco. Secundò: Quod quæcumquè conveniunt corpori dependentèr, vel concomitantèr ad locum variari possunt, v. gr. quiescere, aut ambulare, moveri sursùm, aut deorsùm &c. Sed prosequitur S. D. dicens: *Sicut passum existens in uno ubi acciperet formam à duobus agentibus sibi ibidèm aproximatis; sic ipsum in duobus locis existens patietur ab iisdem sibi in illis duobus ubi aproximatis; & hoc intelligo de passione, quæ est ad formam absolutam.* Et deindè: *Sicut corpus in uno ubi existens se haberet in ratione activi ad diversa sibi aproximata in illo ubi, sic ipsum, ut existens, in duobus ubi, se haberet ad eadem sibi in illis ubi aproximata.* Ex quo etiàm inferunt nostrates alia duo. Primò: Corpus non posse recipere, licèt sit in duobus locis, nisi formas absolutas, quas existens in uno reciperet. Secundò: Prædictum corpus non posse agere in duobus locis, nisi quod poterat in uno. Qua doctrina subtili prædicta omnia inconvenientia solves.

QUÆS-

QUÆSTIO TERTIA.

Continens plura dubia circà vacuum.

Vacuum, prout hic de illo loquimur, definitur ab Arist. *Est locus non repletus corpore, aptus tamèn repleri*: seù breviùs: *Est locus privatus omni corpore.* Et de hoc dubitatur primò: an de facto detur in rerum natura? Affirmant Atomistæ dari vacuum, non *Coacervatum*, seù sensibile, sed *Disseminatum*, sivè inter ipsas atomos; vel corporum partes interceptum. Nos verò cum aliis Philosophis negamus in rerum Natura dari vacuum, tàm Coacervatum, quàm Disseminatum. Et primò: De Coacervato patet mille experimentis, quibus apparet, naturam maximoperè vacuum refugere; nàm aqua, quandò per fistulam attrahitur, ascendit sursùm ad replendum locum relictum ab aëre; & etiàm contrà naturalem inclinationem detinetur in clipsydra, clauso superiori orificio, quamquàm inferius sit apertum; paritèr latera folliùm nulla vi separari possunt, si impediatur aëris ingressus ad implendum. Ex quibus, & aliis experimentis colligunt Philosophi, hanc esse rerum naturam, ut vacuum adhorreat: ergo.

Secundò: De Disseminato etiàm constat primò; nàm tale vacum ideò ajunt Atomistæ mediat intèr unam, & alteram atomum, ut possint dividi; sed ad hoc non requiritur vacuum, sed sufficit distinctio realis utriusquè; aliàs partes Corporis Christi, quæ in Eucharistia sunt compenetratæ, intèr quæ nullum datur vacum, dividi non possent, quod est absurdum: ergo. Secundò: Ideò Epicurei asseverant vacuum, ut possit dari motus; sed ex ipso motu infertur non dari vacuum: ergo. Prob. min. Quando formica v. gr. movetur, vel tangit proximum sibi corpusculum, vel non? Si tangit: ergo inter ipsam, & tale corpus non datur vacuum; implicat enim duo tangi, adeò ut unum expellat aliud, & haberi vacuum intermedium; sed his non obstantibus potest formica moveri, & dividi à tali corpore: ergo. Si dicant, quod non

tan-

tangit tale corpus: ergo illud non impellit, nequè expellit à suo loco, ac proindè cum illo compenetrabitur, quo quid absurdius? ergo &c.

Dubitabis 2.° Quænam sit caussa impeditiva vacui? Et relictis pluribus modis dicendi parvi momenti apud AA. videndis, Resp. cum S. D. in 3. dist. 27. §. *Istæ rationes*, num. 12. totam rationem esse voluntatem Dei, seù extrinsecum Dei decretum, quo determinavit hoc universum, unitum, & contiguum conservare. Sed tamèn hujus voluntatis aliqualis congruentia assignari potest; unitas enim est perfectior, quàm pluralitas, & discontinuitas; ideoquè natura sempèr tendit ad unum eo modo, quo possibile est; sed mundus nequit esse unus unitate continuitatis; aliàs unum corpus non posset moveri, quin omnia moverentur: ergo saltim erit unus contiguitate, & connexione. Undè inferes primò contrà Cartesium, vacuum esse possibile de potentia Dei absoluta; non enim repugnat ex suis intrinsecis, sed ratione decreti: ergo tali decreto sublato posset à Deo poni. Inferes secundò, quod si non daretur tale decretum etiàm agens naturale posset ponere vacuum in rerum natura; nàm si non potest, est ob prædictum decretum: ergo illo sublato posset.

Dubitabis 3.° A quo moveantur corpora ad replendum vacuum? Resp. duo comprincipia ad talem motum concurrere. Primum est, Auctor naturę volens Universum esse unum contiguitate, & ad ejus colligationem sempèr concurrere; qua supposita generali voluntate, illud corpus immediatè movetur ab agente movente aliud corpus, in cujus locum succedit, v. gr. cum quis pèr fistulam attrahit aërem, & post ipsum aquam; aqua illa movetur ab attrahente aërem. Prob. ex D. S. in 4. dist. 43. Quæst. 5. §. *Dè secundo*, V. *Nunc autèm*, num. 6. quod effectivè movet unum corpus localitèr, effectivè quoquè expellit aliud: ergo paritèr quòd effectivè movet unum corpus, effectivè etiàm movet aliud naturali colligatione conjunctum; sed aër prædictus, supposito assignato Dei decreto, est naturali colligatione cum

aqua

aqua conjunctus: ergo qui movet aërem, movet etiàm, & aquam.

Dubitabis 4.° An motus gravium sursùm, & levium deorsùm ad impediendum vacuum sit illis naturalis, an violentus? Resp. esse absolutè, & simplicitèr violentum respectu aquæ v. gr. Prob. Ex Doctore in 3. cit. ab eadem forma ad unum determinata nequeunt duo oppositi motus provenire simùl, & semèl; sed cum aqua attrahitur sursùm ad impediendum vacuum, resistit, & conatur detinere, & impedire motum illius; nàm in fistula sentitur pondus aquæ, quod est signum resistentiæ: ergo nequit simùl concurrere ad motum sursùm. Undè talis motus, si comparatur ad aquam, est omninò violentus: si verò comparetur ad Universum, est omninò naturalis, & sic est intelligendus Scotus, quem citant pro parte contraria.

Dubitabis 5.° An corpus possit moveri per vacuum? Resp. affirmativè tàm de vacuo interminato, seù extràmundiali, quàm de terminato, seù intràmundiali. Prob. utrumquè; ad motum sufficit, quod detur movens, mobile, & extrema, à quorum uno transeat ad aliud; sed tàm in vacuo terminato, quàm interminato est movens, nempè Deus, & potest esse movile v. gr. lapis, & extrema, nimirùm præsentiæ correspondentes diversis partibus Divinæ substantiæ: ergo &c. Et si inquiras, an talis motus esset successivus? Affirmativè respondebimus; nàm licèt in vacuo non detur resistentia accidentalis, quæ provenit ex raritate, vel densitate medii; esset tamèn resistentia essentialis, scilicèt, illud spatium, & distantia terminorum, quæ nequit simùl pertransiri, sed priùs secundùm unam partem, quàm secundùm aliam.

QUÆSTIO ULTIMA.

Ubi de tempore agimus.

Tempus est species quædam durationis. Duratio autèm formalitèr est sola existentia rei connotans respectum coexis-

coexistentiæ alicui durationi extrinsecæ, saltim imaginariæ. Itaquè Deus *æternitate* commensuratur. Æternitas enim est *interminabilis vitæ tota simùl, & perfecta possessio.* Angeli verò commensurantur *Ævo*, quod est *duratio entis permanentis indivisibilitèr, intrinsecè defectibilis, licèt non deficientis.* Tempus tamèn respondet durationi illarum rerum, quæ possunt habere successionem. *Quid ergo est tempus?* resp. S. Aug. lib. 11. Confes. cap. 14. *Si nemo ex me quærat, scio, si quærenti explicare vellim, nescio.* Itaquè enigma est abditum, & retrusum, parumquè de illo dicere possumus. Dividitur enim in intrinsecum, estquè ipsamet rei existentia; & in extrinsecum, de quo nunc disputamus, & mensura est temporalium rerum; definiturquè ab Arist. 4. Physic. text. 101. *Est numerus motus secundùm prius, & posterius.* Quod sic interpretantur Peripatetici: *Tempus est mensura motus, & quietis secundùm prius, & posterius.* Et licèt quilibet motus talis possit esse mensura; tamèn potissimùm hoc attribuitur excelentissimo Cœlorum motui; proindequè iste est tempus extrinsecum.

Dubitabisquè 1.° In quo formalitèr consistat tempus intrinsecum? Resp. consistere formalitèr in existentia entis successivi, seù in successione partium. Prob. duratio ut sic consistit formalitèr, & intrinsecè in existentia rei durantis: ergo duratio temporanea debet consistere in existentia temporali rei; non verò in existentia permanenti; aliàs non distingueretur ab æternitate, aut ævo: ergo consistit propriè in existentia rei successiva, seù in successione partium ejusdem.

Dubitabis 2.° An partes temporis intrinseci existant ratione sui, an existant solùm ratione instantis? Et supposito, tempus intrinsecum componi ex partibus mediis indivisibilibus, seù instantibus copulatis. Resp. partes temporis non existere ratione instantis, sed ratione sui. Et patet; quià existentia instantis est simultanea, & indivisibilis: ergo partes temporis nequeunt tali existentia existere. Prob. conseq. partes temporis sunt successivæ, & divisibiles: ergo nequeunt existentia indivisibili

exis-

existere; existentia enim cum entitate debet proportionari.

Dubitabis 3.° Quid sit tempus extrinsecum? Resp. cum Arist. cit. *Est numerus motus secundùm prius, & posterius.* Ubi ly *numerus*, non sumitur nèc pro purè numerante, nèc pro purè numerato, sed pro mixto, qui simùl est numeratus, & numerans, ut v. gr. globuli Rosarii, qui, & numerantur, & etiàm deserviunt ad orationes numerandas. Et talis numerus, seù tempus extrinsecum est motus primi Cœli; hic enim inter omnes motus habet conditiones ad rationem numeri, seù mensuræ aliorum motuum; est enim certissimus, & uniformis; estquè omnium notissimus. Motibus verò Solis, Lunæ, & Horologii solùm utimur tamquam signis, quibus distinguimus partes motus primi mobilis; proindequè rectè motus primi Cœli ab omnibus constituitur tempus extrinsecum.

Dubitabis 4.° Quomodò res incipiant, & desinant esse? Resp. 1.° Res per se, & essentialitèr successivæ, ut motus, & tempus incipiunt, & desinunt esse extrinsecè, nempè, incipiunt *per ultimum sui non esse*, & desinunt *per primum sui non esse*; & consequentèr incipiunt in tempore, & desinunt in instanti. Prob. quià ut inciperent, & desinerent intrinsecè, seù *per primum, & ultimum sui esse*, deberent in principio verificari: *Nunc est motus, aut tempus, & immediatè antè non erat*; & in ultimo: *Nunc est motus, & immediatè post non erit*; sed neutrum verificari potest: ergo. Prob. min. ly *nunc* supponit pro instanti; sed in nullo instanti est motus, aut tempus; hæc enim sunt successiva, & in continuo fluxu: ergo numquàm potest verificari, *nunc est motus, aut tempus*; consequenterquè non intrinsecè, sed extrinsecè incipiunt, & desinunt esse.

Resp. 2.° Res permanentes divisibiles, quæ habent totum esse simùl, ut animata, incipiunt intrinsecè, & extrinsecè desinunt. Prob. prima pars: Quià si totum esse simùl accipiunt: ergo de illis verificatur, *nunc est res, anteà non erat*; & consequentèr incipiunt per primum

sui

sui esse, seù intrinsecè. Prob. secunda pars: Nàm quæ accipiunt totum esse simùl, possunt totum simùl amittere: ergo valet dici, *Nunc non est res, anteà erat*; proindequè desinunt per primum sui non esse, seù extrinsecè. Benè verum est, quod etiàm possunt desinere intrinsecè, seù per ultimum sui esse, ut infrà dicemus.

Resp. 3.° Formæ, quæ in eodem subjecto sunt simùl incomposibiles, non possunt incipere, & desinere intrinsecè, dùm sibi invicèm succedunt. Prob. nàm si inciperent, & desinerent intrinsecè, de illis verificaretur: *Nunc est, immediatè antè non fuit*; *nunc est, immediatè post non erit*; vel ly *nunc* supponit pro eodem instanti, vel pro diversis? Si primum: ergo darentur duæ formæ contrariæ simùl in eadem numero materia, quod implicat. Si secundum: ergo vel unum instans erit immediatum alteri, quod similitèr implicat; vel in aliquo tempore erit materia naturalitèr sinè aliqua forma. Patet hoc; in illo tempore, quod mediat intèr utrumquè instans, materia nullam haberet formam, ut patet: ergo. Ob eamdemquè rationem non possunt incipere, & desinere extrinsecè; undè necessariò si una forma incipit intrinsecè, altera desinit extrinsecè; & è contrà.

Resp. 4.° Indivisibilia secundùm durationem incipiunt, & desinunt esse intrinsecè. Prob. talia enim indivisibilia solùm possunt per instans indivisibile durare; undè in eodem instanti, in quo primò sunt, ultimò, & totalitèr sunt: ergo necessariò incipiunt in instanti, & desinunt in tempore; & consequentèr incipiunt, & desinunt intrinsecè; nàm si extrinsecè, & primò sui non esse desinerent, vel darentur duo instantia immediata, vel ista non essent indivisibilia secundùm durationem, quià in tempore permanerent, quæ omnia sunt absurda: ergo &c.

Resp. deniquè: Indivisibilia secundùm entitatem, quæ tamèn sunt virtualitèr divisibilia, quià æquivalent habenti plures partes, ut Angeli, & Anima rationalis, incipiunt intrinsecè, & extrinsecè desinunt. Prob. Non enim possunt incipere successivè, & in tempore, cum

sint indivisibiles, & careant partibus: ergo incipiunt in instanti. Undè quià diù permanere possunt, magis consentaneum est naturæ ipsorum, quod si in instanti totum esse simùl acquirunt, etiàm in instanti amittant; & consequentèr incipiant intrinsecè, & extrinsecè desinant. Et si quæras, an possint de potentia Dei absoluta incipere extrinsecè, & desinere intrinsecè? seù an possint incipere, & desinere in tempore. Resp. non posse incipere in tempore; aliàs inciperent successivè, quod implicat; benè tamèn posse desinere in tempore; nàm nulla est repugnantia, quod Angelus conservetur usquè ad instans determinatum inclusivè, & non ampliùs, tuncquè desineret per ultimum sui esse, seù in tempore.

PHYSICÆ SECUNDA PARS,
QUÆ DICITUR PHYSICA PARTICULARIS.

DISPUTATIO PRIMA.
De Mundo universim.

QUÆSTIO UNICA.
Ubi omnia dubia circà mundum resolvuntur.

Mundus ex Arist. lib. de Mundo, cap. 2. *Est compages è Cœlo, Terraquè coagmentata, atquè ex iis naturis, quæ intrà ea continentur.* Diciturquè Mundus à munditie, seù elegantia, & pulchritudine, quæ in ipsarum rerum universitate summo ordine relucet. Circà quem primò dubitabis: An Mundus sit unus? Resp. Affirmativè contrà Democritum, Epicurum, aliosquè paucos Philosophos antiquos, innumerabiles esse mundos asserentes. Et prob. 1.° Mundorum pluralitas, immò infinitas, nulla ratione suaderi valet; quin potiùs habet contrà se omnes demonstrationes, quibus infinitum cathegorematicum,

cum, & in actu improbavimus: ergo rejicienda est. 2.° Quià talis sententia est contrà Fidem, Scripturam, Patres, & Theologos unicum esse Mundum passim docentes: ergo nullomodò est à Catholicis admittenda.

Dubitabis 2.° An Divina atenta virtute plures possent esse Mundi distincti, ac sejuncti? Resp. Affirmativè cum omnibus Philosophis, & Theologis contrà Cartesium. Et prob. Mundorum pluralitas non involvit contradictionem, aut repugnantiam: ergo Deo possibilis est. Anteced. patet: Eatenùs enim Cartesius docuit, unicum esse Mundum, pluresquè repugnare, quià extensionem universim acceptam corpus esse defendit; undè, & spatia imaginaria censuit esse vera, & realia corpora, & extensionem illam, quàm longè, latequè extrà Cœlos efingimus, realem materiam esse voluit; sed hæc ipsa ratio quamplura involvit absurda, & falsa: ergo &c.

Dubitabis 3.° An Mundus sit animatus? Veteres plurimi affirmarunt, mundum divino quodam spiritu plenum, & animatum esse, adeò ut mundus ipse magnum veluti animal videretur, cujus oculi forent Sydera, Sol pro corde, Luna pro jecore, &c. Alii verò nobiliores solùm Universi partes, Cœlos, ac Sydera diversis animabus animatas putarunt. Nos tamèn cum Ecclesia Catholica Mundum nullatenùs esse animatum dicimus. Patet; nàm in Concilio Constantinopolitano 2.° ità definitum fuit: *Si quis dicit, Cœlum, & Solem, & Lunam, & Stellas, & Aquas, quæ suprà Cœlos sunt, animatas quasdam esse, & materiales virtutes; anathema sit.* Consentiunt PP. & licèt Mag. P. Aug. pro opposita citetur pluribus in locis; tamen ipse S. D. in lib. de Duabus animabus, cap. 4. ait: *Muscam nobiliorem esse Sole, quià hæc animatur, & vivit.* Et lib. 1. Retract. cap. 5. quæ de anima Mundi in lib. de Immortalitate animæ scripserat, perperàm scripta esse fatetur; & lib. 2. cap. 7. quæ olim de Mundi anima dixerat, per tropum, & metaphoram intelligi posse docet, nèc alio sensu esse accipienda. Deniquè Stoici, Ægyptii, Chaldei, & Græci nulla suadebant ratione animam, quam Mundo tribuebant: ergo

cum

cum turpe sit sinè ratione cuiquam credere ; ut sapientèr animadvertit Aug. lib. 6. de utilitate credendi cap. 14. assentiri commentis illis nullatenùs possumus.

Dubitabis 4.° An Mundus sit perfectus? Resp. Affirmativè; estquè expresum in lib. Geneseos cap. 1. ℣. 31. ubi dicitur : *Vidit Deus cuncta , quæ fecerat , & erant valdè bona.* Et si iterum quæras: An Mundus possit esse perfectior? Negavit Wolfius, qui part. prima Theologię naturalis, cap. 3. §. 26. ait: *Mundum , qui existit, esse omnium possibilium perfectissimum.* Nos verò affirmativam sempèr docebimus partem , quousquè huic rationi respondeant contrarium opinantes: Mundus hic, vel infinitus est, vel finitus? Si infinitus: ergo datur infinitum in actu , quod repugnat. Si finitus : ergo alius perfectior creari potest , ut ipsa finiti notio præsefert: ergo &c.

Dubitabis 5.° Cujusmodi sit Mundi totius figura? Placuit aliquibus, inter quos recensetur Empledocles, Mundi figuram Turbinis instar , aut Ovi constitutam facere. Pythagoras verò, Ægyptii, Thales, Stoici, Plato, Arist. aliiquè Veteres sphæricam esse Universitatis hujus figuram dixere. Quod quidèm , licèt Cartesio videatur impossibile, à nobis sempèr est tenendum. Imprimis, quià Cartesius nulla ratione talem impossibilitatem convincit; & etiàm quià prædicta figura , & Cœlorum motui aptior est , & longè verosimilior videtur. Postremo de Mundi extensione nil dicere audemus. *Melius est* (ait Cassiodorus lib. de Anim. cap. 7.) *in occultis confiteri ignorantiam , quàm periculosam sumere audaciam.*

Dubitabis 6.° An Mundus extiterit, vel potuerit existere ab æterno? Resp. 1.° Mundum, non ab æterno, sed in tempore fuisse creatum ; est de fide contrà Arist. & constat; nàm Gen. 1. dicitur: *In principio creavit Deus Cœlum , & Terram* ; & Joan. 17. *Clarifica me tu Pater claritate , quam habui , priusquàm mundus fieret* : & deniquè in Concil. Lateran. sub Innocentio 3.° in cap. de Summ. Trinit. habetur : *Deus ab initio temporis simùl utramquè de nihilo condidit creaturam , spiritualem , & corporalem ; Angelicam videlicèt , & mundanam , ac deindè humanam ,*

quasi

quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam. Ex quo enim constat, quantùm lumen naturæ lumine fidei indigeat; defectu enim hujus Princeps Philosophiæ fædissimè erravit.

Resp. 2.° Mundum quoad res permanentes potuisse esse ab æterno. Est communis in utraquè Schola cum S. D. in 2. dist. 1. Quæst. 2. §. *Tenentes*, num. 16. Ubi licèt solvat argumenta pro utraquè parte, in nostram magis inclinatur. Et prob. Quod res permanentes sint ab æterno producibiles, non includit contradictionem: ergo potuerunt à Deo ab æterno produci. Prob. antec. quià de ratione producti ab alio nequè est, quod incipiat in tempore, nequè quod sit posterius tempore suo principio, ut patet in Verbo Divino à Patre producto: ergo &c. Et etiàm quià effectus proveniens ab aliqua caussa sæpè est in eodem instanti reali cum illa, ità ut caussa non antecedat effectum tempore, sed natura; Sol enim in eodem instanti, in quo fuit, illuminavit. Et D. Aug. 6. de Trinit. cap. 1. ait; quod si ignis esset æternus, splendor ab eo caussatus esset coeternus: ergo &c.

Resp. 3.° Res successivæ nèc de potentia Dei absoluta potuerunt esse ab æterno. Ità S. D. cit. & probat. Ens successivum intrinsecè, & essentialitèr componitur ex partibus prioribus, & posterioribus; ità ut nulla pars entis successivi possit dari, quæ partes priores, & posteriores non includat; sed implicat, quod pars posterior sit ab æterno: ergo etiàm implicat, quod res successiva sit ab æterno. Prob. min. Pars enim posterior necessariò, & essentialitèr præsupponit partem priorem; sed omninò implicat, illud, quod est ab æterno, aliud existens præsupponere: ergo implicat, partem posteriorem existere ab æterno; & consequentèr res successiva nec de potentia Dei absoluta poterit esse ab æterno.

Hic autèm contrà secundam hujus dubii resolutionem objicies primò: Ad esse actuale creaturæ necessariò debet præsupponi ejus non esse, potentiaquè in Deo ad illam producendam, vel non producendam: ergo implicat, quod aliqua creatura sit æterna. Secundò: Creatio

crea-

creaturæ est in instanti, ut diximus: ergo implicat, quod sit in æternitate. Resp. ad primum; non esse creaturæ, potentiaquè in Deo ad illam producendam, vel non producendam, tunc solùm præcedere prioritate naturæ, quod æternitati non obest. Ad secundum dicimus, quod creatio creaturæ non fieret in instanti sed in æternitate; seù se haberet proportionalitèr, sicut generatio Verbi Divini, quæ nèc instantanea est, nèc successiva, sed continuata, & permanens.

Contrà tertiam objicies: Primò: Non repugnat motus æternus à parte post: ergo nequè ens successivum æternum à parte ante. Secundò: Ab æterno fuit potentia ad motum: ergo etiàm ab æterno potuit esse motus; quià ad impossibile potentia non datur. Resp. ad primum, neg. conseq. disparitas est; quià ex ente successivo à parte post, solùm sequitur dari infinitum syncathegorematicum, seù numquàm in actu totum ponendum, sed finitum in infinitum. At si daretur ens successivum æternum à parte ante, esset jàm in actu positum; quod implicat cum æternitate, quià æternitati in actu repugnat successio, seù prius, & posterius. Ad secundum dist. antec. ab æterno fuit potentia ad motum successivè, seù temporaneè producendum, conc. ad motum æternum, neg. suppositum, & consequentiam; nàm ut diximus, implicat ens successivum æternum.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Cœlo, Cœlestibusquè Corporibus.

QUÆSTIO PRIMA.

De Cœlorum Systemate; & an Tellus immota consistat in hac rerum universitate?

Systema, ut ad rem præsentem attinet, *est constitutio, seù dispositio hujus Universi, præcipuarumquè illius partium, explicandis motibus, ac phœnomenis Cœlestibus accommodata.* Celebriora autèm Cœlorum Systemata tria re-

recensentur, videlicèt Ptolemaicum, Copernicanum, & Tyconicum.

Ptolomeus autèm, à quo primò Systema potissimùm expolitum fuit, Mundum sic dispositum esse arbitrabatur; terram nempè, proposuit immobilem in centro Universi; terram deindè circunambit aërea regio, & Sphęra ignis, seù ætheris subtilissimi; tùm posteà circuli illi, in quibus Planetæ suos motus exercent; deindè octava Sphæra, seù Stellarum fixarum; insupèr tres alię Sphærę à plerisquè his additæ, duæ scilicèt crystallinæ, & alia, quam primum mobile appellant, quod suo rapido cursu secum trahat totam Mundi machinam spatio 24. horarum. Undè in hoc Systemate Cœli sunt undecim, solidi, incorruptibiles, circum terram continuò se moventes; quibus si addas Cœlum Empyreum, seù Beatorum sedem, duodecim numero assignantur: nempè Empyreum, primum Mobile, Crystallinum primum, Crystallinum secundum, Firmamentum, Cœlum Saturni, Jovis, Martis, Solis, Veneris, Mercurii, & Lunæ. Quod Systema ità commune fuit apud antiquos Astronomos, ut etiàm Arist. S. Thom. Scotus, aliiquè veteres Scholastici ipsum communitèr sint amplexati.

Alterum Universi Systema est Copernicanum, sic appellatum, quià, licèt à Pythagoricis, & Platonicis sit antiquitùs traditum, tamèn sæculo 15. restauratum, ilustratumquè fuit à Nicolao Copernico Turonensi, & Varmiensis Ecclesiæ in Polonia Canonico; qui Solem constituit immobilem in centro Universi, ut facis instar radiis suis illud illuminare, & vivificare queat; terramquè, aërem, totamque Telluris atmosphæram à latere Universi continuò circà Solem se moventem, magnumquè orbem suum totius anni spatio peragentem. Tres tantùm Cœlos auctor iste distinguit, ipsosquè subtilissimos, fluidosquè esse docet. Primus iste est turbo, aut noster vortex, in quo terra movetur. Secundum cæteri turbiones, sivè vortices, in quibus alii moventur Planetæ diversis motibus apud AA. videndis. Tertium tandèm est Cœlum Empyreum. Quod Systema communibus Cartesianorum votis approbatur.

Ter-

Tertium celebratissimum Systema Tychonicum appellatur, à Tychone nimirùm Brahæo Nobilissimo Dano excogitatum, inclinante sæculo 16. Hic autèm, & Tellurem immobilem in centro collocavit Universi; & Cœli substantiam tenuem, ac fluidam, in qua tùm Sydera, tùm Planetæ liberè moveantur, proposuit; & deniquè tres tantùm Cœlos admissit; nempè Empyreum, seù Beatorum sedem; Firmamentum, in quo sunt Stellæ fixæ; & Cœlum Planetarum, sivè Ætherem, in quo moventur Planetæ omnes. Quibus alii addunt primum mobile suprà firmamentum, ut ab illo repetant communem motum Stellarum fixarum ab Ortu in Occasum. Ubi adverte, quod Martinus Capella Systema quoddam ex Ptolemaico, & Tychonico compositum excogitavit, quod Semi-Tychonicum, seù Tychonicum reformatum dicitur, atquè à P. Riccioli illustratum fuit; apud AA. què videri potest. Nos deniquè

Dicimus, Tellurem immotam consistere in hac rerum Universitate; & Tychonicum Systema cæteris esse præponendum. Prob. prima pars; qui Tellurem moveri dicunt, immotum faciunt Solem, & Lunam; sed hoc est contrà Sacram Scripturam: ergo. Probat. min. Josue, cap. 10. legimus: *Loquutus est Josue Domino, dixitquè: Sol contrà Gabaon nè movearis, & Luna contrà vallem Ajalon. Steteruntquè Sol, & Luna, donèc ulcisceretur se gens de inimicis suis. Nonnè scriptum est hoc in libro justorum? Stetit itaquè Sol in medio Cœli, & non festinavit occumbere spatio unius diei. Non fuit anteà, nèc posteà tàm longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israël.* Undè Ecclesiastici, cap. 46. ℣. 4. & 5. iterùm legimus de Josue bellis: *Hostes ipse Dominus perduxit. An non in iracundia ejus impeditus est Sol, & una dies facta est quasi duo?* Potuisset nè Spiritus Sanctus apertioribus verbis significare Solis, ac Lunæ motum circà Tellurem?

Rursùs Ecclesiastes, cap. 1. ℣. 5. ait: *Oritur Sol, & ocidit, & ad locum suum revertitur, ibiquè renascens girat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem: lustrans uni-*

universa in circuitu pergit spiritus; & in circulos suos revertitur. Nè dicant Copernicani, Spiritum S. ad sensum vulgi se accomodare, nonquè voluisse declarare, an Sol moveatur, vel non? Nè dicant hoc; nàm hic præcipuè loquitur Ecclesiastes, qui eodem in cap. V. 13. testatur, se non tàm Prophetæ, quàm Physici, & Philosophi personam gerere: *Proposui* (inquit) *in animo meo quærere, & investigare sapientèr de omnibus, quæ fiunt sub Sole.* Et etiàm quià omnes supradictos textus explicant SS. PP. literalitèr, proprioquè in sensu, adeò ut nè unus quidèm ipsorum impropriam locutionem in illis verbis accipiendam esse affirmet. Sufficiat pro omnibus Mag. P. August. qui lib. 21. de Civit. Dei, cap. 8. ait: *In Divinis Litteris legimus etiàm Solem ipsum stetisse, cum hoc à Domino Deo petivisset Sanctus Jesus Nave.*

Hinc illa Copernici opinio à Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus fidei Inquisitoribus meritò reprobata fuit sub Paulo V. anno 1616, & iterùm sub Urbano VIII. anno 1633, & Galilæus, qui eam singulari opere defenderat, eamdem solemnitèr, velùt erroneam, Sacrisquè litteris contrariam, ejūravit; atquè nostris hisce temporibus, non nisi ab iis, quos à Catholicæ Ecclesiæ gremio innovandi libido avulsit, defenditur, & propugnatur. Proptereaquè Copernicano relicto Systemate, ad Ptolemaicum rejiciendum accedamus. Pro quo

Prob. secunda pars conclus. Systema Ptolemaicum pugnat cum Physica, & Astronomia: ergo non est admitendum. Prob. antec. quo ad primam partem; Systema illud pugnat cum Physica, quod impedit transmissionem lucis à Solè, & Stellis fixis usquè ad nos; hujusmodi est Ptolemaicum Systema: ergo. Prob. min. Cœli inferiores, licèt sint diaphani, solidi sunt, ait Ptolomeus; ac videtur impossibile lucem diffundi, & transmiti per crassitiem adeò solidam: ergo. Prob. min. lens crystalli tenuissima vissionem non impedit, at quantò crassior, & crassior est, tantò magis visionem impedit, & transmissionem lucis: ergo idem dicendum est de Cœlorum so-

soliditate, quam defendunt Ptolemaici: igitur eorum Systema cum Physica pugnat.

Prob. secunda pars antec. Mars interdum fit nobis vicinior, quàm Sol; & Venus modò ultrà, modò citrà Solem cernitur; ut post Tychonem Astronomi omnes consentiunt; at si Cœli sunt solidi, hæc prorsùs erunt impossibilia, ut patet: igitur Ptolemaicum systema non cohæret cum Astronomia. Undè Systema Tychonicum cæteris debet pręponi. Non enim opponitur Santæ Scripturæ, ut Systema Copernicanum; nèc Physicæ legibus, nèc Astronomiæ experimentis contrarium est, ut Systema Ptolemaicum: immò mirè cum Astronomia consentit, ut Astronomi omnes fatentur: ergo cęteris est præponendum.

Objicies contrà primam partem. Primò: Sacra Scriptura quoties de Cœlo, & Tellure loquitur accomodat se communi vulgi placito, & sensui: ergo id dicendum erit in textibus suprà relatis. Secundò: In lib. Job, cap. 9. ℣. 6. de Deo dicitur: *Qui commovet terram de loco suo, & columnæ ejus concutiuntur.* Et Psalm. 97. ℣. 7. ait David: *Moveatur mare, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & qui habitant in eo*: ergo terra movetur, ut ajebat Copernicus. Resp. ad primum, quod licèt concedamus gratis, Spiritum S. aliquandò loqui juxtà sensum vulgi, id tamèn non sempèr concedendum est, præcipuè cum SS. PP. prædicta loca litteralitèr sempèr intelligant. Ad secundum dicimus; S. Job. de violento terræ motu loquitur in prædicto textu; David verò, non de terra materialitèr accepta, sed de hominibus, qui in illa habitant. Demùm Scriptura terram immobilem prædicat; nàm lib. 1. Paralip. cap. 26. ℣. 30. dicitur: *Commoveatur à facie ejus omnis terra; ipse enim fundavit orbem immobilem.*

Objicies contrà secundam partem. In lib. Job. c. 37. ℣. 18. legimus: *Tu forsitam cum eo fabricatus est Cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt?* Et Genes. cap. 1. Cœlum dicitur *Firmamentum*, quod firmum sit, ac stabile. In Epist. autèm ad Heb. cap. 4. Christus D. dicitur

Cœ-

Cœlos penetrasse; fluidaquè non penetrantur. Deniquè S. Paulus raptus fuit usquè ad tertium Cœlum: ergo plures stant Cœli, iiquè solidi, proindequè approbandum est Systema Ptolemaicum. Resp. Cœlos dici solidissimos propter eorum stabilitatem, æternamquè durationem: immò ea verba dicta fuere ab Eliu amico Jobi, quem in cap. sequenti Deus increpavit, dicens: *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* Et Genes. 1. Cœlum dicitur *Firmamentum*, quatenùs est permanenter expansum; in Hebræo enim non dicit, *Firmamentum*, sed *expansionem*. Tertium de Christi Ascensione, licèt Cœli sint fluidi, potest quamoptimè intelligi, nàm illos non divissit, sed penetravit. Tandèm Pauli raptus ad tertium Cœlum, plurimi ajunt fuisse ad Empyreum, quod in Systemate Tychonico tertium est Cœlum; in Ptolemaico verò est Cœlum Veneris; undè potiùs est pro nobis, quam contra nos.

Quantùm deniquè attinet ad Cœlorum naturam in Sacris litteris eam fluidam designari scribit S. Ambrosius lib. 1. Hexameron cap. 6. num. 21. dicens: *De qualitate, & substantia Cœli satis est ea promere, quæ in Esaiæ scriptis reperimus, qui mediocribus, & usitatis sermonibus qualitatem naturæ cœlestis expressit, dicens, quod firmaverit Cœlum, sicut fumum; subtilem ejus naturam, nèc solidam cupiens declarare.* Et si pro complemento hic quæras, à quo Cœli, & Sydera moveantur? Respondent Peripatetici moveri ab Angelis Cœlo asistentibus; immò S. Thom. Quæst. 6. De potentia Dei, art. 3. ait: *Fidei sententiam esse, quod Angeli corpora cœlestia suo imperio localitèr moveant.* Nos verò probabiliùs judicamus, Deum per se, seù sua voluntate immediatè Cœlos movere. Hinc S. Greg. Papa explicans illa verba Job. cap. 34. ℣. 13. *Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?* Optimè ad rem nostram scribit: *Per se quippè Mundum regit, quem per se condidit.*

QUÆS-

QUÆSTIO SECUNDA.

In qua aliqua circà Cœlos resolvuntur dubia.

Dubitabis 1.° An Cœlestia corpora sint incorruptibilia? Resp. affirmativè; & patet; nàm hac etiàm nostra ætate locum habet id, quod Philosophus lib. 1. Cœli, cap. 3. ajebat: Contingit autèm, & hoc abundè, quantùm *» ad fidem humanam satis est, sensu confirmari. Siquidèm juxtà traditam toto præterito tempore memoriam, nihil mutationis contingit, neque in toto ultimo Cœlo, neque in ulla partium propriarum ipsius.* Nèc argumenta, quæ nobis objiciunt RR. contrarium opinantes, alicujus sunt roboris; nàm Stellæ, quæ ipsis videntur novæ, tales reverà non sunt, sed quæ aliquandò videntur, aliquandò verò occultantur: maculæ verò, quas vident in Sole. Marte, Jove &c. proveniunt ab umbra alicujus corporis, quæ interponitur. Pro quibus AA. consulite.

Dubitabis 2.° An in Luna, aliisquè Planetis homines habitent? Affirmabant Stoici, & Pytagorici, saltim de Luna; hocquè Wolfius tueri nititur, atquè id ipsum de aliis Planetis, (Sole excepto) eorumquè Satellitibus affirmat. Nos cum cæteris Philosophis negativam defendimus partem. Primò: Quià prædicta assertio caret omni ratione sufficienti. Secundò: Quià Catholicæ fidei dogmatibus adversa apparet. Liber enim Geneseos in suspicionem vocabitur, dùm ait, Terram antè reliqua Sydera factam, illaquè quartam tantùm post diem condita, ut illuminarent terram, ac tempora metirentur, & annos. Tota etiàm Verbi Incarnati æconomia, atquè Evangelica veritas suspecta redditur; immò tota fides Christiana, quæ, & supponit, & docet, Sydera omnia, non ad hominum habitationem à Deo fuisse producta, sed solùm ut terram sua luce collustrent, atquè fæcundent: ergo homines in Luna, aliisquè luminaribus non habitant.

Dubitabis 3.° An Stellæ fixæ, & Luna proprio fulgeant lumine? De Planetis nullus dubitat, proprio non lu-

lucere lumine, sed à Sole mutuato: solùm ergo procedit dubium de Stellis fixis, & Luna. In quo dicimus, Stellas fixas proprio fulgere lumine; Lunam verò esse corpus opacum, ejusquè superficiem asperam esse, & inæqualem. Prob. prima pars: Lux Stellarum fixarum purissima est, constans, & vegetior; lumen verò Planetarum subpallidum est, vicissitudinibus obnoxium, longequè debilius; sed hujus discriminis nulla alia aptior potest assignari caussa, nisi quià Planetæ, cum sint corpora aspera, & opaca, lucem à Sole acceptam regerunt, sed reflexione debilitatam; Stellæ autèm fixæ proprio fulgent lumine: ergo ita est.

Secunda pars, nempè, quod Luna sit corpus opacum ex Eclipsibus demonstratur; nàm collocata intèr Solem, & nos, impedit transmissionem lucis solaris, Eclipsimquè Solis caussat; sicut possita terra inter Solem, & ipsam Lunam, hæc remanet obscura, fitquè Lunaris eclipsis: ergo &c. Prob. tertia pars: Montes, & Valles in Luna reperiuntur, seù ingentes prominentiæ, & declivia quædam loca: ergo ejus superficies aspera est, & inæqualis. Prob. antec. Telescopio compertum est, nigricantes quasdam maculas in Luna videri adspectui oppositas Solis, motumque servantes ad Solis motum juxtà Leges Opticæ; adeò ut si Sol ex una parte Lunam illuminet, macula, seù umbra in alteram partem projiciatur, motuquè Solis variato, & ipsa umbra mutetur, atquè dùm Sol Lunæ oppositus est, ut in Plenilunio, nullæ tunc in Luna maculæ deprehendi possint: igitur maculæ istæ temporales demonstrant in Luna montes, & foveas quasdam.

Dubitabis 4.° An Sol, & Stellæ fixæ sint corpora ignea, formaliterquè calida? Affirmant Atomistæ, nonnulliquè alii RR. Negant verò Cartesiani cum Peripateticis nostris; & patet; quià nulla efficaci ratione convinci potest, Solem esse formalitèr ignem, & calidum: ergo tantùm est calidus virtualitèr. Patet antec. Si aliqua, maximè quià calefacit, & urit, sicut ignis; sed hoc nil probat; nàm etiàm Deus illuminare potest, & cale-

fa-

facere, & exsicare pèr actionem æquivocam cum ignis actione; ex quo non licèt inferre, Deum esse ignem, aut formalitèr calidum: ergo idem, proportione servata, poterimus de Sole, & Stellis fixis affirmare: ergo &c.

Dubitabis 5.° Quid sit via lactea? Circulus quidam in Cœlo conspicuus, & à Capricornio versùs Geminos extensus, quià candore similis est lacti, *Via lactea* appellatur; dubitantquè Philosophi, quid sit? Et relictis varis modis dicendi apud AA. videndis, dicimus cum communi sententia, *Galaxiam*, seù *Viam lacteam* esse congeriem quamdam innumerarum propemodùm Stellarum, ut olim putavit Democritus. Nàm telescopio compertum est in illis *Viæ lacteæ* partibus maximam minutissimarum Stellarum congeriem stare; quæ singilatim ob parvitatem non discernuntur; illamquè Cœli partem albicantem reddunt purissima sua luce: ergo &c.

Dubitabis 6.° Quid sint Eclipses? Resp. cum communi, & vera sententia, quod Eclipsis Solis est *occultatio Solis facta per interpositionem diametralem Lunæ intèr Solem, & Tellurem.* Eclipsis verò Lunæ est *privatio luminis in Luna ob interpositionem diametralem Telluris intèr Lunam, & Solem.* Eclipsis totalis est, si totum Sydus deficit; partialis autem, si tantùm aliqua ejus pars deficit.

Dubitabis 7.° An Cometę sint corpora Cœlestia Mundo congenita? Cometarum nomine crinitæ quædam Stellæ intelliguntur, quoddam velut capillitium habentes, quo à rotundis discernuntur: quæ, si crines habent circumfusos, dicuntur *Cometes Cincinnati*, seù *Comati*; si in longùm effusos, *Barbati*, sivè *Caudati.* Quibus suppositis, dicimus, dari Cometas Cęlestes, qui sunt corpora Cœlestia Mundo congenita, & in numero planetarum recensentur. Prob. Ità dicendum est, si Cometæ longè suprà Lunam positi sunt; sed ità est: ergo. Prob. min. exigua, aut nulla Parallaxis, seù mutatio aspectus est signum majoris, vel minoris distantiæ Syderis à tellure; sed Luna unum ciciter gradum exhibet Parallaxis; Cometæ verò pleriquè vel nullam, vel exiguam exhibuere Paral-

rallaxim ; ut observaverunt Ticho, Joannes Dominicus Cassini, aliiquè RR. Astronomi: ergo Cometæ longè suprà Lunam positi sunt: igitur &c.

At quià nonnulli Cometæ maximam exhibuerunt Parallaxim, & sublunares fuisse pleriquè magni momenti Astronomi tradiderunt, ut referunt Tannerus, & Joannes Cottunius ; ideò hic habet locum Peripateticorum opinio asserentium, Cometam nihil esse, quam exhalationem calidam, & siccam, quæ suprà aërem evecta, & in eam regionem perveniens, in qua extat congenea materies, illic ex motione superiorum corporum accendatur, luceat, & motionem accipiat, &, si alicui fortassis stellæ supposita sit, tùm ipsi comam, seù crines, afingat, tùm motum ejus imitetur: & hic cometa non est mundo congenitus, ut patet.

Dubitabis 8.° An Corpora Cœlestia in Tellurem influant? Resp. Cœlestia Corpora in Tellurem influere, nonnullosquè naturales effectus procreare : non tamèn influere in intellectum, & voluntatem hominis. Prima pars omnibus est manifesta. Lucem enim, calorem, exsiccationem, cæteraquè similia in Tellure à Sole, præsertim, & Luna caussari, sensu ipso experimur. Prob. secunda pars: Corpora Cœlestia sunt agentia materialia; sed agens materiale nihil influere potest in facultates spirituales; cujusmodi sunt intellectus, & voluntas hominis: ergo. Deindè agens naturale si in voluntatem liberam ageret, eamdemquè determinaret, ipsius certè libertatem auferret; ut patet: ergo. Atquè hinc convincimus Astrologorum divinationes omninò vanas esse, & Astrologiam Judiciariam prorsùs inanem esse, & fallacem.

QUÆSTIO TERTIA.

In qua de omnibus agitur Meteoris.

Meteora dicuntur Phænomena in sublimibus regionibus apparentia ; & ad quatuor classes revocantur ; nàm alia sunt aquæ, vel humida, ut Pluvia; alia ignea, ut

Ful-

Fulgur; alia emphatica, ut Iris; alia deniquè spirantia, ut Venti: fiuntquè communitèr ex halitibus è terra in Atmosphęram elevatis ad altitudinem 52. milliarium Italicorum, ut ait Ticho. Hi halitus *Exhalationes* sunt, vel *Vapores*. *Exhalatio est terrestris halitus, calidus, & siccus è terra attractus, sursumquè ascendens*: *Vapor* verò *est halitus aqueus, calidus, & humidus ex aqua ascendens sursùm vi caloris*. Et de istis.

Dubitabis 1.° An Aquę Meteora inter se differant essentialitèr? Hæc enim sunt Nubes, Nebula, Pluvia, Ros, Aura serotina, Pruina, Nix, & Grando; atquè de ipsis dicimus, intèr se tantùm accidentalitèr differre. Prob. Hæc omnia nil aliud sunt, quàm vapor aqueus sic, vel sic dispositus: ergo solùm accidentalitèr differrunt. Prob. antec. nàm Nubes est vapor aqueus in secunda regione condensatus à frigore aëreo, & maximè actione Syderum; Nebula est vapor crasior, non in sublime ascendens, sed propè terram manens; Pluvia est nubes in aquam resoluta; Ros est vapor subtilis non procul à terra elevatus nocturno, sed modico frigore versus in aquam; Aura serotina affinis est rori, estquè tenuis vapor vespertino Solis calore elevatus, & noctis primo frigore concretus; Pruina est ros multo frigore, & siccitate congelatus, qui veluti salis custra in foliis expanditur; Nix aliud non est, nisi vapores aquei, concreti, ac gelati; Grando deniquè est nubes in pluviam resoluta, quæ antequàm perveniat ad terram congelatur: igitur &c.

Dubitabis 2.° Ubi nàm Ignis proprium obtineat locum, & sedem? Resp. Ignis elementum in concavo Lunę, ut in propria sede residere. Hæc est communis PP. & Philosophorum, & patet ex connatu, quem ignis habet ascendendi sursùm: ergo ibi proprium habet locum. Ejus autèm Meteorum primum est Fulmen, estquè exhalatio, sulphurea, & nitrosa è terra intrà nubem vi caloris elevata, ibiquè accensa, vel vi solarium radiorum, vel intestino motu, ac pèr nubis partem tenuiorem, & minùs resistentem erumpens. Secundum est Coruscatio, sivè

Ful-

Fulgur, quòd quandoquè est ipsa fulminis lux, quandoquè verò est splendor illicò evanescens, & sinè tonitru est, ac sinè ictu; & tunc differt solùm accidentalitèr à fulmine; quià est minor flamma, quæ in tenuiori viget materia, & non potest usquè ad nos pervenire. Tertium est Tonitruum, sivè sonus à fulmine editus; cujus caussa est, vel nubis, vel aëris fractio. Aliæ tamèn exhalationes hujusmodi elevantur, & accenduntur, ut *Ignis fatuus*, ex pinguibus, & viscosis halitibus suprà sepulchra, & paludes accensus; *Stellæ discurrentes*, quæ pabuli sui venam sequuntur; *Ignis lambens*, in capillis hominum, & animalium callidiorum accensus, & similia.

Dubitabis 3.° Quid sit Iris? & quomodò fiat? Resp. Iris, qui intèr meteora emphatica primum obtinet locum, definitur ab Arist. 1.° Meteor. *Est arcus discolor apparens ex receptione, & reflectione luminis Solaris in nube rorida.* Et ecce, utrumquè dubium resolutum. Aliud circà ipsum solet moveri à Philosophis, nempè: An Iris fuerit antè diluvium? Ad quod resp. affirmativè cum Abulensi nostro; nàm eædem caussæ ejus, quæ nùnc sunt, anteà quoquè erant: ergo. Undè post diluvium non incepit simplicitèr, sed ut signum non futuri diluvii ex Domini beneplacito; quo sensu intelligitur illud Genes. 5. *Arcum meum ponam &c.*

Alia tamen emphatica meteora sunt, scilicèt, *Parhelius*, seù imago Solis expressa in nube colaterali, quæ nubis est nimis rorida, ac spherica, ità radios solares excipiens, efficaciterquè reflectens, ac si esset alius Sol. *Halon*, sivè *Corona*, estquè circulus apparens circà Solem, Lunam, & alia Astra, cum nubes æquali densitate circà Astrum spargitur, tunc Sol nequit ipsam suis radiis penetrare; ideoquè tales radii circà extremitates ejus orbiculares diffunduntur, & varii colores in ea resultant. Et deniquè *Virgæ*, suntquè radii solares penetrantes nubem difformitèr densam, & raram ab alto usquè ad terram protensi, variosquè colores caussantes. Quiquidèm ut colores Iridis &c. veri non sunt, sed apparentes colores.

De Meteoris spirantibus potest dubitari, quænam sit caussa Ventorum Orientalium? Resp. Perennem Ventum Orientalem, seù continuò in Zona Torrida sub Æquatore ex Oriente spirantem in Occidentem à Sole, & non à motu telluris oriri. Est contrà Copernicanos, & prob. Dum Sol ab Ortu movetur in Occasum, successivè calefacit, attenuat, magisquè rarum reddit aërem sibi subjectum, & Telluri circumfussum: ergo una pars istius aëris alteram paulatim impellit, & movet versùs Occidentem; hoc ipso fit, continuum ibidem haberi Ventum: ergo perennis ventus Orientalis à Sole, & non à Telluris motu oritur; in quo, ut diximus, Copernicani falluntur. Aliorum tamèn Ventorum caussas esse, vel Astrorum influentias, ut dicunt Astronomi; vel Exhalationes, vel Vapores; quibus etiàm procreandis montes conferre possunt. Ventorum deniquè affectiones ex halitibus, quos secum trahunt à locis, per quę transeunt derivandę sunt.

DISPUTATIO,

ET QUÆSTIO ULTIMA.

De Globo Terraqueo, Terrestribusquè Corporibus.

Dubitabis 1.° An Globus Terraqueus Sphæricus sit? Resp. quod licèt perfectè Geometricè proptèr montes sphæricus non sit, propemodùm tamèn physicè sphæricam figuram habet. Ità Plato, Arist. ac Veteres passim, & Peripatetici omnes docuerunt. Et patet primò; quià quandò Luna ab umbra Telluris eclipsatur, sempèr umbra telluris sphærica apparet: ergo terra est sphærica. Secundò; Sol una hora citiùs oritur, & occidit iis, qui 15. gradibus sunt magis Orientales, quàm aliis, qui totidèm gradibus ad Occidentem recedunt; sed hoc minimè eveniret, si terra ab Oriente in Occidentem esset plana; Sol enim in eodem instanti totam terram illuminaret: ergo terra rotunda est ab Oriente in Occidentem; atqui sphærica etiàm est à Meridie in Septentrionem: ergo.

Prob.

Prob. subs. nàm si quis progrediatur ad Boream, paullatim ipsi Polus Arcticus atolli, Antarcticus deprimi, & occultari videbitur, quod sinè Terrę rotunditate nequaquàm posset contingere: ergo terra rotunda est.

Dubitabis 2.° Quibus in partibus Terra dividatur? Resp. primò: dividi in quatuor partes, nempè, *Assiam*, *Africam*, *Europam*, & *Americam*; quibus addi possunt *Terra polaris Arctica*, quæ non penitùs perspecta est, *& Terra polaris Antarctica*, seù *Magellanica*, nobis magna ex parte incognita. Secundò: dividunt Geographi Terram in quatuor Regiones, aut Plagas; quas Cardines appellant; suntque Oriens, in quo Sol oritur; Occidens, in quo Sol occidit; Meridies, qui mediat inter Occidentem, & Orientem hyemalem; & Septentrio, qui est inter Orientem, & Occidentem æstivum; à quibus etiàm partibus principales Ventos spirare dicitur. Alias tamèn Terræ divissiones apud Geographos videre potestis.

Dubitabis 3.° An montes diluvium præcesserint? Resp. affirmativè, & constat ex S. Scriptura; nàm Psal. 89. dicitur: *Priusquàm montes fierent, aut formaretur terra, & orbis.* Et Proverb. cap. 18. *Necdum montes gravi mole constiterant: antè colles ego parturiebar.* Quibus verbis montium antiquitas significatur, eosquè cum ipso terrarum orbe cæpisse. Sic, & Geneseos cap. 7. legimus: *Aquæ prævaluerunt nimis supèr terram: opertiquè sunt omnes montes excelsi sub universo Cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua supèr montes, quos operuerat.* Et cap. 8. ℣. 4. *Requievitquè arca mense septimo, vigessimo septimo die mensis supèr montes Armeniæ*: ergo antè diluvium jàm erant montes, quos ipsius diluvii aqua operiret, quibus altior quindecim esset cubitis, & in quibus ultimò arca requiesceret.

Dubitabis 4.° An in Terræ visceribus ignes naturales existant? Resp. affirmativè cum Arist. lib. de Mundo, cap. 4. contrà Cartesium dicentem, solùm ibi quosdam sales reperiri, qui calorem, ignemquè caussare possunt. Prob. Pleriquè montes ignem, fumum, & cineres emittunt, ut Ætna in Sicilia, Vesuvius in Campania, & alii; ca-

calor etiàm multus in terræ visceribus reperitur; ut in Hungaricis auri fodinis, se, aliosquè expertos fuisse testatur Joannes Baptista Morini in relatione *de Locis subterraneis*, pluresquè alii recensent; sed horum effectuum non aptior caussa haberi potest, quam si subterraneos ignes concedamus: ergo concedi debent. Prob. min. radii Solis in tanta terræ profunditate prædictos effectus nequeunt caussare; cum æstivo tempore glaciem solvere non valeant in cellis ad eam servandam constructis: ergo &c.

Dubitabis 5.° Quænam sit caussa Terræmotuum? Ad quatuor reduci possunt, quæ assignantur à Philosophis; nàm alii Ignem subterraneum, alii Aquam, alii Terram ipsam, alii Aërem subterraneum, Terremotuum caussam esse defendunt; nos verò dicimus, Ignem subterraneum præcipuam esse terremotuum caussam. Prob. Ignis majorem vim elasticam præ cæteris corporibus habet, ut in accensione pulveris pyrii manifestum est: ergo cum ignis subterraneus accenditur, omnemquè subterraneæ cryptæ amplitudinem occupat, majus adhuc spatium requirens, circumposita terræ latera, & superiorem fornicem urget, impellit, ac superimpositas regiones valido tremore concutit, terramquè perrumpit, ut exitum sibi aperiat. Hinc Terremotus, saltèm frequentèr non contingunt, nisi ubi materiæ inflamabilis ingens vis est, sulphuris nempè, nitri, & bituminis: ubi proindè ignes subterranei ardent: ergo &c.

Dubitabis 6.° Quid dicendum de vi *Electrica*, & *Magnetica*? Pluribus corporibus convenit vis trahendi ad se alia corpora, quam vim omnibus aliis, paucis exceptis, communicant, ut experientia constat; quæ quidèm vis maximè eminet in Succino, sivè Electro, undè *Electrica* dicitur. In Magnete autèm duplex est virtus, attractiva ferri, aut alterius Magnetis, & altera directrix, qua dirigit se ad terræ polos, ut in acu nautica videtur; atquè utramquè virtutem Magnes communicat ferro, ut experientia constat. Horum ergo mirabilium effectuum caussam quærunt Philosophi, totquè sunt eorum

rum opiniones, quot capita; nos verò judicamus, nihil certi definiri posse circà vim Electricam, & Magneticam.

Prob. Plurima sanè à RR. exhibentur, quæ probabilitatis speciem præseferunt; præsertim vim Electricam per halitum pinguem, & viscosum exerceri multa suadent. Nihilominùs gravissimis unaquæquè Philosophorum sententia difficultatibus vexatur; ut noster Ferrari affirmat, & probat; undè vel ipsi RR. variis dissident opinionibus: ergo tutiùs arbitramur, nihil certi definiri posse, ubi intimam electricæ, & magneticæ virtutis caussam inquirimus. Proindequè Peripateticorum sententiam non improbamus, à qualitatibus occultis electro, & magneti à Deo communicatis, utriusquè virtutem repetentium.

Dubitabis 7.° An fontes, & flumina oriantur à Mari, vel à solis aquis pluvialibus, nibibusquè solutis? Resp. fontes, & flumina à Mari potissimùm habere originem suam. Ità Peripatetici, & Cartesiani contrà alios RR. Prob. nàm Ecclesiastes, qui, ut diximus, non tàm Prophetæ, quàm Physici, & Philosophi personam gessit, cap. 1. ait: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, undè exeunt, flumina revertuntur, ut iterùm fluant.* Quem textum in sensu litterali communitèr & SS. PP. intelligunt: ergo. Deindè in lib. Gen. c. 2. ℣. 5. & 6. dicitur: *Non enim pluerat Dominus Deus supèr terram:: Sed fons ascendebat è terra, irrigans universam superficiem terræ*: ergo priùs extitit fons, quàm pluvia: igitur Divinæ Litteræ apertissimè docent, fontes, & flumina à Mari oriri. Deniquè, in altissimis montibus, ubi nullus est pluviarum confluxus, reperiuntur laci, ut in Cenisio, & fontes, ut in Montanis Cebreti, & in Conachia Hiberniæ, qui æstuant, sicut mare: ergo signum est, quod à Mari originem trahunt.

Sed objicies primò: Aqua fontium dulcis est, maris autem salsa: ergo illa à Mari non prodiit. Secundò: Incredibile videtur, aquam maris ad tantam diffundi distantiam, quanta est intèr ipsum, aliquosquè fontes: er-

ergo. Resp. ad primum: Aquam maris philtratione, & distillatione particulas salis, dùm per terræ mineralia transiit, amittere. Ad secundum: Relictis variis modis respondendi, dicimus, diffussionem aquæ maris, & elevationem ad montium usquè cacumina oriri ex terraquei globi figura spherica; undè aquæ maris, quacumquè in parte spectentur, veluti terrestri globo videntur incumbere; proindequè naturali impetu diffundi possunt pèr telluris rimas, atquè ad montium etiàm pervenire cacumina.

Dubitabis 8.° Quænam sit caussa fluxus, & refluxus maris? Omnibus enim est manifestum, quod mare per sex horas crescit, & ad litus accedit, ac per alias sex horas decrescit, à litorequè recedit; hinc in uno die bis fluit, bisquè refluit. Hujus ergo mirabilis motus caussam Philosophi quærunt; & plures plura dicunt. Copernicani ajunt, derivari à motu Telluris; communior verò Philosophorum sententia est, caussam hujus motus esse influxum Cœlestem, & præcipuè Lunam. Ità S. D. in 2. dist. 14. Quæst. 3. & prob. ab ipso lib. 2. Meteor. Quæst. 2. n. 5. Nos tamèn dicimus, caussam marini æstus derivandam non esse à motu Telluris: eamdem verò non satis usquè modò exploratam esse. Prima pars constat ex suprà dictis, ubi motum Telluris à Copernicanis confictum omninò rejecimus.

Prob. ergo secunda pars; Licèt tanta consensio, quæ videtur intèr Lunæ motus, & maris æstum, indicare videatur, hunc ab illa oriri; tamèn quomodò id fiat satis explicari non potest. Primò: Quià si Sol, Luna, &c. hunc motum mari tribuunt ¿quare alias etiàm aquas lacuum non movent? Secundò: Intelligi nequit, quomodò Luna aquas maris movet, præcipuè dùm in hemispherio Telluris nobis inferior reperitur; Lunæ enim radii tunc ab interposita terra prohibentur, aut omninò debiles, & inutiles redderentur. Tertiò: Si fluxus maris à Luna efficeretur, maximè dùm mari imminet; at experientia constat, fluxum fieri, non quandò Luna Occeano imminet, sed potiùs cum ab illo pèr sex horas digressa est,

ut

ut videtur in mari Atlantico, & in littoribus Peruanis: ergo licèt aliquomodò videatur probabile, æstum maris à Luna procedere; tamèn id usquemodò satis explotum non est.

Hic deniquè est advertendum: Primò: Salsedinem maris provenire, ut docuit Theophrastus ex dissolutis salium fodinis, quæ in maris alveo reperiuntur; nàm etiàm experientia constat, sales ex aquis maris extrahi. Secundò: Amarulentiam aquarum maris à plurimo bitumine illis admixto, & ex rupibus in medio mari dispersis erumpente, oriri. Tertiò: Colorem maris proprium esse cæruleum, vel quià in se recipit, & reverberat Cœli speciem, vel quià ex lucis, & umbræ permixtione cæruleus color habetur, ut etiàm de Cœlo dicitur. Quartò: Mare navigantibus inherere. Hujus effectus caussa esse nequeunt soli spiritus salini, & bituminosi, qui è mari elati, & ad stomachum appulsi, vomitum caussant; sed potior nauseæ caussa ex agitatione, ac fluctuatione undarum est repetenda. Quæ omnia apud AA. videri latiùs possunt.

PHYSICÆ PARS TERTIA,

QUÆ DE CORPORIBUS VIVENTIBUS AGITUR, ET DICITUR ANIMASTICA.

DISPUTATIO PRIMA.

De Essentia, multiplicitate, & potentiis Animæ ut sic.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Anima.

Aristot. lib. 2. de Anim. cap. 1. Animam in communi sic definit: *Est actus primus corporis physici organici po-*

potentia vitam habentis. Quæ definitio ab omnibus communitèr admittitur. Si autèm quæras, qualis sit? Resp. esse definitionem quidditativam per additamentum, quià in illa ponitur *corpus*, quod non est de essentia animæ. Aliam definitionem animæ adducit Philosophus, ibidèm textu 24. scilicèt: *Est principium primum, quo vivimus, sentimus, movemur, & intelligimus.* Et hanc aliqui dicunt, potiùs divisionem, quàm definitionem esse; nos verò dicimus, illam esse rigorosam definitionem, non minùs, ac illæ, quas tradit Philosophus de enuntiatione per affirmare, vel negare, significare verum, vel falsum.

Circà secundam partem quæstionis, celebris, & communis divisio animæ est in *Vegetativam tantùm*, quæ reperitur in Plantis; *Vegetativam*, & *Sensitivam tantùm*, quæ constituit Bruta; *Vegetativam*, *Sensitivam*, & *Rationalem*, quæ constituit Hominem; proindequè tria sunt membra immediatè animam dividentia; cujus divisionis ratio à posteriori desumitur ex tribus operationibus vitalibus diversis, nempè vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi. Inquires hic: quot sint gradus animatorum, & quot potentiarum genera? Resp. 1.° Gradus animatorum esse quatuor, nempè Vegetativum, ut Planta; Sensitivum, ut aliquà animalia imperfecta, quæ nequeunt se localitèr movere; loco motivum, ut bruta alia; & intellectivum, ut Homo. Resp. 2.° Genera potentiarum sunt quinquè, scilicèt, vegetativa, sensitiva, appetitiva, loco motiva, & intellectiva.

QUÆSTIO SECUNDA.

In quo consistat ratio, seù conceptus vitæ in actu primò?

Dicimus, rationem, & conceptum vitæ consistere in hoc, quod est habere principium intrinsecum se movendi per se immanentèr ad acquirendum sibi aliquem terminum ultrà statum sibi connaturalem pro instanti generationis. Ità communitèr Scotistæ cum aliis extraneis. Prob. In eo stat ratio, & conceptus vitæ, quod

omni

omni viventi, & nulli non viventi convenit; sed talis est conceptus assignatus: ergo. Min. quo ad primam partem prob.: Omnia viventia creata sunt Plantæ, Bruta, Homo, & Angelus; sed quodlibet horum constitutum in sua dispositione, & statu connaturali habet principium intrinsecum producendi in se aliquem terminum, aut perfectionem non sibi debitam ex vi generationis; Planta nempè, novam nutritionem, & augmentationem; Æquus nutritionem, augmentationem, & intellectionem materialem; Homo ultrà ista, spiritualem intellectionem; Angelus deniquè intellectionem, & volitionem: ergo hæc ratio, & conceptus vitæ convenit omni viventi.

Secunda verò pars ostenditur: Quià talis conceptus non convenit non viventibus, quatenùs per actionem immanentem producunt proprias qualitates; ut cum aqua primò producit, aut se reducit ad pristinam frigiditatem; istæ enim qualitates pertinent ad statum connaturalem aquæ v. gr. quià sinè illis vel absolutè, vel in tali gradu esset in statu violento: nèc convenit non viventibus in statu connaturali constitutis; quià licèt in eo statu possint operari, ut cum aqua infrigidat manum, non tamèn immanentèr, & in se: ergo nulli non viventi convenit prædictus vitæ conceptus. Et ex his manet impugnata Sententia Thomist. communitèr asserentium, conceptum vitæ consistere in principio se movendi nudè, & absolutè sumpto; id enim exemplo de aqua, & de gravibus, levibusque, & aliis evidentèr refellitur. Argumenta tamèn, quæ hic objiciuntur parvi sunt momenti; ideoquè illa omittimus.

QUÆSTIO TERTIA.

Utrùm omnis anima sit simplex, & indivisibilis?

De Anima rationali jàm diximus in secunda part. Metaph. esse spiritualem, & indivisibilem. Nunc autèm de cæteris inquirimus; & dicimus: reliquæ animæ sunt integralitèr divisibiles. Ità S. D. & Scotistæ; & quoad

animas plantarum, & animalium imperfectorum, quarum partes abcissæ vivunt, ut lacertæ, anguillæ, lumbrici, & aliorum, quæ annulosa vocantur, omnes ferè consentiunt. Et patet experientia: nàm ramus abscissus ab arbore, alibi plantatus, radices emittit, floresquè, & fructus parturit; & partes disectæ animalium imperfectorum moventur, & si pungantur, sensationem eliciunt se contrahendo, aut fugiendo: ergo omnes istæ habent partes divisibiles &c.

Quo ad animas brutorum perfectorum, ut Leonis, Æqui, Canis, &c. prob. contrà Thomist. oppositum tenentes, supponendo, ipsas à materia dependere, ut nullus negat. Dum Æquus per nutritionem acquirit novam partem materiæ, vel illa pars nova materiæ informatur à forma præcedenti absquè ulla addictione illius, vel ab alia parte formæ de novo producta? Si hoc secundum; habetur intentum; nàm illa anima habebit plures partes, & consequentèr erit divisibilis. Si primum: ergo idem effectus, sivè eadem forma dependet simùl à duplici caussa adæquata in eodem genere; vel ab una adæquata, & ab altera inadæquata; quod est absurdum. Prob. seq. forma præcedens adæquatè, & totalitèr dependet ab illa materia, in qua primò introducta est; sed per nutritionem advenit nova pars materiæ: ergo dependet simùl à materia priori, & posteriori.

Rogabis autèm hic: an partes animarum divisibilium sint homogeneæ, seù ejusdem rationis; an verò etherogeneæ; seù diversæ rationis? Resp. omnes partes prædictarum animarum esse homogeneas. Colligitur ex S. D. in 4. dist. 11. Q. 3. per totam, sed præcipuè §. *Ad quartum*, ℣. hic. n. 54. ubi totam diversitatem specificam partium corporis, non animę attribuit, sed formę corporeitatis. Itèm ex Aristot. 1. de Anim. text. 58. dicente: *Similitèr autèm inconveniens, & rationem mixtionis esse animam; non enim eamdem habet rationem mixtio elementorum, secundùm quam caro, & secundùm quam os; accidet igitùr, & multas animas habere &c.* Ex quo sic arguitur; Si partes animæ essent etherogeneæ, quælibet ani-

anima esset forma mixtionis; sed hoc implicat; aliàs deberent in animali tot animæ distinctæ speciei poni, quot sunt partes dissimilares ipsius: ergo.

QUÆSTIO QUARTA.

Quænam partes viventis informentur anima?

De partibus viventis merè excrementitiis sentiunt omnes, non esse animatas. Circà reliquas verò dicimus primò: Omnes partes solidæ, ut dentes, cornua, rostra, ungues, & capilli informantur anima. Probat. nàm ea omnia informantur anima, quæ crescunt, & augentur secundùm omnem dimensionem; sed ea omnia sic augentur: ergo. Prob. min. dentes habent suam medullam, ex qua nutriuntur, sicut cætera ossa; ungues enim fibris abundant, ut arborum folia; undè ad planam superficiem refecti, non solùm crescunt, sed etiàm rotundantur, & acuminantur, quod nequit fieri per juxtà positionem; sic enim informitèr, & nulla servata figura, crescerent. Et idem clariùs cernitur in rostro, & cornibus animalium. Idemquè in pennis avium apparet; nàm plumæ tenerrimæ sæpè in cavo sunt plenæ sanguine, & resectæ crescunt ad eamdem figuram, qua erant anteà. Deniquè pili sunt cavi, & perforati, ut aliqui curiosè observarunt; & si evellantur, apparet in radice quidam humor, quod est signum augmenti pèr intùs sumptionem: ergo &c.

Dicimus 2.° Nulla pars fluida informatur anima. Est S. D. & suorum cum aliis contrà Thomist. Prob. primò: Ex Arist. 2. de Partib. animalium, cap. 10. dicente: *Nec ipse sanguis præditus est, quippè qui nulla pars sit animalium.* Ex quo sic: Anima solùm informat partes viventis; sed sanguis non est pars viventis: ergo sanguis non informatur anima. Secundò: Una, & eadem anima nequit informare duplicem materiam discontinuatam, ut est evidens, sed sanguis non continuatur cum corpore ex Arist. cit. cap. 3. dicente: *Non enim sanguis continuus car-*

carni, neque cognatus est, sed in corde, ac venis, quasi in vasis continetur: ergo sanguis non informatur anima corporis.

Objicies contrà primam: Primò: Illæ partes in homine v. gr. non informantur anima sensitiva, cum non sentiant: ergo nulla, nàm eadem entitas est vegetativa, & sensitiva. Secundò: Pili, & ungues etiàm post mortem animalis crescunt: ergo id fit pèr juxtà positionem, & non quià informentur anima. Resp. ad primum: Illas partes informari anima sensitiva, licèt non sentiant; nàm hoc habent, non ex defectu animæ, sed organi ad sensationem requisiti. Ad secundum dicimus, vel illas partes post mortem apparenter crescere, quià in mortuis cutis, & caro contrahuntur; vel tunc crescere pèr juxtà positionem, quod non tollit, quod in vita crescant pèr intùs sumptionem. Argumenta contrà secundam nullius sunt momenti.

Dubitabis hic: quænam pars viventis sit sedes animę? Certum enim est, animam in toto residere corpore; solùm ergo dubitamus, quænam sit præcipua pars, à qua cæteræ dependent? Dicimusquè, sedem animæ esse cor, non cerebrum, aut jecur. Sic Arist. & Scotus à nostro Villa-Castin citati; & prob. Illud est præcipuum membrum animalis, quo læso, statim moritur; sed læso cerebro, aut jecore, non moritur animal; moritur tamèn læso corde, ut patet: ergo cor, & non cerebrum, aut jecur, est præcipuum animalis membrum, animæquè sedes.

QUÆSTIO ULTIMA.

In qua aliqua dubia circà potentias animæ examinantur.

Dubitabis 1.° Quomodò potentiæ distinguantur ab anima, & inter se? Resp. 1.° Potentias cujuslibet animę realitèr ab illa non distingui. Ità Scotistæ omnes contrà Thomist. & Prob. nàm D. Isidor. lib. 11. Ethim. ità loquitur: *Anima dùm vivificat corpus, anima est; dùm vult, voluntas; dùm intelligit, mens; dùm recolit, memoria.*

Itèm

Itèm S. Bernard. Serm. 11. in Cantic. inquit: *In anima tria intueor, rationem, memoriam, & voluntatem; & hæc tria tandèm esse ipsam animam.* Et ità passim PP. loquuntur. Ubi adverte, quod potentiæ animæ, quæ organis indigent ad suas operationes, ut sunt vegetativæ, & sensitivæ, si simùl cum organis accipiuntur, tunc realitèr ab anima ratione organi distinguntuur; at hic loquimur de ipsis ratione sui.

Resp. 2.° Potentię formalitèr distinguuntur ab anima, & intèr se. Est contrà Nominales, & patet ex PP. præcipuè Aug. lib. de Spiritu, & Anima, cap. 4. & 13. ubi ait: *Proprietates quidem* (id est, potentiæ) *multæ sunt, sed essentia una.* Ex quo sic; potentiæ sunt multæ, & ab anima, quæ est una, distinctæ; sed non realitèr, ut probatum est: ergo formalitèr ex natura rei. Quod quidèm etiàm probari valet omnibus ferè rationibus, quibus in metaph. distinctionem ex natura rei intèr prædicata realitèr identificata probavimus.

Dubitabis 2.° Quomodò potentiæ ab actibus, & actus ab objectis specificentur? Resp. 1.° Potentiæ non ità specificantur pèr actus, nèc actus per objecta, ut ordo ille sit potentiis, & actibus intrinsecus, & essentialis. Est S. D. & prob. actus vitales sunt entitates absolutæ de genere qualitatis, ut probavimus agentes de constitutivo intellectionis; sed entitas absoluta nequit formalitèr, ac intrinsecè constitui pèr aliquem respectum: ergo potentiæ, aut actus non constituuntur essentialitèr, & primariò per respectum ad actum, aut objectum. Undè prædictus respectus potentiæ ad actum, & actus ab objectum solùm secundariò, & in secundo modo dicendi pèr se pertinet ad essentiam potentiæ, & actus.

Resp. 2.° Ex distinctione specifica objectorum adæquatorum sufficientèr, non tamèn adæquatè, & præcisè, infertur distinctio specifica potentiarum. Sic Scotus, & probatur prima pars; nàm quælibet potentia habet suum objectum adæquatum totale, ultrà quod se extendere non potest; nèc enim visus percipit sonum, nèc auris colorem: ergo quoties objecta adæquata sunt distincta, ex

hac

hac distinctione sufficientèr colligitur distinctio potentiarum. Patet etiàm secunda pars; nàm stante unitate objecti, tàm formalis, quàm materialis, stat adhùc diversitas potentiarum; idem enim est objectum, tàm materiale, quàm formale omnis intellectus beati, & etiàm omnis voluntatis beatæ: ergo non sempèr distinctio potentiarum desumitur ex distinctione objectorum. Quarè benè infertur, objecta formalia adæquata sunt diversa: ergo, & diversę sunt potentiæ; non tamèn è contrà; potentiæ sunt diversæ: ergo, & objecta; ut patet in exemplo beatorum allato.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Anima Vegetativa.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Anima Vegetativa, & quæ illius potentiæ?

Resolutoriè dicimus 1.° *Anima Vegetativa est principium primum, & radicale in vivente nutritionis, & augmentationis.* Dicimus 2.° Potentiæ animæ vegetativæ (comprehendendo omne genus vegetativum) sunt tres, nutritiva, qua seipsum vivens conservat; augmentativa, qua perfectam molem acquirit; & generativa, qua suam conservat speciem. Alii verò actus, quos elicit anima vegetativa, ut tractio alimenti, cibi concoctio, necessarii, & utilis retentio, superflui expulsio, &c. non solent annumerari tamquàm distincti; quià tàm ipsi actus, quàm eorum potentiæ sunt famulatrices illis tribus annumeratis. Circà distinctionem tamèn illarum trium potentiarum, tàm ab anima vegetativa, quàm intèr se, jàm suprà diximus, quod proùt sunt partiales animę facultates realitèr non distinguuntur; benè verò completæ, seù simùl cum organis acceptę. At quià nutritiva, & augmentativa iisdem organis complentur, realitèr adhuc ratione organi non distinguuntur intèr se; benè verò ab anima, & à potentia generativa.

QUÆS-

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrùm in Plantis extet Anima Vegetativa, & cujusmodi illa sit?

Empedocles, & nonnulli alii Veteres arbitrati sunt, animam sensitivam plantis inesse. RR. verò in solis mechanicis affectionibus Vegetativam plantarum animam consistere defendunt, ut nempè, sola varia materiæ dispositione, & affectione arbores animari dicantur, & nihil ampliùs sit necessarium. Nos tamèn cum omnibus Peripateticis dicimus, Plantas non habere animam sensitivam, sed tantùm Vegetativam, quæ est in illis forma absoluta, distincta ab omni mechanica affectione, & principium intrinsecum accretionis, nutritionis, aliarumquè operationum. Prima pars à nullo hodie negatur. Proindequè

Prob. secunda pars: Primò: Nullus dubitat plantas à rebus artificialibus essentialitèr distingui, ab horologio nempè; sed si plantarum vires, facultatesquè à sola materiæ dispossitione, figura, & ordine pendent, plantæ non distinguerentur essentialitèr à rebus artificialibus; idem enim esset in utrisquè motuum principium, penès mechanicas affectiones: ergo in plantis admitenda est anima vegetativa, quæ distincta sit ab omni mechanica affectione, & sit principium intrinsecum operationum. Secundò: Nutritio, augmentatio, & generatio plantarum haberi nequeunt per solam materiæ combinationem; nutritio enim importat, conversionem alimenti in substantiam aliti, non sola adhæsione mechanica novarum partium. Generatio quoquè novam partium productionem præsefert. Nequè enim in semine tot sunt partes, quot in planta, ut primò sint confussæ, posteà explicatæ; hoc certè nullatenùs intelligi potest: ergo &c.

Objicies. Superflua est in plantis anima vegetativa: ergo non datur. Patet antec. nàm lapides, & metalla sinè forma animæ eodem modo crescunt, quo plantæ,

un-

undè, & venas habere dicuntur: ergo. Resp. neg. antec. Ad prob. dicimus, lapides, & metalla tantùm augeri sicut ignis, & aqua, videlicèt, per juxtà positionem novarum partium, non verò per intùs sumptionem alimenti; nèc in illis extat organizatio idonea, ut cibus possit per venas, & fibras dilatari, & converti. Illorum autèm venæ sunt loca, in quibus gignuntur; & licèt aliquandò venæ appellentur in lapidibus contextus partium, qui in illis apparent; reverà tales venæ non sunt, sicut in arboribus videmus.

QUÆSTIO TERTIA.

Ubi aliqua scitu digna de nutritione, & augmentatione resolvuntur.

Potentia nutritiva sic ab Arist. definitur: *Est potentia, qua vivens conservat se ipsum, quatenùs est hujusmodi, seù quatenùs est tale vivens in individuo.* Hæcquè potentia, si partialitèr sumatur, est facultas, seù quædam virtus animæ vegetativæ residens in omnibus partibus animatis viventis, cum omnes nutriri debeant; completè verò sumpta consistit in hac facultate, & parte corporis animata, ut diximus suprà. Ejus autèm actus est *Nutritio*, quæ definitur: *Est actio vitalis conversiva substantiæ alimenti in substantiam aliti per intùs sumptionem alimenti proptèr restaurationem deperditi.* Undè nutritio formalitèr consistit in actu illo, quo alimentum ultimò dispositum propriam amittit formam substantialem, & in formam carnis, vel ossis convertitur, seù in substantiam aliti. Proindequè in nutritione acquirit vivens novam substantiam, ut constat ex prædicta definitione, & tenet communis sententia.

Sed hic dubitabis; an vera nutritio fiat in viventibus? Resp. affirmativè, & constat experientia. Videmus enim quotidiè, humana corpora nutritione fieri vegetiora, & corpulentiora; substracto autèm alimento, extenuari, & paullatim deficere, ac perire. Idem in brutis,

& in plantis apparet: ergo &c. Et si quæras, quomodò vivens cum continua deperditione, & acquisitione partium substantiæ sit idem numero toto vitæ suæ tempore? Relictis aliis modis dicendi, respondeo; hanc unitatem numericam viventis optimè salvari per hoc, quod partes solidiores illius, licèt aliqualitèr fluant, tamèn magna ex parte invariatæ manent quoad substantiam. Ità D. S. à nostro Villa Castin cit. & sequutus lib. 1. de Gener. Disp. 4. Quæst. 1. num. 10.

Ubi adverte, quod cum non possit produci substantia corporea naturalitèr sinè quantitate; ideò cum pèr nutritionem acquiritur nova substantia, acquiritur etiàm nova quantitas, aut pars quantitatis; & hæc acquisitio, prout à nutritione distincta, appellatur accretio, auctio, seù augmentatio; consistitquè formalitèr in acquisitione partialis quantitatis, qua vivens succedit à minori ad majorem quantitatem virtute caloris naturalis. De generatione tamèn, quæ est alia animæ vegetativæ operatio, hic agere debemus; at quià Philosophus loquitur de illa in duobus libris de ortu, & interitu, seù de generatione, & corruptione corporis naturalis; ideò nos duos prædictos libros sequenti in quæstione brevi calamo compendiare intendimus.

QUÆSTIO QUARTA.

Sivè compendium in duos libros de Ortu, & Interitu, seù de Generatione, & Corruptione.

Generatio substantialis triplicitèr sumi potest: ut productio, ut mutatio, & ut conversio. Generatio autèm ut productio, *Est actio productiva termini, seù compositi substantialis.* Quarè subjectum generationis sic sumptæ est generans; nàm, ut diximus suprà, actio in agente subjectatur; terminus verò est compositum. Generatio ut mutatio, *Est mutatio à substantia in potentia ad substantiam in actu*; seù est transitus materiæ de privatione ad formam. Hujusquè subjectum est sola materia prima;

terminus autèm est forma de novo acquisita. Deniquè Generatio ut conversio, *Est mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente, ut sensibili subjecto eodem*; seù non manente eodem specificè subjecto. Et hujus etiàm subjectum est materia prima, & terminus forma, non utcumquè, sed ut succedens, & habens esse ex vi desitionis alterius. Quibus ità suppositis

Dubitabis hic: Quid sit generatio viventium? Respondentquè DD. Angelicus, & Subt. *Est origo naturalis viventis à vivente à principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ.* Et ad hanc, dubitant Philosophi, an uterquè parens, mas, & fœmina, activè concurrant? Respondetquè noster Villa-Castin, utrumquè parentem concurrere activè ad generationem. Et quidèm de mare certum est. De fœmina verò negant Arist. omnesquè Thomistæ; sed oppositum asserit S. D. in 3. dist. 4. Q. unic. per totam. Et hæc sententia est, quæ hodiè viget apud omnes, quotidiequè ex anathomica arte evidentior apparet, maximè labore, & studio nostri Hispani Antonii Rodriguez, Cistertiensis Monachi in suis Paradoxis novissimè, multotiesquè impressis. Et patet; tùm quià videmus filios evadere sæpè valdè similes matribus; & principium merè passivum nequit esse principium assimilandi, aut distinguendi. Tùm etiàm quià fœminæ habent eadem vasa semen deferentia, coquentia, & servantia, non minùs quàm viri, ut omnes moderni Anathomici fatentur: ergo fœminæ concurrunt activè ad generationem.

Sed quomodò id fiat; an videlicèt ex ovis fœmineis à virili semine fœcundatis, an potiùs ex ipsis maris, & fœminę seminibus invicèm commixtis? Medicis, & Anathomicis disserendum relinquimus. Non enim necesse est in omni disquisitione versari, & *non omnia omnibus prosunt*, ut optimè ait S. August. lib. 1.° contrà Cresconium, cap. 26. Et certè, si Rodriguez, aliisquè RR. credimus, omnia fatemur generari ex ovo, nullaquè, aut ex permixtione seminis, aut ex putri generari contrà antiquos omnes Philosophos maximè Peripateticos

de-

defendemus. Sed dicta de generatione sufficiant.

Generationi opponitur corruptio, totquè modis dicitur, quot illa; nempè *ut conversio*, & *est mutatio totius in totum*, &c. sic enim explicantur duæ conversiones, una negativa, qua subjectum amittit formam veterem; altera possitiva, qua novam acquirit. Deindè *ut mutatio*, & definitur; *Successio non esse formæ in materia post esse ipsius immediatè præcedens.* Et deniquè *ut actio destructiva, estquè destructio compositi substantialis, remanente materia.* Aliqua dubiola levissimi momenti solent circà corruptionem substantialem excitari, quæ à nobis, vel in solutione aliquarum objectionum, vel alibi soluta manent; proindequè in ipsis non licet immorari.

Corruptionem sempèr præcedit alteratio, quæ à Philosopho hic text. 23. definitur: *Est transmutatio subjecti in passionibus, aut contrariis, aut mediis, eodem subjecto sensibili remanente.* Ut cum aqua transit de frigore ad calorem, & de isto ad frigus. Et si quæras, an alteratio sit motus continuus, & temporaneus? Resp. affirmativè cum communi sententia, quam insinuat Philosoph. 5. Physic. text. 18. dividens motum continuum in alterationem, augmentationem, & lationem. Et si iterum quæras, quomodò fiat intensio qualitatis? Variè respondebunt Philosophi; alii dicentes, qualitatem intendi pèr majorem expulsionem contrarii possitivi; alii pèr majorem recessum à contrariò privativo; alii pèr productionem majoris entitatis, destructa priori; Thomistæ verò ajunt, qualitatem magis, ac magis intendi, cum magis, ac magis radicatur in subjecto. Nos deniquè

Dicimus, intensionem qualitatis fieri pèr addictionem novæ partis ejusdem qualitatis in eadem parte subjecti; remissionem verò per deperditionem partis ejusdem qualitatis. Ità D. S. quem sequuntur Discip. pluresquè extranei. Et prob. primò: Quià agens pèr eamdem essentiam propriam, & univocè, quamdiù agit, producit terminum ejusdem rationis; sed calor v. gr. agit tàm in principio producendo, quàm in progressu intendendo per eamdem essentiam propriam, & univocè: ergo tàm

in

in principio, quàm in progressu producit terminum ejusdem rationis; atqui in principio producit calorem: ergo etiàm in progressu. Secundò: Ex Concil. Trid. Justus pèr bona opera meretur augmentum gratię. Et Sess. 6. Can. 7. definit, per Sacramenta nova dari gratiam sempèr, & omnibus; sed in utroquè casu nova gratia datur justo, ut patet: ergo. Sed sufficiat de his, ut ad nostrum intentum reddeamus.

DISPUTATIO TERTIA.

De Anima Sensitiva.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Anima Sensitiva, & quæ illius potentiæ?

Circa primam partem quæstionis dicimus primò: *Animam sensitivam esse actum corporis physici organici potentia vitam sensitivam habentis*; id est, forma illa animalis, quæ est principium radicale exercendi operationes sensitivas, appetendo salutaria, refugiendo notia, & loco se movendo. Dicimusquè secundò: Triplex est potentia animæ sensitivæ, scilicèt, cognitiva, seù sensitiva, qua percipit res sensibiles; appetitiva, qua appetit commodum, fugitquè incommodum; & loco motiva, qua acquirit bonum concupitum, & fugit malum aprehensum. Sensitiva autèm dividitur in internam, quæ residet in interioribus partibus corporis; & in externam, quæ in partibus exterioribus residet; dividiturquè in quinque sensus, videlicèt, visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum. Loco motiva verò dividitur in perfectam, à qua provenit motus progressivus de loco in locum; & imperfectam, quæ caussat motum localem imperfectum, scilicèt dilationis, & constrictionis. Appetitiva tandèm solet dividi in irascibilem, & concupiscibilem.

Hæc tria potentiarum genera in omni vivente anima sensitiva reperiuntur, non tamèn secundùm omnes species potentiæ; nàm multa animalia carent quibusdam sen-

sensibus internis, & externis, ut patet experientia. Et si quæras, quo pacto se habeant prædictæ potentiæ, & præcipuè cognitiva respectu sensationum? Resp. quod prædictæ potentiæ (loquimur de completis) ad sensationes activè, & passivè concurrunt. Est communis, & patet prima pars; quià actus vitalis petit à principio vitali produci: ergo nequit à specie, vel objecto non vitali totalitèr produci; & consequentèr ad sensationem potentia activè concurrit. Ex quo prob. etiàm secúnda pars; si enim sensatio est actus vitalis: ergo petit in subjecto animato, & vivente recipi; sed organum, ut præscindit ab anima, non est vivens: ergo recipitur in toto conjuncto ex anima, & organo; consequenterquè potentiæ animæ sensitivæ activè, & passivè ad sensationes concurrunt.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quid, & quotuplex sit objectum sensibile?

Dicimus 1.° Objectum sensibile est id, quod potest objici, & attingi potentiis animæ sentientis. Et quatuor requirit conditiones ad hoc, ut sit objectum sensibile. Prima; quod sit ens reale. Secunda; quod sit ens corporeum, & materiale. Tertia; quod sit singulare. Quarta; quod sit accidentale. Quæ conditiones ab omnibus ferè admittuntur. Undè patet, sola accidentia esse pèr se sensibilia, substantiam verò solùm esse sensibilem pèr accidens; proindequè sensibile aliud est pèr se, aliud pèr accidens. Sensibile autèm pèr se vel est proprium, quod ab uno tantùm sensu percipi potest; ut sonus ab auditu, color à visu; vel commune, quod ab aliquibus sensibus percipitur; ut magnitudo, quæ à visu, tactu, & auditu percipi potest.

Objectum autèm sensibile mediis sensibilibus speciebus à nobis percipitur. Species ergo quo ad præsens nihil aliud est, quàm similitudo objecti ab ipso producta, & sensibus impressa. Variisquè nominibus insignitur: appella-

pellatur species, quod rem spectandam exhibet. Impressa, quià media illa objectum imprimitur potentiæ. Intentionalis, non quià sit ens rationis, sed quià habet esse diminutum, & quodammodò recedens à realitate. Sensibilis, quià est ratio, qua representatur objectum. Dicitur etiàm imago objecti, imitatio, simulacrum, pictura, idolumquè rerum sensibilium. Circà quas quamplura hic sunt advertenda.

Primò: Prædictas species reverà dari in rerum natura, ut tenet communis, veraquè sententia. Secundò: Species istas habere essentiam, & prædicata alterius rationis ab objectis; aliàs species summi albi, & summi nigri in eodem subjecto non possent reperiri; sicut nèc summum album, & nigrum. Tertiò: Quasdam species recipi in medio proportionato, ut videtur in speciebus visibilibus, quę recipiuntur in aëre, aqua, & speculo; illas tamèn, quæ concurrunt ad sensationem, recipi in potentia, non completa, sed in solo organo pro altera parte corporis. Quartò: Species sensibiles impræsas totalitèr produci ab objectis, ipsa potentia merè passivè se habente. Quintò: Substantiam non immittere propriam speciem sensibilem, ut comunis docet contrà Thomistas opinio. Sextò: Sensibile commune non producere speciem distinctam à specie sensibilis proprii. Septimò: Species sensibiles esse divissibiles in representando, ità ut una pars speciei representet dimidiam partem palmi, & altera alteram, & tota totum. Octavò: Species simùl cum potentia concurrere activè ad sensationem; ut omnes fatentur.

QUÆSTIO TERTIA.

An sensibiles affectiones, seù qualitates sint in ipsis objectis, quales à nobis percipiuntur?

Negant RR. docentes, sonum, saporem, colorem, lucem, cæteraquè hujusmodi non esse quidpiam in rebus ipsis existens extrà animam nostram, quod tale sit for-

ma-

malitèr, & in se, quale nobis apparet. At Peripatetici omnes contrarium opinantur, & asserunt, affectiones sensibiles, præsertim verò lucem, esse in ipsis objectis, quales à nobis percipiuntur: adeoquè non esse solas animæ perceptiones, sed præseferre quidpiam reale extrà animam existens in corporibus sensibilibus, simile profectò ideis nostris; hæcquè est nostra firmitèr defensanda conclusio.

Prob. 1.° Ex certa, & evidenti ratione naturali supetere nobis debent valida momenta, quibus convinci posset Scepticus, qui solum Aërem extare diceret, Solem verò, Stellas, Planetas, Montes, Maria, &c. existere negaret: Atqui nulla in id præstò essent nobis rationis momenta, si lux non est aliquid in ipsis objectis existens, simile ideis nostris: ergo ità est, &c. Quod etiàm de cæteris sensibilibus affectionibus poterit affirmari. Prob. min. Ideò Solem, Stellas, Planetas, Montes, Maria, &c. extare convincimus, quià integris hominum sensibus sic apparet, nèc Deus bonus delectari potest in nobis fallendis; sed vel nulla est hujus argumentationis eficatia, vel fateri debemus, esse lucem in objectis similem ideis nostris: ergo. Prob. min. Quià integris, & benè dispossitis sensibus nostris apparet lux in objecto, nec Deus delectari potest in nobis fallendis: ergo &c.

Prob. 2.° Sensuum, sensationumquè nostrarum objectà extrà mentem nostram existunt: ergo reipsa extant formalitèr in objectis affectiones sensibiles. Antec. manifestum est; quidquid enim sint sensationes nostræ, experientia nos edocet, iis objectum aliquod correspondere. Prob. conseq. Nostrorum sensuum, & sensationum objectum aliud non est, nisi id, quod pèr easdem percipitur; iis autèm percipitur lux, color, dulcedo, cæteráquè similia; sed hæc omnia, si semel constituantur objecta sensuum, & sensationum, non possunt esse affectiones, & modificationes mentis nostræ: ergo sunt aliquid extrà animam formalitèr existens in objectis. Probat. min. Si illa sensationum objecta essent affectiones animæ, dùm ea percipimus, cognosceremus ipsas animæ affectiones,

quod est absurdum: ergo. Argumenta tamèn, quæ hic à modernis objiciuntur ridicula sunt, & alibi à nobis jàm soluta.

DISPUTATIO QUARTA.

De Sensibus externis in particulari.

QUÆSTIO PRIMA.

De Visu, & aliis ad eum attinentibus.

Oculus humani corporis in globuli figuram est eformatus, habetquè in centro suo humorem *Chrystallinum*, instàr chrystalli pellucidum, membranaquè pellucida ambitum, & ab aliis humoribus distinctum; quæ membrana *Aranea* dicitur. Chrystallinus humor à parte anteriori habet humorem *Aqueum*, qui tenuis, & copiossus est, & omnis coloris expers; à parte autèm posteriori humorem *Vitreum*, similem vitro fusso, qui triplò copiossior est, quàm Aqueus, & quadruplò, quàm Chrystallinus, membranaquè subtilissima circumvestitur, quæ vocari solet *Vitrea*.

Post hos recensitos humores, sequitur tunica retiformis, quæ etiàm *Retina* dicitur, & est pellicula quædam in modum retis, quæ cavitatem internam oculi vestiens, ab imo, & fundo oculi extenditur circà oculum. Hæc tenuis est, & candida, ex substantia moli, & muscosa, filamentis innnmeris, nervulisquè contexta; undè, & *Retina* dicitur. Tunica *Uvea* suprà *Retinam* sequitur, & est pellis globum oculi circundans, ac nigri coloris, & à parte anteriori dicitur *Rhagoides*, sivè *Uvea*, à parte verò posteriori *Choroides*. Hæc pellicula in sui medio habet foramen, quod in homine rotundum est, non verò in aliquibus animalibus; & appellatur *Pupilla*, estquè fenestrella quædam, pèr quam apparet Chrystallinus humor. Nascitur *Uvea ex pia matre*, sivè ex tunica interiori, molliorique cerebrum ambiente.

Suprà *Uveam* stat membrana, quæ nominatur *Cornea*, quià

quià instar pellucidi cornu transparens est, & oritur ex *dura matre*, sivè ex tunica exteriori, durioriquè cerebrum amplectente: cooperit autèm totam oculi orbitatem, ipsamquè pupillam. Suprà tunicam *Corneam* alia extat, quæ *Adnata* dicitur, cujus beneficio oculus proximis ossibus capitis adhæret. Est hæc membrana colore alba, & substantia pinguis satis, & crassa. Non obvolvit totum oculum, sed foramen in medio relinquit, pèr quod non solùm pupilla cerni potest, sed etiàm pars aliqua tunicæ *Uveæ*, quæ apparet, & dicitur *Iris*. Prætèr tunicas illas in fundo oculi extat *Nervus Opticus*, qui oculo cerebrum jungit, & per quem spiritus animales oculo administrantur. Quibus ità suppositis

Dubitabis 1.° In qua parte ex enumeratis sit organum, seù sensorium visus? Resp. potentiam visivam residere, tamquàm in organo, seù sensorio, in humore Chrystallino. Ità Arist. lib. de Sensu, & sensibili cap. 1. & Galen. lib. 8. de usu partium cap. 6. estquè communis intèr Philosophos, & Medicos; & prob. quià intèr omnes partes oculi humor Chrystallinus aptior est ad visionem eliciendam. Tùm; quià est magis transparens, & diaphanus, habetquè à tergo opacum alium humorem, ut possit in eo fieri specierum reflexio, ut contingit in speculo. Tùm; quià est centrum totius oculi, ità ut omnes oculi partes sint à natura ordinatæ; aliæ ad ipsius tutamentum, aliæ ad alimentum, & conservationem. Tùm deniquè; quià est pars cæteris nobilior, immaterialior, & spiritualitati similior; sed hæc omnia probant, quod sit præ cæteris aptior ad visionem eliciendam: ergo in humore Chrystallino consistit essentialitèr potentia visiva.

Dubitabis 2.° Quodnam sit objectum adæquatum potentiæ visivæ? Resp. esse qualitatem visibilem. Ità omnes DD. & prob. nàm color, & lux spectant ad potentiam visivam, juxtà omnes: ergo objectum adæquatum erit quid commune, hæc duo comprehendens, quod qualitas visibilis vocari debet. Sed pro majori intelligentia.

Dubitabis 3.° Quid sit color? Respondet RR. aliud

non esse, nisi variam partium texturam, ac motum, varieque lucem reflectens; undè distinctos percipimus colores. Sed adhùc intèr se non conveniunt in his explicandis. Nos tamèn cum omnibus Peripateticis dicimus; Colores permanentes, & primigenios, scilicèt Album, Nigrum, Flavum, Rubeum, & Cæruleum, non consistere in partium corporis colorati textura, nec in refractione lucis, sed esse affectiones, seù qualitates objectis coloratis superadditas. Quod patet primò; ex dictis suprà Disp. præcedenti, Quæst. ultim. Secundò; quia illud est sinè fundamento à RR. adinventum: ergo &c.

Dubitabis 4.° Quid sit lux? Resp. lucem non esse substantiam corpoream à corpore lucido difussam, ut volebant Gassendus, & Epicurus; nèc consistere in motu, aut in propensione ad motum, ut ajebat Cartesius; sed ritè dici posse accidentariam lucidi corporis affectionem. Ità omnes Peripatetici. Probat. prima pars: Si lux est corpus, erit levis, vel gravis? Si levis est, quomodò ad terram usquè descendit? Si gravis, quomodò sursùm ascendit? ergo non est corpus. Secunda pars minùs consonat rationi; undè tertia debet amplecti consequentèr ad ea, quæ suprà de sensibilibus diximus speciebus. Quarè lux est qualitas physica inhærens corpori luminoso; lumen verò est forma à corpore luminoso producta in alio corpore ex se non lucido. Et indè est, quod lumen est alterius rationis à luce; ipsud enim est species lucis; & species alterius rationis est ab objecto.

Dubitabis 5.° An lumen requiratur ad visionem ex parte medii, aut ex parte objecti? Resp. requiri ex parte utriusquè; & patet utrumquè; nàm color nequit sinè lumine videri: ergo aliqua dependentia à lumine erit in colore, quo ad visibilitatem; sed hæc dependentia coloris à lumine non solùm est ex parte medii, sed etiàm ex parte sui ipsius: ergo requiritur lumen ex parte utriusquè, ut videatur color; & color, & medium, per quod sui speciem immittit, illuminatum debet esse. Et si quæras, quo pacto requiratur lumen ad visionem coloris? Resp. solùm esse conditionem sinè qua color videri non

po-

potest, ut ait S. D. in quodlib. 15. §. *Si verò*, V. *Et hoc*, num. 19.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Auditu, & cæteris ad eum pertinentibus.

Structura organi Auditus sic se habet. In partibus internis aurium post meatum auditorium in osse temporum excavatum, à quo meatu humores extrà mittuntur, habetur pellicula quædam, quæ dicitur *Membrana tympani*, eo quod tensa sit ad modum pellis tympani, circulo osseo inserta, & adnexa. Ablata hac membrana, cavitas patet, quæ *Tympanum* dicitur; & in ea cavitate tria conspiciuntur ossicula membranę adherentia, *Malleus*, *Incus*, & *Stapes* appellata. *Malleus* est ossiculum extrema sui acutiore parte tympano afixum cum ejus pars obtussior *Incudi* jungatur. *Incus* autèm est ossiculum penè rotundum, duplici crure instructum, quorum altero *Stapedi*, altero *ossi* temporum adhæret. *Stapes* est ossiculum cavum, membranam suprà se tensam habens, perindè ut alterum tympanum: ovali foramini incumbit, & motu aliorum ossium ità elevatur; ut aditum indè sono præbeat ulteriorem.

Post membranam tympani adest meatus quidam ab eo ad fauces, cujus ope Surdastri ore aperto audiunt. Alia etiàm stat insignis cavitas, quę dicitur *Labyrinthus*, & est antro tympani minor, atquè semicirculos habet osseos excavatos. Ultima tandèm habetur cavitas, quæ *Cochlea* appellatur, & *Labyrintho* minor est. Vestibulum *Labyrinthi* ambitur à membrana quadam, quæ dicitur *Membrana Labyrinthi*. Cochlea etiàm vestitur zona quadam membranacea tenuiori, duplici, vel triplici flexu, instàr Cochleæ, & semicirculi etiàm ossei à triplici ejusdem generis zona ambiuntur. In prædictis cavitatibus continetur aër, quem *innatum* nominant, licèt cum aëre externo communicet pèr meatum prædictum à tympano ad fauces. Membranæ tamèn fibrillis nerveis intèrtextæ sunt. Quibus benè perpensis,

Di-

Dicimus cum nostro Villa-Castin: Primò; organum, seù sensorium auditus est substantia illa aërea intrà cochleam inclusa. Ità tenent communitèr Philosophi cum Arist. lib. 2. de Anim. text. 8. & patet; quià organum, seù sensorium debet esse proportionatum receptaculum specierum; sed aër est proportionatum subjectum specierum audibilium: ergo illa pars, quæ aëri correspondet in structura auris, qualis est prædicta substantia, debet poni pro organo auditus. Secundò; objectum adæquatum auditus esse sonum, qui est qualitas de tertia specie efficientèr producta à duobus corporibus se invicèm percutientibus. Undè ad sonum tria corpora concurrere debent, scilicèt, duo percutientia, & unum medium, quod frangitur, agitatur, & intercipitur; v. gr. in percutione duorum saxorum sunt duo saxa, & aër interceptus, collisus, & agitatus. Ex his tamèn caussa effectiva soni sunt corpora se percutientia; intermedium verò solùm est conditio necessariò requisita.

Tertiò; subjectum soni esse illud corpus medium resiliens, non verò corpora se invicèm percutientia; nàm flante vento, & aërem versùs unam partem impellente, sonus sentitur intensiùs, & remotiùs, quàm in parte opposita: ergo signum est, quod sonus subjectatur in aëre, qui est corpus medium. Quartò; sonum non pervenire necessariò ad aures secundùm esse reale, sed secundùm esse intentionale; ut enim idem numero sonus ad aures omnium audientium perveniret, deberet etiàm pervenire idem numero aër, qui est soni subjectum, quod quidèm videtur multotiès impossibile. Quintò; quod difussio specierum soni pèr totam Sphęram fit successivè pèr partes spatii hoc modo: sonus immediatè pèr seipsum simùl producit, & immittit proprias species usquè ad certam distantiam; deindè species illæ à sono immediatè productæ, producunt alias, & istæ alias usquè ad finem sphęræ; ultima enim species adeò languida est, & remissa, ut non possit aliam ultrà producere; & ideò sonus ampliùs non diffunditur, nèc auditur. Undè sonus reflexus, seù echo provenit à speciebus soni, quæ tan-

tis-

tispèr post ipsum permanent, & alias producunt, & istæ alias, &c.

Hic deniquè quæres: An motus, qui in soni propagatione habetur, sit undulationis, vel tremoris? Placet aliquibus RR. hunc motum esse undulationis, quatenùs pèr varios circulos, seù undulationes propagatur usquè ad aures. Alii verò eum motum arbitrantur esse tremorem, seù fremitum aëris, qui successivè medium ipsum succutiat usquè ad organum auditus. Et hoc nobis videtur verosimiliòr, licèt certum etiàm nobis videatur rationem pro hac parte à nostro adductam Ferrari convincentem non esse.

QUÆSTIO TERTIA.

De Olfatu, & Odore.

Olfatus pèr nasum fit, in cujus partibus interioribus os cribriforme distingui debet sumitati narium incumbens, ubi duo extant foramina, quæ ascendunt usquè ad cerebrum. In his duobus foraminibus duo tubuli extant, à cerebro descendentes, qui nasi ductus appellantur, seù processus mammillares, vel papillares. Internis autèm nasi parietibus super inducitur membrana quædam papillosa, fibrillis, & nerveis fillamentis referta. Deniquè in suprema parte utriusquè foraminis propè cerebrum reperiuntur duæ carunculæ papillares, seù mamillares dictæ, eo quod mammillarum similitudinem habent. Et in his duobus carunculis mammillaribus (ait noster Villa-Castin) consistit formalitèr immediatum olfatus sensorium. Cujus objectum (ut omnes fatentur) est odor, qui est forma accidentalis de tertia specie qualitatis, orta ex temperamento primarum qualitatum cum prædominio siccitatis, & caloris humidum concoquentis, ac temperantis. Sed de hoc

Quæres 1.° An odor diffundatur pèr medium pèr realem productionem alterius odoris, an verò pèr solam evaporationem, seù exitum exhalationum ab ipso odori-

rifero? Et supposito cum Arist. 2. de Anim. text. 97. quod medium difussivum qualitatis odoris est aër, & aqua, ut constat experientia. Resp. odorem non multiplicari in medio pèr realem productionem, sed pèr evaporationem. Prima pars patet; quià odor utpotè qualitas secunda nèc est univocè activa, nèc alterius similis productiva. Secunda pars etiàm constat; nàm res aromaticæ incensæ faciliùs percipiuntur, & assidua evaporatione odorum evanescunt ut patèt in thure: ergo multiplicantur in medio pèr realem evaporationem, non verò pèr productionem.

Quæres 2.° An odor percipiatur ab olfatu pèr species intentionales? Resp. affirmativè; & patet à paritate; nàm pèr species intentionales percipitur color à visu, & sonus ab auditu: ergo etiàm odor ab olfatu. Undè licèt olfatus objectum sit realitèr præsens, & contiguus potentiæ, adhuc tamèn necessaria est species, ut ipsa mediante objectum concurrat ad sensationem; sinè illa enim non facit sensationem.

QUÆSTIO QUARTA.

De Gustu, & Sapore.

Omnes utiquè fatentur, sensum gustus formalitèr residere in lingua, & palato: cum hoc tamèn discrimine, quod principalitèr residet in cuspide linguæ, ut patèt; nàm quandò volumus aliquid gustare, illud extremitate linguæ attingimus, in radice verò minùs principalitèr. E contrà evenit in palato; in hoc enim perfectiùs existit in fine versùs gurgulionem, imperfectiùs verò versùs dentes; quià ibi caro est molior, hic autèm asperior. Objectum tamèn hujus sensus est sapor, qui definitur ab Arist. lib. de Sens. & sensibili: *Est passio facta à sicco in humido gustus, qui secundùm potentiam alterativam in actum.* Undè sapor non est qualitas prima, sed secunda, & licèt ex temperamento primarum qualitatum resultet, maximè tamèn sicci, & humidi.

Ta-

Tamèn hic incidentèr dubitabis in gratiam RR. Utrùm sapor, & odor satis explicari possint pèr motum, & figuram substantialium corpusculorum? Affirmant Cartesiani, aliiquè RR. nos tamèn negamus, & dicimus, saporem, & odorem explicari satis non posse pèr solam figuram, aut motum substantialium corpusculorum, sed ritè dici posse affectiones corporis sapidi, & odoriferi, seù qualitates ejus absolutas. Est Omnium Peripateticorum. Et patet quoad saporem. Si sapor in sola consistit corpusculorum figura, aut motu, quo efluvii substantiales corporis sapidi organum gustus afficiunt, quælibet pars nostri corporis esset gustativa, & quodlibet corpus esset gustabile, ac saporificum; utrumquè contrarium est experientiæ: ergo. Prima pars sequælæ patèt; tùnc ex exiguo discrimine intèr sensoria tactus, & gustus; tùnc etiàm quià cuticula, parte cutis abrasa, sentit asperitatem salis liquati, non verò saporem: ergo. Secunda pars etiàm constat; certum enim est, aliqua corpora insipida esse, ut terra, & aqua; hoc utiquè esset falsum in sententia RR. asserentium saporem oriri ex atomis, seù moleculis certa figura donatis; nàm hoc juxtà ipsos de omnibus verificatur corporibus: ergo &c.

Prob. etiàm quo ad odorem; nàm quædam corpora specie diversa eumdem odorem caussant, & quædam alia corpora nullum odorem emittunt, licèt omnia particulis constent aliqua figura, & motu præditis: ergo odor in his non consistit: igitur, ut jàm diximus, tàm sapor, quàm odor erunt qualitates physicæ, seù accidentia in sensu Peripatetico.

QUÆSTIO QUINTA.

De Tactu, & tangibili.

Tactus est sensuum in perfectione omnium minimus; cujus sensorium non est afixum alicui parti determinatæ corporis, sed dispersum pèr omnia membra, si ossa excipiantur, quæ non sentiunt. Dubium est, an sensorium

illius

illius sit etiàm caro, & cutis? Nàm de nervis nullus dubitat. Respondeoquè affirmativè. Ità Arist. 2. de Anim. text. 149. ubi carnem sensorium non ultimum appellat; & constat experientia; nàm si caro pungitur, statim dolor in eadem parte sentitur. Nè dicas, hanc sensationem fieri in nervo propinquo; quià in corde, pulmone, & aliis similibus potest fieri sensatio tactus; sed in his partibus non adsunt nervi, nisi valdè distantes, ut tenent Anathomici: ergo sensorium tactus non stat præcissè in nervo, sed etiàm in carne; licèt certum sit, carnem in sensatione à nervis dependere, non verò è contrà.

Objectum adæquatum tactus est qualitas tangibilis; objecta verò inadæquata, seù partialia sunt quatuor primæ qualitates, & aliquæ secundæ; nàm tactu non solùm percipitur calidum, humidum, frigidum, & siccum; sed etiàm durum, & molle, grave, & leve, asperum, & lene, crasum, & tenue, lubricum, & aridum. Cum hac tamèn differentia; quod primę qualitates immutant sensum producendo similes qualitates in organo, v. gr. calor efficiendo calorem. Qualitates verò secundæ non immutant producendo qualitates similes; non enim duricies efficit aliam duritiem; sed imprimendo impulsum. Quibus suppositis

Quæres 1.° An ad sensationem tactus sit necessarium aliquod medium? Resp. negativè, & patèt: Caro immediatè tangit corpora, & illa sentit: ergo nullum medium est necessarium ad sensum tactus. Deindè, si nervus esset omninò à carne denudatus, immediatè tangeret: ergo non est necessarium medium ad tactum. Quod quidèm non tollit, quod pèr accidens possit aliquandò admitti aliquod medium extrinsecum, ut patèt de percusione clypei, quæ medio aliquo sentitur à clypeato.

Quæres 2.° An percipiatur à tactu etiàm qualitas, quæ est in organo? Resp. negativè, & prob. Tùm quià tactus est à natura concessus, ut possimus convenientia prosequi, noxia devitare: ergo est perceptivus qualitatum objecti, non verò organo inexistentium; has enim nequit devitare, vel prosequi; benè verò quæ ab objecto caus-

caussantur. Tùm etiàm; quià aliàs essemus in continua sensatione tactus; nàm sempèr sentiremus nostrum temperamentum, & qualitates nostras; quod est contrà experientiam: ergo.

Quæres 3.° An sensu tactus percipiatur qualitas in eodem gradu præhabita? Resp. etiàm negativè. Ità expressè Arist. & S. D. apud nostrum Villa-Castin hic, & prob. quià omne recipiens debet esse denudatum à natura recepti; nàm quod est in potentia ad aliquid, nequit illud habere: ergo si sensus tactus habet æquales, vel intensiores qualitates, nequit illas recipere; & consequentèr nec illas sentire. Conseq. patèt à paritate; si enim in oculo adesset aliquis color realis, non posset ab alio colore pati: ergo si tactus habet calorem ut quatuor, nequit alium calorem ut quatuor, aut ut tria recipere.

Quæres 4.° An objectum tactus concurrat ad sensationem media specie? Resp. affirmativè cum Arist. & Scoto ab ipso Villa-Castin citatis. Et prob. quià in objecto tangibili adest virtus productiva specierum; contingit enim, aliquandò sensationem tactus fieri per speciem, scilicèt, quandò objectum est distans, ideoquè indiget specie ad illam: ergo illas producit etiàm quandò est contiguum potentiæ. Prob. conseq. nàm si semèl admittitur in objecto tangibili virtus productiva specierum, sempèr illas producet, quandò non est impeditum: ergo. Quæres deniquè: an tactus in specie sit unus? Respond. etiàm affirmativè; nàm eadem parte corporis sentimus humiditatem, siccitatem, calorem, cæterasquè qualitates, nullaquè est determinata ad aliquam: ergo unica est potentia tactiva, non verò specie multiplicata.

QUÆSTIO SEXTA.

Solvuntur aliqua dubia de Sensibus externis.

Quæres 1.° An sensus externi sint perfectiores in homine, quàm in brutis? Resp. quod visus perfectior est accidentalitèr in lince, & aquila, quàm in homine; nàm

perspicatiùs, & remotiùs vident. In olfatu verò canes, & vultures similitèr excedunt; quià in his organum odoratus est siccius, & calidius; undè tenuissimos odores percipiunt, & in majori distantia; in homine verò est frigidius, & humidius, quià ejus cerebrum frigidius est, quàm in cæteris animalibus. Homo verò excedit omnia bruta in gustu, & tactu; isti enim fundantur in complexione, & temperamento primarum qualitatum; quod quidèm perfectius est in homine, quàm in brutis. Itèm: excedit in auditu: nàm percipit omnes differentias soni, & concentus musicos, quos bruta non percipiunt.

Quæres 2.° An sensus externi possint ferri in objectum absens? Resp. negativè; nàm cognitio sensuum externorum est intuitiva; sed cognitio intuitiva essentialitèr importat respectum transcendentalem ad objectum in se præsens, ut posteà dicemus: ergo. Ex quo sequitur, quod nèc divinitùs potest sensus externus ferri in objectum absens. Undè si Deus, v. gr. visionem objecti absentis in oculo poneret, oculus minimè videret; quià ex propria natura habet, ut intuitivè operetur; nàm visio habet realitèr identificatum respectum transcendentalem ad objectum præsens; ideoquè non poterit ab intuitivo actu, nequè à Deo separari.

Quæres 3.° An res corporalis, ut existit modò inextenso, & spirituali, v. gr. Corpus Christi D. in Eucharistia, possit percipi à sensibus? Hæc difficultas communis est omnibus sensibus, de visu tamèn præsertim proponitur; ex cujus determinatione potest colligi, quid de aliis sensibus sit dicendum. Resp. ergo: Corpus Christi D. ut existit in Eucharistia, nèc naturalitèr, nèc supernaturalitèr oculo corporeo potest videri. Ità S. D. in 4. dist. 10. Quæst. 9. Prob. prima pars; visio fit ab objecto immittente speciem sui in oculum; sed Corpus Christi D. prout in Eucharistia existit, nequit mittere speciem sui in oculum: ergo nequit naturalitèr videri. Prob. min. quià ut objectum naturalitèr agat, requiritur, quod sit naturalitèr prȩsens, & approximatum passo localitèr; sed Corpus Christi D. in Eucharistia non habet connatu-

turalem præsentiam, nèc est approximatum oculo localitèr; quià non est ibi ut in loco naturali: ergo nequit mittere speciem sui in oculo.

Secunda verò pars prob.: Corpus Christi D. reduplicativè, ut existit in Eucharistia, duo dicit, scilicèt, præsentiam definitivam, & ipsum corpus, quantum quidèm, & coloratum, sed existens totum in toto, & totum in qualibet parte. Primum est relatio; undè est prorsus insensibile; & consequentèr extrà objectum proprium visus. Secundum verò nequit à visu percipi; nàm vel tota visio repręsentaret totum corpus, & pars partem; & sic non repręsentaret Corpus Christi D. modo inextenso, sed extenso: vel tota visio repręsentaret totum, & pars totum, & quamlibet partem; undè ipsa visio esset spiritualis, quod implicat: ergo Corpus Christi D. ut existit in Eucharistia, non potest adhuc supernaturalitèr videri.

Quæres 4.° An sensus externi aliquandò errent, & decipiantur? Resp. affirmativè. Ità S. D. in 1. dist. 3. Quæst. 4. §. *de Tertiis*, ℣. *Respondeo*, num. 11. Probat. nàm sensus externi sæpè non percipiunt objectum, sicuti est à parte rei: ergo falluntur. Prob. antec: quià manus alba posita trans vitrum rubeum, apparet rubra; baculus in aqua apparet fractus; oculi icteritia infecti, colores pallidos intuentur; gustus ægroti percipit amaritudinem in cibo, v. gr. in melle; sed nec manus est rubra, nec baculus fractus, nec in melle est amaritudo, &c.: ergo sensus externi sæpè percipiunt objectum, non sicuti est à parte rei, sed alitèr ac est in se.

Quæres 5.° An sensibile possitum suprà sensum impediat sensationem? Resp. impedire visionem, sed non reliquas sensationes. Ità S. D. Quæst. 4. de Anim. Prob. prima pars: nàm experientia constat, nos non videre nisi res aliquantulùm distantes. Cujus ratio à priori est: quià objectum visibile, ut immutet potentiam, debet illuminari; sed non posset illuminari, si immediatè suprà sensum poneretur: ergo requirit, quod aliquod medium, seù spatium interjaceat intèr potentiam, & objec-

jectum; & consequentèr objectum suprà visum immediatè positum impedit visionem. De aliis autèm sensibus oppositum experientia manifestat; nàm de sapore, & qualitatibus sensibilibus res est clara. Similitèr de sono, qui in aure sentitur; ut patet de tinnitu, & sibilo intrà organum ipsius. Paritèr de odore, qui per evaporationem multiplicatus immediatè unitur carunculis mammillaribus.

Quæres deniquè: An excellens sensibile lædat sensum? Resp. affirmativè. Prob. nàm lux, & albedo intensa labefactant visum, & vehemens sonus lædit auditum; sed non nisi pèr species intentionales: ergo excellens sensibile lædit sensum ut agens intentionale. Prob. min. quià non possunt aliquam qualitatem naturalem producere; albedo enim, & sonus sunt qualitates secundæ, quæ non sunt activæ; & lux non est caussativa caloris, nàm multa sunt luminosa, quæ non calefaciunt, ut gemmæ; immò nèc ipse ignis pèr lucem calefacit, sed pèr calorem formalem: ergo non præstant illos effectus nisi pèr species.

DISPUTATIO QUINTA.

De Sensibus internis.

QUÆSTIO PRIMA.

Resolvuntur plura dubia de Sensibus internis.

Omnes reverà fatentur dari sensum internum non solùm in nobis, sed etiàm in brutis; quià tàm nos, quàm illa habemus memoriam rerum præteritarum. Quiquidèm sensus est facultas vitalis materialis interna perceptiva, & judicativa omnium, quæ sensibus externis percepta sunt. Hæc autèm facultas residet in Cerebro, non secundùm *Meninges*, vel cellulas, sed secundùm medullam, & substantiam ipsam cerebri. In prędicto enim sensu quinquè sunt facultates. Prima est *Sensus communis*, sic appellatus, quià præsidet omnibus externis sensi-

sibus, & eorum sensationibus. Cui facultati correspondet quidam actus, qui est *discernere* objecta à sensibus externis apprehensa, quò judicamus unum objectum, v. gr. colorem videri à visu, non videri ab auditu; & sic de aliis.

Secunda facultas vocatur *Phantasia*, quæ est facultas, qua percipimus objecta jàm sensata ab externis sensibus, licèt acta non sentiantur; huicquè correspondet *phantasiari*, seù cognitio objecti apprehensi à sensu externo. Tertia facultas est *Imaginativa*, cui correspondet *imaginari*, seù actus, quo ex duobus objectis simpliciter apprehensis unum tertium componitur; ut cum apprehendo montem, & aurum, & imaginor montem aureum. Quarta facultas est *Æstimativa*, cui correspondet actus, qui dicitur *æstimari*; quo objectum sensatum cognoscitur ut conveniens, vel disconveniens. Quinta facultas dicitur *Memoria*; & huic correspondet actus, qui dicitur *memorari*, seù *recordari*, qui est cognitio alicujus præteriti in quantùm præteriti, & proprii ipsius recordantis.

Sed adhuc in hominibus assignatur sexta facultas, quæ est *Reminiscentia*; cujus actus est *reminisci*, & differt à recordatione in eo, quod recordatio, seù memoria est cognitio rei præteritæ, nulla oblivione intermedia; at reminiscentia est cognitio rei priùs cognitæ, & posteà oblitæ, quæ iterùm cognoscitur mediante, seù memoria intellectiva excitante species ad memorandum ex cognitione aliorum similium, vel propinquorum, aut aliquam connexionem habentium. Septima dicitur *Cogitativa*; cujus actus est *cogitare*, seù transire ab uno cognito ad aliud circà sensibilia præsentia aliquatenùs discurrendo; non ità ut ipsa potentia sensitiva verè discurrat, inferendo ignotum ex noto; sed solùm ad cognitionem unius excitatur ab intellectu ad cognitionem alterius. His suppositis

Quæres 1°. An sensus internus sit unicus, vel multiplex? Difficultas est, an quælibet ex prædictis facultatibus distinguatur realiter ab aliis; an unicus realiter

sen-

sensus sufficiat ad omnia illa munera exercenda? Relictisquè variis sententiis. Dicimus; sensus internus est unus realitèr, solumquè in muneribus distinctus. Hæc est ferè communis apud nostrates, & plures alios. Estquè conformior principiis S. D. in 2. dist. 16. pèr totam; nàm eædem rationes, quibus probat intellectum, & voluntatem non esse potentias realitèr distinctas, probant in præsenti, potentiam sensitivam internam esse unicam realitèr potentiam.

Prob. ulteriùs: quoties actus, aut munera non sunt adæquata, sed inadæquata, non arguitur ex illis distinctio potentiarum, sed unica potentia ad omnia illa sufficiens est; sed actus, aut munera relata sunt inadæquata respectu sensus communis: ergo ad omnia illa non requiruntur plures sensus interni, sed unicus sensus internus, aut potentia sufficit. Prob. min. illi actus, seù munera sunt inadæquata, quæ conveniunt in aliqua ratione formali objectiva respectu illius potentiæ, cujus sunt actus, aut munera; sed omnia objecta prædictorum actuum sensus interni conveniunt in ratione communi sensibilis, quæ est ratio formalis propria objectiva, per quam sensus internus distinguitur ab externis: ergo tales actus, & munera sunt inadæquata respectu sensus interni; proindequè unicus sensus internus ad omnia illa munera sufficiens est.

Quæ ratio æquè probat, nec adhuc formalitèr istas potentias intèr se distingui; nàm ad distinctionem formalem potentiarum requiritur diversitas actuum adæquatorum, & non reducibilium ad unam rationem communem attingibilem ab unica potentia; pèr id enim arguimus distinctionem formalem intellectus à voluntate; quià actus adæquatus intellectus est intellectio ut sic, quæ non potest attingi à voluntate; & voluntatis volitio ut sic, quæ nequit attingi ab intellectu.

Quæres 2.° Quæ objecta percipere possit sensus internus? Resp. 1.° Percipere objecta sensuum externorum. Quod quidèm certisimum est, & constat experientia, qua videmus, quod etiàm bruta distinguunt colorem à

sa-

sapore; nàm canis v. gr. sæpè accurrit ad rem aliquam putans esse cibum; at cùm gustavit, aut olfecit, relinquit; quæ quidèm discretio solis sensibus externis fieri non potest, discretio enim intèr saporem, & colorem debet fieri à potentia utrumquè attingente, qualis est sensus communis: ergo hic attingit sensuum externorum objecta.

Resp. 2.° Sensum internum cognoscere convenientiam, vel disconvenientiam, amicitiam, vel inimicitiam objectorum sensatorum; non tamèn primis actibus. Prima pars à nemine negari potest; nàm etiàm bruta, v. gr. canes dominum insequentes, repetunt loca, ubi cibos invenerunt; fugiunt ab aliis, ubi aliquid mali perpesi sunt; quæ sunt signa cognitionis convenientiæ, & disconvenientiæ objectorum. Secunda pars; est D. S. cit. à Villa-Castin, & patet; quià bruta solùm cognoscunt convenientiam, vel disconvenientiam alicujus objecti post notitiam experimentalem de ipso, ut videtur in exemplis allatis de cane: ergo talia objecta primis actibus non percipiunt.

Resp. 3.° Sensus internus cognoscit actus sensuum externorum, & appetitus sensitivi. Prob. nàm experientia constat, bruta quærere illa, quæ amiserunt, in eodem loco, in quo priùs illa inveniebant; sed hæc inquisitio arguit, bruta recordari, se in illo loco vidisse objectum, & de illo delectationem percepisse, cujus desiderio moventur ad inquirendum illa: ergo sensus internus cognoscit actus sensuum externorum, & appetitus sensitivi.

Resp. 4.° Sensus internus etiàm percipit proprios actus. In hoc assertum magis inclinat D. S. in 4. dist. 45. Quæst. 3. §. *Sustinendo*, V. *Alitèr posset*, num. 12. Prob. experientia ipsa; nàm sæpè imaginamur, nos imaginatos fuisse; memoramur, nos fuisse memoratos; & somniamus, nos somniare; sed tales actus non eliciuntur ab aliquo sensu externo, qui solùm præsentia cognoscit; nec etiàm ab intellectu; nàm cum somniamus, nos somniare, impeditus est: ergo est actus sensus interni cognoscens alium actum sui ipsius.

Resp.

Resp. 5.° Sensum internum aliquomodò percipere negationes, & privationes. Ità S. D. in 1. dist. 3. Q. 3. §. *de Secundo*, ℣. *Ad instantiam*, in add. num. 10. Prob. nos enim verè concipimus, non videre in tenebris; imò ex tenebris incutitur in nobis horror quidam, & paritèr bruta cognoscunt carentiam cibi, aut filiorum; ideoquè magnum sentiunt dolorem, ipsumquè gemitibus, aut aliis signis explicant; sed hoc evidentèr convincit, sensum internum percipere carentiam: ergo.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Appetitu sensitivo.

Dari appetitum sensitivum prætèr rationalem, scilicèt, voluntatem; & paritèr diversum ab appetitu naturali, seù innato, qualis est lapidis ad ubi deorsùm, & materiæ ad formas: Constat primò; nàm Apostolus ad Rom. 7. ajebat: *Video autèm aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*; & ad Galat. 5. *Caro concupiscit adversùs spiritum.* Secundò: Experimur enim, bruta multa operari, quærendo sibi res delectabiles, fugiendo disconvenientia, & noxia. De hoc ergo appetitu

Quæres 1.° Quodnam sit ejus objectum? Resp. quo ad prosecutionem esse bonum, quo ad fugam verò esse malum. Prob. paritate ex voluntate desumpta; objectum enim voluntatis, quo ad prosecutionem est bonum, ità ut non possit ferri in malum sub ratione mali; & quo ad fugam est malum, ità ut non possit fugere bonum sub ratione boni; sed eadem est ratio de appetitu sensitivo: ergo objectum appetitus, quo ad prosecutionem est bonum; quo ad fugam verò est malum, & disconveniens. Quod debet intelligi non de bono honesto, sed de bono delectabili, & utili, sivè verum, sivè apparens sit, non in universali, sed in particulari.

Quæres 2.° An appetitus sensitivus sit unus, an multiplex? Resp. appetitum sensitivum esse multiplicem,

ità

ità ut cuilibet potentiæ cognitivæ, tàm internæ, quam externæ, correspondeat proprius, & peculiaris appetitus. Ità S. D. variis in locis à Villa-Castin citatis. Prob. Dolor, & delectatio sunt passiones ipsius appetitus: ergo ubi est dolor, & delectatio, ibi erit appetitus; sed dolor, & delectatio sentiuntur in omnibus sensibus: ergo etiàm in omnibus erit appetitus; consequenterquè, non unicus, sed multiplex erit.

Quæres 3.° Ubi appetitus internus, & communis resideat? Resp. residere in cerebro. Ità omnes Philosophi, & prob. nàm sensus internus in cerebro collocatur: ergo etiàm appetitus. Undè Arist. 3. de part. anim. cap. 4. ponit potentiam appetitivam in corde, quià in illo collocavit etiàm potentiam cognitivam; nos verò cum cæteris hanc in cerebro collocavimus: ergo &c.

Appetitus sensitivus communis dividitur in concupiscibilem, & irascibilem: illo prosequimur bonum, & conveniens, & fugimus malum, & disconveniens; isto verò versamur circà impediens asequutionem boni, & circà ofendens, intendendo illud superare, & vincere. Hinc dubitabis; an isti appetitus sint una, & eadem potentia; an verò sint duæ potentiæ realitèr distinctæ? Resp. esse unam, & eamdem realitèr potentiam, quæ respicit diversa objecta inadæquata, & diversas funtiones exercet. Est contrà Thomistas; & prob. Tùm; quià in naturalibus eadem potentia, v. gr. eadem gravitas facit fugere à loco sursùm, movet lapidem, v. gr. ad deorsùm, & repellit, quæ impediunt talem motum: ergo similitèr in appetitu eadem potentia prosequitur bonum, fugit malum, & repellit impedimentum ad utrumquè. Tùm tamèn; quià voluntas est simùl concupiscibilis, & irascibilis, etiam secundùm Thomistas: ergo etiàm idem realitèr appetitus sensitivus erit concupiscibilis, & irascibilis. Circà actus utriusquè AA. consulite.

Post appetitum sensitivum agendum est de potentia locomotiva, quæ est communis omnibus animalibus, distinctaquè realitèr ab appetitiva, & cognitiva; nàm istæ sunt in determinato organo, scilicèt, in cerebro, aut

corde; illa verò est diffusa ferè pèr totum corpus. De ipsaquè inquires: An sit activa? Resp. affirmativè, contrà aliquos Thomistas docentes, potentiam locomotivam solùm esse passivam; & prob. quià actus se movendi localitèr à nulla alia potentia potest esse productus, quàm à locomotiva: ergo hæc est activa istius actus.

QUÆSTIO TERTIA.

Resolvuntur aliqua dubia de habitibus naturalibus.

Cum enim habitus naturales communitèr in potentiis animæ sensitivæ ponantur; ideò congruentèr de ipsis hic agimus, Quæresquè 1.° Quid sit habitus naturalis? Respondetquè S. D. in 1. dist. 17. Quæst. 3. §. *Qui vult*, n. 11. & in 4. dist. 6. Quæst. 10. §. *Respondeo*, pèr totum: *Habitus est qualitas quædam de prima specie qualitatis, permanens, disponens subjectum, non quidem ad simplicitèr agendum, sed ad promptè, facilitèr, & expeditè agendum, ex frequentatione actuum acquisita in potentiis animæ.*

Quæres 2.° In quibus detur habitus? Et supposito innanimata non operari ex habitu, ut docuit Arist. 2. Ethic. cup. 1. estquè certum apud omnes. Resp. 1.° In potentiis sensitivis externis non dari habitus. Ità Arist. cit. ubi ait: *Non enim ex eo, quia vidimus, vel audivimus, sæpè sensus accipimus.* Prob. nàm hujusmodi potentiæ nullam habent indifferentiam, imò nèc intensionem circà objecta: ergo non habent majorem facilitatem, quàm illam, quàm semèl habuerunt; & consequentèr non acquirunt habitum.

Resp. 2.° Non datur habitus in potentia locomotiva, & consequentèr nèc in membris externis. Ità S. D. in 4. dist. 49. Quæst. 14. §. *Quartò est videndum*, per totum num. 10. estquè contrà aliquos Scotistas. Prob. quià si daretur habitus in potentia locomotiva, & in membris externis, v. gr. in manu ad scribendum, & citharizandum, deberet dari aliquis actus, mediantè, quo produce-

ceretur; quià ad habitum requiritur activitas actuum; sed actus potentiæ motivæ nequeunt generare habitum: ergo. Prob. min. tales actus sunt motus locales; sed motus localis non est principium sufficiens producendi habitum: ergo. Prob. min. motus localis, sivè formalitèr, sivè materialitèr sumptus, scilicèt, pro forma fluente, quæ est ubi acquisitum, est respectus; sed respectus nequit habitum producere. Tùm; quià est de genere sterilium. Tùm; quià est imperfectior: ergo motus localis non est principium sufficiens producendi habitum; & consequentèr non datur habitus in potentia locomotiva.

Resp. 3.° In intellectu, & voluntate datur habitus; itèm in sensu interno, & appetitu sensitivo, tàm hominis, quàm bruti. Ità S. D. in 3. dist. 32. §. *Secunda ratio*, per totum, num. 7. Et quidèm de intellectu, & voluntate nullus dubitat repetitione actuum illum ad scientias, istamquè ad virtutes, & vitia facilitari, seù habitum acquirere. Prætereà de sensu interno probatur. Tùm; ex D. Aug. lib. 83. Quæst. 36. ubi ait: *Bruta consuetudine mansuescere*. Tùm; ex operationibus, quas bruta pèr disciplinas addiscunt. Deniquè prob. de appetitu sensitivo: bruta enim, & homines, qui res sensibiles sæpiùs exercent, magna difficultate retrahuntur ab illis; & magna facilitate illa prosequuntur: ergo datur habitus in appetitu sensitivo hominis, & bruti.

Quæres 3.° Quænam sit caussa naturalis, proxima, & immediata habituum acquisitorum productiva? Resp. esse actus consimiles illis, in quos habitus inclinant. Ità S. D. in 1. dist. 17. Quæst. 2. §. *Contrà istam*, num. 10. Prob. actus voluntatis totalitèr producit habitum, non autèm voluntas: ergo. Prob. antec. si enim voluntas habitum produceret, liberè illum produceret; sed hoc est falsum, quià possito actu virtutis, vel vitii, non est in potestate voluntatis, quod habitus non generetur: ergo habitus non à voluntate, sed ab ejus actu producitur.

Qaæres 4.° Qualitèr habitus concurrat ad actus? Resp. concurrere effectivè. Ità S. D. ubi suprà, & alibi; est-

estquè communis Thomist. & aliorum. Prob. primò: ex D. Aug. lib. de Bono conjugii, cap. 1. ubi ait: *Habitus est, quo aliquid agitur.* Et ex Arist. 6. Ethic. cap. 4. definiente artem, quod sit *habitus cum recta ratione factivus.* Secundò prob. ratione; potentia habituata minorem conatum, seù influxum adhibet ad producendum actum, majoremquè, si habituata non est: ergo signum est, quod à habitu juvatur efficientèr ad actum producendum. Et si deniquè quæras, quomodò habitus corrumpantur? Resp. corrumpi effectivè ab actibus contrariis. De quo nullus dubitat.

DISPUTATIO SEXTA.

De Brutorum Anima.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm Bruta sint mera automata, an polleant Anima sensitiva; & utrùm ista sit materialis, an spiritualis?

Cartesius, aliiquè ante ipsum brutis animam negant, illaquè mera automata esse affirmant. E contrà Pythagorici brutis animam rationalem concedunt; à quibus non multum discrepant RR. pleriquè, qui animam brutorum spiritualem esse, sed rationali inferiorem, & ad solas res materiales cognoscendas determinatam affirmant. Gassendus, aliiquè Atomistæ animam brutorum constituunt in parte quadam subtiliori, ignea, & spirituosa, quam appellant flammulam, vel oleum, aut spiritum, vel salem tenuisimam, aut florem sanguinis, jugi motu pèr totum corpus diffussum. Nos tamèn cum omnibus Peripateticis

Dicimus, bruta non esse mera automata, sed habere animam sensitivam, quæ nèc consistit in flammula quadam, aut spirituosa particula, nèc est rationalis, nèc spiritualis, quomodocumquè id accipiatur, sed est forma absoluta, substantialis, materialis, rerumquè materia-

rialium cognoscitiva, & appetitiva. Conclusio habet quinquè partes invicèm nexas. Prob. prima pars: Bruta vivunt, sentiunt, cognoscunt, appetunt, memoriam habent, & oblivionem patiuntur; sed hæc omnia explicari non possunt, si sunt mera automata, sinè anima: ergo. Maj. ex suprà dictis, & quotidiana experientia constat; min. etiàm est certa; nullus enim adhuc fuit ità demens, ut diceret, automata mortua, vivere, sentire, &c.: ergo.

Prob. secunda pars: Si bruta viverent, sensationesquè haberent ab atomorum textura, à flammula illa, à flore sanguinis, à spiritibus vitalibus, cæterisquè hujusmodi, viverent à principio non vitali; sed quod non est vivens, nequit esse ratio, pèr quàm bruta vivant: ergo prædictis principiis non vivunt. Prob. sequela maj. Si atomi, & principium essent vitale, omnia corpora viverent; nàm omnia, juxtà Atomistas, atomis constant; hoc enim est contrà experientiam: ergo &c.

Prob. tertia, & quarta pars: Nulla ratio, nullaquè experientia probat, animam brutorum esse rationalem, & spiritualem; imò contrarium omninò patet: ergo anima brutorum nèc rationalis, nèc spiritualis est. Prob. antec. Primò; quià RR. rationes nullius sunt roboris, & à quolibet resolvi possunt. Secundò; quià si talis anima esset rationalis, brutum esset animal rationale, sicut homo; non diceretque Psalmista Psalm. 31. ℣. 9. *Nollite fieri, sicut æquus, & mulus, quibus non est intellectus.* Tertiò; si prædicta anima esset spiritualis, esset etiàm immortalis, & æterna; ut dicunt etiàm RR. de anima rationali loquentes; quod quidèm rationi, & fidei opponitur: ergo anima brutorum nèc rationalis, nèc spiritualis est.

Prob. quinta pars: Bruta habent animam viventem; sed hæc nèc est rationalis, nèc spiritualis &c. ut diximus: ergo est anima materialis. Maj. est expresa in lib. Gen. cap. 1. ℣. 20. *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile supèr terram*; & ℣. 24. *Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia, & bes-*

bestias terræ, & ℣. 30. *Cunctis animantibus terræ, omniquè volucri cœli, & universis, quæ moventur in terra, & in quibus est anima vivens.* Hoc idem millies repetitum invenitur in Scripturis, & PP.: ergo bruta animam materialem habent, quæ cum sit substantia, debet esse forma absoluta, cum eorum corpore unum per se constituens.

Hic deniquè objicienda erant quamplura RR. argumenta, quibuscum ipsi contrà nos procedunt, quosquè longo calamo noster proponit, & resolvit Ferrari; sed, ni fallimur, omnia à summulista Peripatetico solvi possunt. Quod ut feliciùs absolvi possit, advertite cum Mag. P. Aug. brutorum animam multotiès in Scriptura appellari spiritum; quod quidèm omnes DD. cum ipso, non de anima spirituali intelligunt, sed de spiritu latè sumpto pro halitu, seù respiratione, quo etiàm in sensu David aërem vocat spiritum dicens: *Spiritus procellarum*; & *Os meum aperui, & attraxi spiritum.*

DISPUTATIO ULTIMA.

De Anima rationali in ordine ad corpus.

QUÆSTIO PRIMA.

Quædam dubia de Animæ rationalis informatione resolvuntur.

Quæres 1.° An anima rationalis sit forma corporis? Resp. affirmativè contrà aliquos antiquos Philosophos asserentes animam rationalem esse corpori præsentem pèr solam *assistentiam*, illudquè movere, ac regere, ut sessor æquum, & nauta navem. Prob. 1.° Clemens V. in Concilio Viennensi damnavit asserentes, animam rationalem non esse formam corporis humani pèr se, & essentialitèr. Et Leo X. in Concilio Lateranensi V. iterùm confirmavit animam intellectivam esse verè, pèr se, & essentialitèr humani corporis formam: ergo. Prob. 2.° ratione; quod solùm est alicui præsens pèr solam assis-

ten-

tentiam non facit cum illo unum pèr se, nèc illi tribuit aliquam denominationem; sed anima rationalis intrinsecè denominat corpus vivens, unumquè pèr se cum illo constituit: ergo anima rationalis non est in corpore pèr solam assistentiam, sed est forma ipsius &c.

Quæres 2.° Quomodò exponi possit unio animæ cum corpore? Cartesius cum aliis RR. illam explicat pèr hypothesim caussarum occasionalium, ipsiquè negat omnem influxum in corpus; sed dùm istius sensus moventur, Deus excitat determinatas in anima ideas, iisquè excitatis, unum, vel alterum in corpore motum ipse efficiat. Leibnitius verò, & Wolfius, aliiquè docent, corpus, & animam esse duo automata cujus operationes sibimet correspondent non pèr influxum physicum animæ in corpus, sed pèr naturam ipsam, & essentiam hujus numero animæ, & istius numero corporis. Hocquè Systema appellatur Harmoniæ præstabilitæ. Nos tamèn

Dicimus unionem animæ cum corpore præseferre realem animę influentiam in corpus, nèc explicari posse pèr hypothesim caussarum ocassionalium, aut pèr Systema Harmoniæ præstabilitæ. Probantur omnia hæc simùl. Unio animæ cum corpore talis est, qualem Concilia, & PP. docuerunt; sed Concilia, & PP. docuerunt esse unionem in sensu Peripatetico: ergo ità est. Prob. min. nàm Concilia, Viennense, & Lateranense nomen formæ acceperunt in sensu Peripatetico Philosophis, ac Theologis ea ætate communi; imò quià Concilia, ut hæreses damnent, & fidei dogmata constituant. SS. PP. sententiam, & traditionem consulunt, & sequuntur; sed nèc unus quidèm ex SS. PP. extat, qui contrariam nobis opinionem tradat, aut RR. placitis consona scribat: ergo &c.

Quæres 3.° An anima rationalis reduplicativè ut talis, & secundùm gradum intellectivæ informet corpus? Resp. affirmativè. Ità S. D. in 4. dist. 43. Quæst. 2. §. *De secundo*, num. 6. & deinceps. Et est ferè communis sententia. Prob. homo ut talis essentialitèr distinguitur à brutis pèr gradum rationalitatis, ut est evidens: ergo anima rationalis, reduplicativè ut talis, est forma informans

mans corpus hominis. Prob. conseq. esse specificum habetur à forma, ut informante: ergo anima secundùm rationem, qua dat esse specificum, debet informare; & consequentèr ut rationalis.

Quæres 4.° Quandonàm rationales animæ à Deo creentur, & corporibus infundantur? Wolfius aliiquè RR. putant in prima rerum creatione omnes rationales animas conditas fuisse; & etiàm tradunt, tunc omnia corpora humana à Deo effecta fuisse in Adami, vel Evę corporibus, complicata tamèn, & confusa. At Concilium Lateranense V. hunc errorem, antequàm nasceretur, præfocavit, definiens: *Animam intellectivam pro corporum, quibus infunditur, multitudine, singularitèr multiplicabilem esse, & multiplicatam, & multiplicandam.* Quod ipsum SS. PP. docuere. Undè S. Aug. Epist. 2. ad Optatum Milevitanum eidem scribit: *Adversùs eos omnibus modis defende, & tuere, Deum fecisse animas, facere, & facturum esse.*

Quæres 5.° An unica sit anima in homine? Manichęi duas animas in homine, unam bonam à Deo bono, alteram malam à Deo malo creatam, docebant. Quem crassum errorem damnavit octava Synod. Generalis Can. 11. Plato autèm tres animas in homine ponebat; rationalem in cerebro, sentientem in corde, & vegetantem in hæpate; à quo non multum discordat Gassendus pòst Epicurum. Thomistæ verò solam rationalem animam in homine concedunt; at in ejus generatione ajunt, fœtum ipsius priùs vivere anima vegetativa, deindè anima sensitiva, & deniquè rationali. Contrà quos omnes

Dicimus, in homine unicam esse animam; solam nempè rationalem, quæ alias animas virtute sua continet, ut exhibere valeat earum effectus; undè nèc successivè existunt in homine tres animæ. Ità S. D. in 2. dist. 1. Quæst. 1. sub litt. O. estquè communis PP. & Theologorum; & prob.: nàm lib. Eccl. dogmat. cap. 15. hæc habentur: *Nèc duas animas esse, dicimus, in homine::: unam animalem, qua animetur corpus, & inmixta sit sanguini; & alteram spiritualem, quæ rationem ministrat;*

sed

sed dicimus, unam esse, eamdemquè animam in homine, quæ, & corpus sua Societate vivificet, & semetipsam sua ratione disponat.

Deindè prob. ratione etiàm contrà Thomistas: Non sunt multiplicandæ animæ sinè necessitate; sed nulla est necessitas ponendi in homine tres animas, adhuc in ejus generatione: ergo. Probat. min. sola anima rationalis, utpotè perfectior, potest præstare effectus aliarum: ergo cæteræ superfluunt: ergo sola anima rationalis inducitur etiàm in hominis generatione; falsumquè est, fœtum priùs vivere vita plantæ, deindè vita sensitiva, & deniquè rationali; sed ubi vivit, vita vivit rationali; aliàs tunc nèc esset homo, nèc subjectum Baptismi, non diceretquè Rituale Romanum: *Si mater prægnans mortua fuerit, fœtus quamprimùm cautè extrahatur, ac si vivus fuerit, baptizetur*: ergo &c.

Quæres deniquè, quomodò anima rationalis contineat virtualitèr vegetativam, & sensitivam? Resp. ipsas virtualitèr continere non solùm in genere caussę efficientis, sed etiàm in genere caussæ formalis. Ità S. D. variis in locis hic à Villa-Castin cit. Et quidèm de continentia in genere caussæ efficientis nullus dubitat, videmus enim, animam rationalem eosdem effectus vegetandi, & sentiendi producere in nobis, ac vegetativa in plantis, sensitivaquè in brutis: ergo. Prob. verò continentia in genere caussæ formalis; anima rationalis in genere caussæ formalis, seù pèr exhibitionem suæ entitatis præstat eosdem effectus formales, ac vegetativa, & sensitiva: ergo utramquè continet virtualitèr in genere caussæ formalis. Prob. antec. nàm anima pèr exhibitionem suæ entitatis constituit hominem formalitèr vegetativum, & sensitivum; sed hi sunt effectus formales vegetativæ, & sensitivæ: ergo &c.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Potentia intellectiva, & ejus actibus.

Quæres 1.° Quid sit intellectus agens, & possibilis; & quæ utriusquè munera? Et supposito, intellectum esse potentiam inorganicam animæ rationalis potentem elicere intellectionem. Resp. intellectum possibilem, seù passibilem appellari talem, quià est principium susceptivum specierum, seù est in potentia passiva ad illas. Intellectus verò agens dicitur talis, non quià producit intellectionem, seù speciem expressam, sed quià est principium effectivum specierum impressarum intelligibilium.

Quæres 2.° Quomodò intellectus agens, & possibilis distinguantur? Resp. distingui solùm ratione, aut penès diversa connotata, vel officia. Ità S. D. Quæst. 13. de Anim. in fine. Prob. ideò formalitèr distinguerentur intellectus agens, & possibilis, quià alter producit speciem impressam, alter verò ipsam recipit; sed ad hoc sufficit distinctio penès connotata, vel munera: ergo. Prob. min. idem formalitèr intellectus est agens respectu intellectionis, seù speciei expressæ, quià illam producit, & passivus, quià illam in se recipit: ergo à pari &c.

Quæres 3.° An solus intellectus agens, an verò simùl phantasma producat species intelligibiles? Resp. non solùm intellectum agentem, sed phantasma quoquè partialitèr activè ad speciei intelligibilis productionem concurrere, & quidèm in genere caussæ principalis. Est Scoti apud Villa-Castin; & prob. species impressa intelligibilis in suo ordine est similitudo objecti; sed hoc prædicatum nequit habere ex influxu effectivo solius intellectus agentis: ergo debet adesse influxus objecti mediante specie, seù phantasmate. Maj. est evidens; min. verò prob. à caussa indifferenti, ut tali, nequit similitudo determinati objecti provenire; sed intellectus se solo est caussa indeterminata, & nullius objecti continens similitudinem: ergo hæc similitudo à solo influxu

in-

intellectus agentis haberi non potest: ergò habetur à phantasmate.

Undè species intelligibiles, & sunt productæ ab intellectu agente, & etiàm à phantasmate. Ab illo ut spirituales sunt, & ab ista ut similitudines sunt objectorum. Et si inquiras, cur phantasma agit tantùm ut simile, & non ut corporeum? Resp. duplici de caussa. Prima; quià effectus productus est capax similitudinis, sed non corporeitatis, cum sit spiritualis. Secunda; quià si caussaret ut corporeum, illa species non posset in intellectu recipi, qui spiritualis est; & aliundè impediret efficientiam intellectus, quod repugnat caussæ minus principali. Quarè munus intellectus agentis solùm est pèr suam actionem abstractivam speciei illustrare, illuminare, seù elevare phantasma ad secum producendam speciem intelligibilem; in qua redditur actu intelligibile, quod anteà in phantasmate erat solùm intelligibile in potentia. Munus verò intellectus possibilis solùm est recipere speciem impressam; reliqua verò munera non conveniunt illi, ut agenti, vel possibili; sed producere intellectionem competit illi, ut activo, vel agenti; recipere illam, ut passivo; tendere media illa, ut operativo.

Quæres 4.° Quodnàm sit objectum adæquatum nostri intellectus? Resp. 1.° Objectum adæquatum terminativum intellectus secundùm naturalem attingentiam est ens reale finitum, non dicens ordinem ad Deum sub propria ratione Deitatis. Ità S. D. in 1. dist. 3. Quæst. 3. art. 2. Prob. illud est objectum adæquatum intellectus secundùm naturalem attingentiam ex natura potentiæ, ad quod, & quodlibet contentum sub illo distinctè, & quidditativè potest intellectus se extendere; sed hoc modò nequit intellectus se extendere nisi circà ens finitum, non dicens ordinem ad Deum sub propria ratione Deitatis: ergo. Maj. est certa: prob. min. nàm quodlibet ens finitum sivè sit absolutum, sivè respectivum, dummodò terminus ejus non sit Deus sub ratione propria Deitatis, est proportionatum intellectui creato; & omne tale ens potest naturalitèr quidditativè, & secundùm

dùm propriam ejus rationem attingere : ergo.

Resp. 2.° Objectum adæquatum terminativum intellectus secundùm naturalem ejus inclinationem est ens reale in tota sua latitudine, ut comprehendit finitum, & infinitum. Ità S. D. cit. & in 4. dist. 49. Quæst. 8. §. *Videtur*, num. 4. Prob. quià illud est objectum adæquatum alicujus potentiæ, in quod, & omnia sub illo contenta potentia illa tendere potest ; sed intellectus creatus potest, non solùm ens finitum, sed etiàm infinitum sub propria ratione attingere, cum sit capax cognitionis intuitivę, tamquàm perfectionis sibi maximè convenientis: ergo objectum adæquatum terminativum nostri intellectus secundùm naturalem ejus inclinationem est ens reale ut sic, prout comprehendit finitum, & infinitum.

Resp. 3.° Objectum motivum nostri intellectus ex natura potentiæ secundùm naturalem attingentiam est ens reale, finitum, absolutum, ut tale formalitèr. Ità S. D. in 1. dist. 3. Quæst. 3. §. *Quantum*, num. 8. Prob. objectum formale est illud, à quo solo, & à nullo alio potentia moveri potest; sed intellectus ex natura potentiæ à solo ente absoluto sub ratione talis, & à nullo alio moveri potest: ergo. Prob. min. à solo illo potest intellectus moveri, quod potest imprimere speciem, & cum ipso concurrere ad producendam sui notitiam; sed solùm ens reale absolutum id potest: ergo. Prob. min. nàm ens rationis, cum sit nihil, nequit speciem, aut cognitionem sui producere. Deindè, passiones, & ultimæ differentiæ, aliaquè hujusmodi, quæ non sunt formalitèr entia, nequeunt ens formalitèr, quales sunt species, & cognitiones caussare. Tamèn, relationes, cum sint imperfectiores ente absoluto, nequeunt speciem producere; nàm species impressa est quid absolutum : ergo sola ratio entis absoluti, ut talis, est objectum motivum intellectus in hoc sensu.

Resp. 4.° Objectum motivum intellectus ex natura potentiæ secundùm naturalem ejus inclinationem est ens reale absolutum, ut tale, commune finito, & infinito. Hæc conclusio respectivè probanda, & intelligenda est

sicut

sicut præcedens; & ex illa sequitur adhuc, attributa, & relationes Divinas non posse esse objectum motivum nèc intellectus Divini, nèc creati; quià non sunt quidditativè, & essentialitèr entia.

Resp. 5.° Objectum motivum nostri intellectus pro statu isto est quidditas rei formalitèr, & per se sensibilis. Ità S. D. sæpè, sed clariùs in 1. dist. 3. Quæst. 3. §. *Sed contrà*, ℣. *Respondeo objectum*, num. 24. ubi ait: *Pro statu isto ei* (intellectui) *adæquatur in ratione motivi quidditas rei sensibilis.* Estquè communis Thomistarum, & prob. Objectum motivum est illud, quod formalitèr movet potentiam, cum ipsa concurrens ad cognitionem sui ipsius; sed hujusmodi est respectu intellectus nostri pro statu isto quidditas rei pèr se, & formalitèr sensibilis: ergo. Prob. min. intellectus noster pro statu isto dependet in operari à sensibus, tùm internis, tùm externis; sed solùm quidditas rei sensibilis per se, & formalitèr movet sensus, & mediis sensibus intellectum: ergo sola quidditas rei sensibilis pèr se, & formalitèr est objectum motivum nostri intellectus pro statu isto.

Resp. 6.° Objectum terminativum intellectus nostri pro statu isto est quidditas rei sensibilis ut sic, præscindendo à sensibili formalitèr, & pèr se, & sensibili per aliud. Ità S. D. in 1. cit. & prob. objectum terminativum potentiæ debet attingi ab ipsa sub ratione formali specificativa; sed ratio formalis specificativa intellectus pro statu isto est quidditas pèr se, & formalitèr sensibilis: ergo omne, quod attingitur ab intellectu pro statu isto, debet aliquomodò cadere sub quidditate rei sensibilis; & consequentèr objectum terminativum erit quidditas rei sensibilis ut sic.

Undè resolves cum nostro Villa-Castin: Primò; quod pro statu isto de illis rebus, quæ non sunt pèr se, & formalitèr sensibiles, possumus habere conceptus communes, aut proprios ex communibus, non tamèn proprios ex propriis; nàm hi solùm habentur de re immediatè præsente, vel pèr speciem ejus propriam, quomodò nequit

quit esse præsens res, quæ non est pèr se, & formalitèr sensibilis, ut patet. Secundò; pro statu isto de sensibilibus communibus conceptum proprium ex propriis haberè possumus; quià licèt sensibilia communia non immittant propriam speciem, tamèn species sensibilis proprii verè repræsentat sensibilia communia, quod sufficit, ut de illis conceptum proprium ex propriis habeamus. Tertiò; pro statu isto nos singularia materialia abstractivè, non intuitivè cognoscimus; non enim illa in seipsis immediatè cognoscimus, quod requiritur ad cognitionem intuitivam; sed mediis speciebus, quæ est cognitio abstractiva.

Quartò; singulare materiale, & sensibile à nobis concipitur pro statu isto conceptu proprio, saltim à communi distinto; nàm verè cognoscimus, Petrum esse singulare distinctum à Paulo; at hic conceptus, vel species non est ità propria, ut singulare repræsentet reduplicativè sub propria ratione singularitatis; quià hęc differentia nobis ignota est, solumquè discernimus singularia pèr accidentia extrinseca, scilicèt, pèr diversitatem coloris, figuræ, &c. Quintò; naturalitèr loquendo, tàm in prima motione, id est, in acquisitione specierum, & prima intellectione facta pèr ipsas, quàm in secunda motione, scilicèt, post acquisitionem specierum, & primam intellectionem necessaria est conversio intellectus ad phantasma; quæ quidèm dependentia, & alligatio intellectus ad phantasiam data est nobis in pœnam originalis peccati; proindequè ab ipsa possumus à Deo dispensari, ut visum fuit in aliquibus Sanctis, in extasi perfecta multotiès rapti.

Quæres 5.° In quo consistat formalitèr intellectio? Resp. 1.° Intellectio formalitèr non consistit in passione, seù in receptione speciei impressæ, aut intellectionis. Ità omnes communitèr cum S. D. & patet ex ipso; quià species manent in intellectu, imò, & in aliis potentiis vitalibus, ut in sensu interno, etiàm quandò vitalitèr non operantur: ergo intellectio non consistit formalitèr in receptione speciei intelligibilis; sed nèc etiàm consis-

sistit in receptione intellectionis. Patet; quià de ratione intellectionis est exprimere objectum, ità in illud tendendo, ut intellectus cum illo intentionalitèr uniatur; sed pèr receptionem intellectio respicit subjectum, scilicèt, intellectum, non autèm objectum: ergo intellectio non consistit formalitèr in receptione.

Resp. 2.° Intellectio non est vera, & propria actio verbi mentalis productiva. Ità S. D. pluribus in locis à Villa-Castin cit. Prob. Si intellectio esset actio, intelligere esset producere, & agere; sed hoc est falsum: ergo. Prob. min. quià esse album, v.gr. est habere albedinem; non autèm illam producere: ergo esse intelligentem non est producere intellectionem, sed vel eam recipere, vel potiùs per illam operari.

Resp. 3.° Intellectio formalitèr, & essentialitèr sumpta est quædam qualitas vitalis producta à potentia intellectiva media actione distincta, quæ *dictio* nuncupatur. Ità S. D. cit. & prob. prima pars ratione ipsius D. intellectio sicut, & quicumquè actus vitalis, est ens pèr se unum: ergo spectat ad aliquod prædicamentum; sed non ad substantiam, nàm intellectio adest, & abest; nequè ad quantitatem, quià hæc tantùm in corporibus, & etiàm in non viventibus reperitur; actus autèm vitalis solùm reperitur in viventibus, & etiàm in Angelis; nèc denique est aliqua relatio, nàm intellectio, & quilibet alius terminus à potentia vitali productus est forma viva, & ultima perfectio ipsius, ex Arist. 1. Ethic. text. 9. Relatio autèm est forma mortua, nèc potest esse ultima perfectio vitalis: ergo intellectio est qualitas de prima, vel tertia specie qualitatis.

Quod autèm pèr dictionem, tamquàm pèr actionem producatur, patet; quià intellectio produci debet aliqua actione; sed talis actio est dictio: ergo intellectio est qualitas absoluta pèr dictionem producta. Undè quandò intelligimus, tria reperiuntur, scilicèt, dictio, seù actus productivus; intellectio, seù actus operativus; & receptio, seù passio; nàm intellectus pèr dictionem reducit se ad actum intelligendi, tamquàm ad terminum,

qui

qui media passione in intellectu recipitur.

Quæres 6.° Quid sit verbum mentis? Resp. esse ipsam intellectionem, non autèm aliquid ab ea distinctum. Ità S. D. cum Discipulis, & aliis contrà Thomistas. Et prob. primò, ex D. Aug. 15. de Trinit. cap. 10. dicente: *Formata quippè cogitatio de eo, quod scimus, verbum est.* Et cap. 16. ait: *Cogitatio quippè nostra perveniens ad illud, quod scimus, atquè indè formata, verbum nostrum est.* Secundò ratione: Verbum mentis formalitèr nihil aliud est, quàm expressa objecti manifestatio; sed intellectio est formalitèr expressa manifestatio objecti: ergo verbum est formalitèr ipsa intellectio. Probat. maj. Filius æternus est verè, & simplicitèr Verbum Paterni intellectus secundùm fidem; sed hoc non alia ratione, nisi quià est expressa manifestatio objecti, scilicèt, Essentiæ Divinæ, ut docent Theologi: ergo verbum mentis est formalitèr expressa manifestatio objecti; & consequentèr est formalitèr intellectio.

Quæres 7.° In quo cognitio intuitiva ab abstractiva differat? Resp. differre ex parte principii. Notitia enim intuitiva petit caussari ab objecto in se immediatè præsente, & existente, & nullomodò species impressa potest esse ejus comprincipium; abstractiva verò è contrà petit caussari immediatè à specie impressa objecti. Ità Scotus, & Scotistæ contrà Thomistas asserentes, omnem notitiam, sivè intuitivam, sivè abstractivam fieri pèr speciem. Prob. impossibile est, cognitionem intuitivam haberi pèr aliquid eodem modò se habens, sivè objectum maneat, sivè non; sed species intelligibiles rem indifferentèr representant existentem, vel non existentem, præsentem, vel non præsentem: ergo nullatenùs concurrere possunt ad notitiam intuitivam. Maj. constat; notitia intuitiva tendit in objectum in se existens, ac immediatè præsens, nedùm specificativè, sed etiàm reduplicativè. Min. etiàm prob. nàm prædictæ species dependent quidèm in fieri ab objecto, sed non in conservari, ad distinctionem specierum visualium, vel audibilium: ergo &c.

Quæ-

Quæres 8.° An possit intellectus plura simùl intelligere? Resp. 1.° Potest intellectus propria virtute plura per modum plurium simùl cognoscere. Est Scotistarum, & aliorum contrà Thomistas; & probat.: quod convenit sensui, potiori jure convenire debet intellectui, qui est perfectior; sed sensus potest simùl cognoscere plura objecta disparata; nàm visus attingit simùl albedinem, nigredinem, rubedinem in eadem imagine; tactus simùl percipit mollitiem, duritiem, calidum, & frigidum, quæ sunt objecta disparata, imò opposita; deniquè sensus interior simùl ponit differentiam inter diversa objecta à sensibus externis percepta: ergo. Prob. 2.° Quià sæpè contingit, nos plura cogitare inter se varia, & prorsùs disparata, ut hominem, Angelum, lapidem, colorem, &c.: ergo intellectus tunc plura disparata simùl intelligit.

Resp. 2.° Nequit intellectus unico actu simùl attingere plura objecta disparata, sed pluribus. Ità S. D. Q. 8. de Anima, §. *Dicendum*, ℣. *Ad primum*, num. 4. ubi ait: *Intellectus noster unica intellectione non potest plura objecta intelligere, si sunt disparata.* Prob.: actus est naturalis, & formalis similitudo objecti; sed objecta disparata sunt inter se dissimilia, & valdè diversa: ergo non possunt pèr eamdem imaginem representari, & exprimi; & consequentèr pluribus actibus, non autèm uno petunt attingi.

Quæres 9.° An memoria intellectiva sit potentia ex natura rei distinta ab intellectu? Resp. negativè. Ità S. D. & Discipuli contrà Thomistas. Prob. nàm objecta, sivè præterita, & priùs cognita, sivè futura, vel præsentia eodem modò cognoscuntur: ergo ad eamdem formalitèr potentiam attinet hæc omnia cognoscere. Confirmatur; non datur duplex appetitus rationalis, alter pro objectis præteritis, & priùs cognitis, & alter pro aliis: ergo nèc duplex virtus cognitiva rationalis. Patet conseq.: nàm virtutes cognitivæ proponentes objectum ad appetendum multiplicantur simùl cum appetitivis.

Deniquè pro hujus quæstionis complemento aliqua

hic brevissimè dicenda sunt de tribus operationibus intellectus, & etiàm de comprehensione. Et primò; de simplici apprehensione resolves cum Villa-Castin, ipsam integram posse concipi propositionem, ut tenet communis sententia; simplici enim apprehensione percipimus extrema propositionis: ergo etiàm unionis. Secundò; in simplici apprehensione dari quidèm veritatem, non verò falsitatem; datur veritas; nàm actus simplicis apprehensionis est imago objecti; proindequè convenit illi conformitas cum ipso. Deindè non datur falsitas; ut enim ait Arist. 9. Metaph. cap. 8. text. 22. intellectus pèr conceptus simplices nèc falli, nèc decipi potest; sed potiùs non attingit, & ignorat objectum: ergo &c.

De judicio autèm resolves cum ipso Villa-Castin primò; judicium non distingui ab assensu, vel dissensu propositionis; nàm assentire alicui propossitioni nihil aliud est, quàm judicare, & affirmare illam ut veram; dissentirè verò è contrà: est judicare, & negare illam, ut falsam: ergo. Secundò; judicium affirmativum, & negativum habere eumdem objectum; aliàs hæ: *Petrus currit*, *Petrus non currit*, non essent contradictoriæ. Tertiò; judicium in se formalitèr esse actum omninò simplicèm, non verò ex pluribus compositum; eodem enim actu, quo percipimus unionem extremorum, & ipsa percipimus extrema: ergo &c.

De discursu etiàm resolves primò; esse actum realitèr, & essentialitèr ab apprehensione, & judicio diversum; quià actus assentiendi præmissis, qui est judicium, certè diversus est ab actu, quo assentitur conclusioni, qui est discursus. Ex quo resolves secundò; discursum formalitèr, & essentialitèr consistere in unico actu, scilicèt, in assensu consequentis, ut dependentis, & illati ex assensu antecedentis. In quo, ait Villa-Castin, tàm RR. quàm Veteres conveniunt.

Deniquè de Comprehensione resolves primò; quod comprehensio propria, & stricta est cognitio objecti non solùm secundùm omnia prædicata, & formalitates in ipso à parte rei repertas, sed etiàm secundùm omnes gra-

gradus cognoscibilitatis earum, ità ut nihil ejus lateat, & sit extrà intellectum cognoscentis; ideoquè totum objectum debet cognosci, imò, & totalitèr. Sed adhùc dubitant AA. an requiratur ad comprehensionem, quod etiàm cognoscantur, quæ virtualitèr, & eminentèr continentur in objecto; ut sunt effectus in caussa, & creaturæ in Deo? Respondeoquè negativè cum Scoto, & Scotistis asserentibus Verbum Divinum procedere ex cognitione comprehensiva Divinæ Essentiæ, non tamèn creaturarum; sed hæc continentur virtualitèr in Divina Essentia: ergo ad cognitionem comprehensivam non requiritur, quod etiàm cognoscantur, quæ virtualitèr in objecto continentur.

QUÆSTIO TERTIA.

De Voluntate.

QUæres 1.° Quodnam sit adæquatum voluntatis objectum? Resp. esse bonum ut sic, ut supponit, tàm pro ratione generali boni, quàm pro specificis, & individualibus; non sumiturquè bonitas pro accidentali, nèc prout est passio entis, sed prout est modus intrinsecus ejus; ità ut objectum formale voluntatis sit bonitas accepta pro integritate, & intrinseca perfectione rei. Ità Scotistæ aliqui apud Villa-Castin. Prob. conclusio sic explicata: potentia appetitiva, ut à cognitiva distinguitur, fertur in rem à se appetibilem, & sibi consentaneam; sed appetibilitas rei fundatur in ejus perfectione; proptèr ipsam enim res est appetibilis: ergo objectum formale voluntatis est bonitas rei sumpta pro integritate, & perfectione illius in suo esse.

Quæres 2.° An voluntas, saltèm de potentia Dei absoluta, possit ferri in objectum incognitum, seù non propositum sibi ab intellectu? Resp. negativè cum communi sententia; & prob. nulla potentia vitalis potest operari sinè objecto sufficientèr præsenti; sed voluntas est potentia vitalis: ergo adhùc Divinitùs non potest operari

sinè

sinè objecto sufficientèr præsenti. Modò sic; sed à solo intellectu potest ipsi objectum sufficientèr proponi, & fieri præsens: ergo. Prob. hæc min. quià hoc non potest fieri à Deo vicem supplente intellectus: ergo à nullo. Prob. ant. quià non sufficit ut objectum fiat voluntati quomodocumquè præsens, sed debet fieri præsens vitalitèr; sed hoc nequit fieri, nisi media cognitione intellectus; nàm Deus solùm posset objectum præsens ponere materialitèr, & entitativè: ergo &c.

Quæres 3.° Quomodò objectum, vel ejus cognitio ad actum voluntatis concurrat? Et supposito contrà Gotfredum, non ità efficientèr concurrere, ut sit caussa totalis actus voluntatis; ità ut ipsa merè passivè se habeat. Id enim expressè repugnat Trident. Sess. 6. Can. 4. ubi damnatur, dicens, liberum hominis arbitrium in justificatione merè passivè se habere. Undè dubium est, an cognitio, vel objectum cognitum concurrat efficientèr partialitèr? an verò ipsa voluntas totalitèr efficiat suos actus? Respondeoquè, utrumquè esse probabile. Et primò, quod concurrat, patet; nàm cognitio partialitèr efficitur ab objecto, saltim media specie impressa: ergo etiàm volitio ab objecto effici debet, saltim media cognitione. Secundò, quod non concurrat, etiàm patet; bonum non est objectum voluntatis secundùm esse, quod habet à parte rei, sed secundùm esse cognitum, & apprehensum: ergo ut sic nequit caussare aliquid reale, quale est volitio. De cognitione etiàm constat; nàm, quod est conditio respectu alicujus, nequit esse caussa illius; sed cognitio est conditio ad movendum voluntatem: ergo.

Quæres 4.° Quid, & quotuplex sit libertas? Liberum, aut libertas non sumitur hic pro spontaneo, ut contraponitur coacto, nèc prout idem significat, quod complacentia; nàm omne agens, quandò agit juxtà suam inclinationem, dicitur agere spontè, & non coactè; imò bruta, cum operantur juxtà inclinationem sui appetitus complacentèr operantur. Sed sumitur libertas, prout opponitur modo agendi naturali, & ad unum determina-

na-

nato, juxtà sensum Arist. 2. Physic. 49. dividentis principium activum per liberum, & naturale tamquàm pèr differentias essentiales, & intrinsecas.

Libertas autèm in hoc sensu triplex est. Prima est libertas contradictionis, seù exercitii, quæ est indeterminatio ad agendum, vel non agendum, possitis omnibus requisitis. Undè potentia sic libera est, quæ possitis omnibus requisitis ad operandum, potest operari, & non operari. Secunda est libertas contrarietatis, seù quoad specificationem, quæ est indeterminatio ad actus contrariè oppositos, ut velle, & nolle. Diciturquè specificationis, quià pèr eam potest voluntas elicere actus unius, & alterius speciei oppositos. Tertia est libertas essentialis, seù puri dominii, quæ non consistit in indeterminatione ad utrumlibet contradictoriè, aut contrariè oppositum; nàm habet annexam necessitatem respectu unius extremi; sed in dominio, quod habet suprà actum suum. Et hæc appellatur libertas essentialis. Tùm: quià omni voluntati, tàm increatæ, quàm creatæ, & respectu cujuscumquè objecti convenit. Tùm: quià est fundamentum cæterarum.

Hæc tertia species libertatis, valdè invissa Thomistis, probat. primò: Ex Philosopho 2. Perhyerm. cap. 3. de Modalibus; & 9. Metaph. text. 10. ubi tenet, quod necessitas non opponitur libero, sed contingenti: ergo necessitas non excludit nisi libertatem contingentiæ: ergo alia libertas cum necessitate composibilis est; & hanc vocamus libertatem essentialem. Secundò; ex D. Aug. in Enchirid. cap. 14. ubi, loquens de homine beato, sic ait: *Posteà verò sic erit, ut malè velle non possit, nèc ideò libero carebit arbitrio; multò quippè liberius erit arbitrium, quod non poterit servire peccato.* Itèm D. Anselmus, de Libero arbitr. cap. 1. ait: *Liberior igitùr est voluntas, quæ à rectitudine declinare nequit*: ergo necessitas non tollit, sed perfecit libertatem: ergo &c. Aliæ divisiones libertatis apud AA. videri valent.

Quæres 5.° Quænam sit radix liberta tis creatæ? Resp. 1.° Prima radix extrinseca libertatis creatæ non

est

est Omnipotentia, seù summa efficacia Dei, sed sola libertas Divinæ voluntatis; ità ut si per impossibile Deus libertate careret, haberet tamèn summam efficaciam, nulla daretur libertas creata. Est contrà Thomistas sustinentes radicem extrinsecam libertatis creatæ esse Omnipotentiam Divinæ Voluntatis. Prob. Si Deus ad extra ageret necessariò, vel nulla remaneret actio in caussis secundis, vel si adhuc agerent, necessariò agerent, & non contingentèr, & liberè: ergo Divina libertas est prima, & præcipua caussa libertatis nostræ. Prob. prima sequela; caussa prima, si naturalitèr agit, priùs naturalitèr respicit caussatum, quàm secunda; non solùm prioritate à *quo*, sed etiàm in *quo*: ergo in illo priori totalitèr se sola caussabit effectum; nàm sic ageret secundùm ultimum potentiæ, & nihil caussæ secundæ relinqueret agendum. Prob. secunda sequela: caussa movens in quantùm mota, si necessariò movetur, necessariò etiàm movet; sed caussa secunda agit in quantùm mota à prima: ergo si caussa prima necessariò ageret ad extrà, necessariò quoquè moveret, & impelleret caussas secundas ad operandum: ergo &c.

Resp. 2.° Radicem intrinsecam libertatis non esse indifferentiam judicii, sed ipsam indifferentiam activam voluntatis. Est etiàm contrà Thomistas. Et prob. primò; ex D. Aug. in Psalm. 123. ubi ait: *Ecce videmus quid sit agendum, & tamèn nollumus agere.* Itèm D. Bernard. de lib. arbitr. ubi inquit: *Voluntas, licèt non sit sinè ratione, tamèn contrà rationem potest eligere minus bonum.* Deniquè Arist. 3. Ethic. cap. 14. ait: *Voluntas incontinentis appetit id, quod non putat esse faciendum.* Secundò ratione; stante judicio practico determinatè dictante, Deum esse supèr omnia diligendum, voluntas manet ex se indifferens ad amandum, & non amandum; aliàs dilectio Dei non foret meritoria; cum non esset nobis libera, sed necessaria, stante illo dictamine: ex quibus omnibus hæc duo inferuntur: Primum, quod sublata indifferentia judicii, adhuc voluntas libera est: ergo non est libera ab indifferentia judicii. Secundum, volun-

ta-

tatem non determinari à judicio practico intellectus: igitur &c.

Quæres 6.° An voluntas sit libera, ut potentia productiva, an verò ut operativa? Id est; an sit libera, quià potest actum suum producere, & non producere? an verò quià potest tendere, & non tendere in objectum? Resp. esse liberam ut productivam, non verò ut operativam. Ità S. D. in 3. dist. 15. §. *Ulteriùs*, ℣. *Et si quæratur*, num. 14. ubi ait: *Voluntas ut voluntas libera est; sed ut nolens non est formalitèr libera, quià habet formam determinatam ad unum, quæ est nolitio.* Ex quo sic probat.: est certè in potestate voluntatis producere, vel non producere volitionem, aut nolitionem, vel ab ipsis cessare; & dùm ab ipsis non cessat, non est in ejus potestate, non operari volendo, aut nollendo: ergo libera est ut productiva, non verò ut operativa.

Quæres 7.° In quo formalitèr consistat libertas actus? Resp. esse solam denominationem extrinsecam, provenientem actui ex indifferentia proxima voluntatis. Hæc, ait Villa-Castin, videtur mens D. S. & prob.: libertas in actu correspondet in ratione termini libertati proximæ voluntatis in ratione principii; sed hæc libertas, ut proxima reduplicativè, non est voluntati ratio physica agendi, sed tantùm denominandi ipsam proximè liberè producentem modo libertatis accidentali: ergo non potest ex illa ut sic resultare in actu aliqua entitas relativa, vel absoluta, qua actus liber constituatur: ergo sola resultat denominatio quædam extrinseca.

Quæres 8.° An imperium sit actus intellectus, vel voluntatis? Resp. imperium esse actum voluntatis, non intellectus. Ità S. D. & Discipuli, & alii RR. Prob. 1.° Ex D. Aug. 8. de Civit. cap. 9. ubi ait: Voluntatem imperare in regno animæ. Et ex D. Anselmo, de Concept. Virg. cap. 4. ubi inquit, quod voluntas movet se contrà judicium aliarum potentiarum, quià omnes alias movet secundùm imperium suum. Prob. 2.° ratione: Imperium, & dominium idem sunt: ergo cui attribuitur dominium, debet convenire imperium; sed dominium tribuitur volun-

luntati; ipsa enim est, quæ habet dominium, nedùm supèr actus suos, sed etiàm supèr actus aliarum potentiarum; quià ipsa sola est libera, & indifferens pèr essentiam: ergo, & imperium.

Quæres 9.° Quomodò voluntas moveat potentias inferiores ad operandum? Docent Thomistę, illas pèr quandam qualitatem ipsis ab ea impressam movere; nos verò dicimus; ut potentiæ inferiores moveantur ex imperio voluntatis, sufficit identitas, conjunctio, & colligatio, quam habent potentiæ in eadem anima, & intèr se; ratione cujus pèr naturalem sympathiam potentiæ inferiores applicantur immediatè ad operandum, stante imperio efficaci voluntatis. Ità Scotus, & omnes Scotistę cum RR. Prob. quià plures potentiæ sunt in nobis, quarum una sinè alia non potest operari; nàm intellectus pro statu isto non potest operari sinè sensu, imò nèc sensus exterior sinè interiori, ut patet in dormientibus, aut non attendentibus; nàm ligatis sensibus internis, nihil pèr externos sentimus; & tamèn intellectus nihil influit in sensum, nèc sensus interior in exteriorem, nèc in ejus actum; sed sensus movetur ad operandum ex eo præcissè, quod conjunctus, radicatus, & colligatus est cum intellectu in eadem anima, & est ei omninò subordinatus, & ad ejus famulatum destinatus: ergo potentiæ inferiores, quæ sunt imperio voluntatis subjectæ, & ad illius famulatum destinatæ, poterunt moveri ad exequendum actum imperatum præcissè ob connexionem, quam habent intèr se, & cum anima.

Quæres 10.° An voluntas possit cogi, & vim pati in actibus suis? Resp. negativè cum S. D. estquè communis; & prob. Si voluntas posset à Deo cogi, & vim pati, vel esset immittendo illi aliquem actum, v. gr. volitionem, voluntate merè passivè se habente; vel immittendo illi volitionem resistenti, & nollenti volitionem habere, sed nolitionem? Si primum; voluntas non cogeretur, nèc vim pateretur; quià licèt volitio fieret ab extrinseco, scilicèt, à Deo; non tamèn fieret, resistente passo, sed solùm merè passivè se habente. Si secundum: ergo

tunc

tunc volens nollet, vel nollens vellet; sed hoc implicat: ergo voluntas non potest simplicitèr cogi, & vim pati in actibus ab ipsa elicitis; sed solùm in imperatis, ab aliaquè potentia elicitis, de quo nullus dubitat.

Quæres ultimo: An voluntas sit simplicitèr, & absolutè perfectior intellectu? Resp. affirmativè cum D.S. in 4. dist. 49. Quæst. 4. in quæstion. laterali per tot. cum suis comm initèr, & aliis pluribus contrà Thomist. Prob. primò: Quià sola voluntas est potentia essentialitèr libera; undè habet dominium, & suprà actus suos, & suprà actus aliarum potentiarum; sed hujusmodi dominium arguit excessum in perfectione: ergo. Secundò: Quià illa potentia debet censeri perfectior, quæ habet perfectius objectum, perfectioresquè actus; sed objectum, & actus voluntatis perfectiora sunt objecto, & actibus intellectus: ergo. Prob. min. Primò; nàm objectum voluntatis juxtà Thomistas est bonum, objectum verò intellectus verum; sed bonum est vero perfectius; perfectio enim entis pèr bonitatem explicatur: ergo. Secundò de actibus; nàm perfectissimus actus intellectus est Dei cognitio; voluntatis autèm Dei amor; iste autèm est perfectior illo. Tùm: quià cum amore est incompossibilis aversio à Deo; non verò cum cognitione illius. Tùm: quià odium Dei oppositum cum amore illius est pejus, quàm error, seù Dei ignorantia, quæ cum illius cognitione opponitur: ergo amor Dei superat cognitionem ipsius.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Anima rationali separata aliqua dubia proponuntur, & resolvuntur.

Quæres 1.° An status separationis sit naturalis animæ rationali, an violentus? Resp. statum separationis non esse violentum animæ, sed naturalem. Est D.S. & prob. quià illud est naturale rei, ad quod res illa naturalitèr propendet, & inclinatur; sed anima rationalis naturali-

tèr inclinatur ad statum separationis: ergo est ipsi naturalis. Prob. min. anima rationalis est immortalis, & æterna; ideoquè inclinatur in æternam sui conservationem: ergo naturalitèr inclinatur in statum separationis; nàm res, quæ inclinatur in aliquem finem, necessariò inclinatur ad id, quod est medium unicum ad talem finem; sed status separationis est medium unicum ad talem finem; quià secundùm cursum naturalem diutiùs existeret separata, quàm conjuncta cum corpore mortali: ergo naturalitèr appetit statum separationis; & consequentèr talis status est illi naturalis, & non violentus. Undè si, quià est forma corporis, est illi naturalis status conjunctionis cum ipso; quià æterna, adhuc est illi magis naturalis status separationis.

Quæres 2.° Quæ potentiæ perseverent in anima separata? Et supposito, perseverare intellectum, & voluntatem, ut omnes fatentur; difficultas solùm est de potentiis materialibus, & organicis. Resp. ergo, quod adæquatè non permanent in anima separata, benè verò inadæquatè, & partialitèr. Prob. prima pars; potentia organica, & materialis adæquatè sumpta, v. gr. visivà dicit essentialitèr illam animæ perfectionem, quæ est principium operandi ex parte animæ, & organum corporeum visus; sed hujusmodi potentia, sic adæquatè sumpta, destruitur, & deficit, cum anima separatur à corpore, ut patet: ergo potentiæ materiales, & organicæ adæquatè acceptæ non manent in anima separata. Probat. secunda pars; nàm potentiæ organicæ, sumptæ pro partiali animæ perfectione, realitèr identificantur cum anima intellectiva: ergo manent in anima rationali separata.

Quæres 3.° An species intelligibiles, & habitus hìc acquisiti perseverent in anima separata? Resp. affirmativè cum S. D. & communi sententia. Prob. nàm tàm species, quàm habitus acquisiti sunt quid spirituale in intellectu, vel voluntate nostra receptum, & non dependens à corpore in conservari: ergo tàm species, quàm ha-

habitus perseverabunt in anima separata à corpore. Intellige de speciebus, & habitibus cum statu gloriæ v. gr. composibilibus, & non de aliis; nàm ut ait Apostolus: *Cum advenerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est*: ergo &c.

Quæres 4.° Quæ objecta cognoscat anima separata, & pèr quas species? Omnes supponunt, animam separatam cognoscere, quæ priùs noverat in statu conjunctionis, & plura alia, quæ anteà non noverat. Undè difficultas est, quomodò illa cognoscat? Thomistæ ajunt, illa cognoscere pèr species novitèr à Deo infusas. Nos verò cum S. D. in 4. dist. 45. Quæst. 1. pèr tot. cum omnibusquè Scotistis, dicimus 1.° Anima separata cognoscit objecta priùs cognita pèr species priùs acquisitas, quibus anteà illa noverat. Probat. quià ad cognitionem abstractivam duo tantùm requiruntur, scilicèt facultas intellectiva, & species intelligibilis objecti; nàm colligatio, & conjunctio cum sensibus, & phantasmatibus est omninò accidentalis intellectui secundùm se considerato; sed intellectus habet species intelligibiles rerum anteà cognitarum, ut ipsi Thomistæ concedunt: ergo omninò superfluum est, species novitèr à Deo infusas ponere.

Dicimus 2.° Res anteà ignotas cognoscit anima separata pèr species talium objectorum ab intellectu agente elaboratas. Ità S. D. cit. Quæst. 2. per tot. Probat. quià objectum anteà ignotum, vel est spirituale, vel materiale? Si primum; non est necessaria species infusa; nàm objectum spirituale ità est proportionatum ad imprimendam speciem sui in intellectu, sicut sensibile in sensu. Si secundum; præstò adest intellectus agens; nàm munus intellectus agentis est, res materiales separare, & simùl cum illis species intelligibiles producere; nàm si intellectus agens, & phantasma materiale, & corporeum produceret speciem spiritualem, cur objectum materiale simùl cum intellectu agente non poterit illam producere? ergo non sunt necessariæ species à Deo infusæ.

Hæc-

Hæcquè pro nostri hujus Philosophici Compendii complemento sufficiant; quæ utinàm cædant in honorem, & gloriam Bsatissimæ Trinitatis, Virginisquè Immaculatæ Mariæ, & ejusdem Sanctissimi Sponsi Sancti Joseph, ac beatissimi N. S. P. Francisci, totiusquè Curiæ Celestis: Amen, amen.

Christiadum Cœtus, Christi qui militat armis, jàm sub judicium singula scripta vocet.

GLORIA PATRI, ET FILIO,

ET SPIRITUI SANCTO.

INDEX
TOTIUS OPERIS.

Philosophiæ Præludium. . . . . *Fol.* 1.

Dissertatio Proœmialis

In Philosophiam universim acceptam.

Quæst. I. *An Adam creatus fuerit à Deo cum omnigena rerum naturalium scientia?* . . . . . 4.
Quæst. II. *Sit nè apud nos vera Philosophia?* . . . . 6.
Quæst. III. *Quonam ex fonte hauserint Ethnici Philosophiam?* . . . . . 8.
Quæst. IV. *Expediat-nè Christiano Philosopho unicam eligere philosophandi Sectam, an vagari per omnes?* . . . . . 11.
Quæst. V. *Quæ Philosophantium Secta sit cæteris jure præponenda?* . . . . . 13.
Quæst. VI. *Utrùm Philosophia sit necessaria ad Theologiam?* . . . . . 17.
Quæst. VII. *Utrùm liceat philosophari posthabita Sacra auctoritate?* . . . . . 21.

Pars prima Philosophiæ, seú Logica.

Præfatio. . . . . 23.

Liber primus Summularum.

De veritate simplici primæ intellectus operationi respondenti.

Caput I. *De Termino in communi*. . . . . 25.
Digressio brevis: *De Signo, & illius divisionibus*. 26.
Cap. II. *Dividitur Terminus in mentalem, vocalem, & scriptum*. . . . . 28.
Cap. III. *Dividitur Terminus significativus ratione significationis, modi significandi, & rei significatæ*. . . . . 29.
Cap. IV. *De singulis terminorum affectionibus*. . . . 33.

Li-

LIBER SECUNDUS SUMMULARUM.

De veritate composita secundæ intellectus operationi correspondenti.

Cap. I. *De Nomine, verbo, & oratione*..... 35.
Cap. II. *De Propositione, & ejus divisionibus*... 37.
Cap. III. *De proprietatibus Propositionum*..... 40.

LIBER TERTIUS SUMMULARUM.

De veritate mediata, seù illativa tertiæ intellectus operationi respondenti.

Cap. I. *De Modo sciendi in communi*..... 43.
Cap. II. *De Definitione*..... ibid.
Cap. III. *De Divisione*..... 46.
Cap. IV. *De Argumentatione*..... 48.
Cap. V. *De Syllogismo*..... 51.
Cap. VI. *De regulis Syllogismorum*..... 55.
Cap. VII. *De divisione Syllogismi*..... 57.

LOGICA MAGNA.

Disputatio prima proëmialis de natura Logicæ.

Quæt. I. *Quid, & quotuplex sit Logica?*..... 60.
Quæst. II. *Utrùm, & quomodo Logica docens, & utens distinguantur?*..... 62.
Quæst. III. *Quodnam sit objectum Logicæ?*..... 64.
Quæst. IV. *Utrùm objectum formale Logicæ sit ens reale, vel rationis?*..... 69.
Quæst. V. *Utrùm Logica sit scientia?*..... 71.
Quæst. VI. *An Logica sit scientia practica, vel speculativa?*..... 76.
Quæst. VII. *Sit nè Logica simplex, vel composita qualitas?*..... 78.
Quæst. VIII. *Quodnam sit specificativum tribuens Logicæ distinctionem, & unitatem*..... 82.
Quæst. IX. *Utrùm, & quomodò sit necessaria Logica ad alias scientias acquirendas?*..... 83.

DIS-

DISPUTATIO SECUNDA.

De Ente rationis.

Quæst. I. *An, quid, & quotuplex sit ens rationis?* 85.
Quæst. II. *Quænam potentiæ possint efficere entia rationis?* ..... 88.
Quæst. III. *Per quos actus intellectus fiat ens rationis?* ..... 93.
Quæst. IV. *An intellectus Divinus cognoscat, & efficiat entia rationis?* ..... 97.
Quæst. V. *An denominationes extrinsecæ sint entia rationis?* ..... 101.
Quæst. VI. *An secundæ intentiones sint entia rationis?* ..... 103.

LIBER PRIMUS LOGICÆ MAGNÆ.

Disputatio Prima. De Idoneo Veritatis Criterio.

Quæst. unic. *Quodnam sit legitimum Veritatis dijudicandæ medium, seù Criterium?* ..... 106.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Natura communi.

Quæst. I. *Utrùm à parte rei præter singularia dentur naturæ communes, seù universales metaphysicæ?* ..... 110.
Quæst. II. *An naturæ communes existant extra sua inferiora?* ..... 114.
Quæst. III. *Utrùm naturæ habeant communitatem per inexistentiam, an verò per solam indifferentiam?* ..... 116.
Quæst. IV. *An communitas per indifferentiam conveniat naturæ à parte rei, vel solùm per opus intellectus?* ..... 120.
Quæst. V. *Quam unitatem habeant naturæ, quæ sunt communes à parte rei?* ..... 125.

Disputatio Tertia.

De Universali in actu, seù Logico.

Quæst. I. *In quo formaliter consistat universale Logicum?* ..... 131.
Dubium incidens: *An in actuali inexistentia, & prædicatione perseveret universalitas?* ... 133.
Quæst. II. *Per quam operationem intellectus fiat universale Logicum?* ..... 134.
Quæst. III. *Quotuplex sit universale?* ..... 136.
Quæst. IV. *An universale sit genus ad quinque universalia?* ..... 137.
Quæst. V. *An universalitas possit convenire naturæ à parte rei omninò immultiplicabili?* ..... ibid.
Quæst. VI. *Quodnam sit deffinitum in deffinitione universalis?* ..... 140.
Quæst. VII. *De singulis prædicabilibus.* ..... 141.
Quæst. VIII. *An individua in ratione communi individui univocè conveniant?* ..... 143.

Disputatio Quarta.

De Prædicamentis.

Quæst. I. *Quæ res in prædicamento reponantur?* ... 145.
Quæst. II. *Quot sint prædicamenta?* ..... 148.

Disputatio Quinta.

De Substantia primo prædicamento.

Quæst. I. *Quid, & quotuplex sit substantia, & quæ ejus ratio formalis constitutiva?* ..... 151.
Quæst. II. *An substantia corporea antecedenter ad quantitatem habeat partes extrà partes, & quomodò?* ..... 154.

Disputatio Sexta.

De Quantitate, & qualitate.

Quæst. I. *De natura, divisionibus, & proprietatibus quantitatis.* ..... 161.
Quæst. II. *De natura, divisionibus, & proprietati-*

bus

bus qualitatis. . . . . 164.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De ad aliquid, seù de relatione.

Quæst. I. *An, quid, & quotuplex sit relatio realis?* 165.
Quæst. II. *Quid sit relatio transcendentalis, & quomodò à prædicamentali differat?* . . . . . 168.
Quæst. III. *Quid sit, & in quo consistat relatio hujus prædicamenti?* . . . . . 170.
Quæst. IV. *An relatio hujus prædicamenti distinguatur realitèr à fundamento, termino, & ratione fundandi?* . . . . . 173.
Quæst. V. *An una relatio possit esse fundamentum alterius?* . . . . . 176.
Quæst. VI. *An multiplicatis numero terminis, multiplicentur numero relationes in eodem fundamento?* . . . . . 179.
Quæst. VII. *An relatio prædicamentalis terminetur formalitèr ad absolutum, an verò ad respectivum?* . . . . . 181.

DISPUTATIO OCTAVA.

De Sex ultimis prædicamentis.

Quæst. unic. *Quid formalitèr importent sex ultima prædicamenta, & quæ sint eorum definitiones?* 186.

LIBER SECUNDUS LOGICÆ MAGNÆ.

Disputatio Prima. De Veritate, & falsitate propositionum.

Quæst. I. *In qua aliqua dubia circà veritatem, & falsitatem propositionum ennodantur.* . . . . . 188.
Quæst. II. *Utrùm propositiones de futuro contingenti sint determinatè verè, vel falsæ?* . . . . . 191.
Disput. & Quæst. ultima. *An Scientia, Fides, & Opinio de eodem objecto formali simùl esse possint in eodem intellectu?* . . . . . 194.

SECUNDA PARS PHILOSOPHIÆ, SEÚ METAPHYSICA.

Præludium . . . . . 198.

PARS PRIMA METAPHYSICÆ, SIVÉ ONTOLOGIA.

Disputatio Prima. De Natura entis realis ut sic, seù in communi.

Quæt. I. *Quid sit ens reale, & quotuplex?* . . . . . 199.

Quæst. II. *An detur unus conceptus entis ut sic perfectè ab inferioribus præcissus, & abstractus?* . . . . . 202.

Quæst. III. *An conceptus entis præscindat ex natura rei ab inferioribus; an solum per intellectum?* . . . . . 210.

Quæst. IV. *An conceptus entis præscissus sit univocus respectu inferiorum?* . . . . . 216.

Quæst. V. *An ens contrahatur ad inferiora per differentias, vel modos?* . . . . . 221.

Quæst. VI. *An ens in suis passionibus, modis intrinsecis, & differentiis formalitèr includatur?* . 223.

DISPUTATIO SECUNDA.

De passionibus simplicibus entis.

Quæst. unic. *In qua varia dubia circà entis simplices passiones ennodantur* . . . . . 228.

DISPUTATIO TERTIA.

De principiis entis.

Quæst. unic. *Quodnam sit primum certæ cognitionis principium?* . . . . . 231.

DISPUTATIO QUARTA.

De entis possibilitate, & existentia.

Quæst. I. *A quo oriatur possibilitas entis creati?* . 235.

Quæst. II. *An rerum creatarum essentiæ sint immutabiles?* . . . . . 238.

Quæst. III. *An creaturæ in statu possibilitatis aliquam actualitatem importent?* . . . . . 240.

Quæst. IV. *Quomodò essentia actualis creata dis-*

tin-

tinguitur ab ejus existentia? ..... 245.
Apendix. *Ubi varia dubiola de essentia, & existentia resolvuntur.* ..... 253.

DISPUTATIO QUINTA.

De identitate, & distinctione in communi.

Quæst. I. *In quo consistat ratio formalis identitatis in communi?* ..... 255.
Quæst. II. *In quo ratio formalis distinctionis consistat?* ..... 257.
Quæst. III. *Quotuplex sit distinctio in communi?* .. 259.
Apendix. *Ubi varia dubia circà distinctiones relatas resolvuntur.* ..... 261.
Quæst. IV. *An cum identitate reali possit stare aliqua distinctio actualis ex natura rei?* ..... 264.

DISPUTATIO SEXTA.

De principio individuationis.

Quæst. unic. *Quodnam sit principium individuationis entis naturalis?* ..... 280.

DISPUTATIO ULTIMA.

De Subsistentia entis creati.

Quæst. unic. *In quo formalitèr consistat subsistentia creata?* ..... 284.
Apendix. *Ubi aliqua dubia circà subsistentiam resolvuntur.* ..... 293.

PARS SECUNDA METAPHYSICÆ, SIVÉ PNEUMATOLOGIA.

Disputatio Unica. De Anima rationali.

Quæst. I. *Utrùm anima rationalis sit spiritualis, & indivisibilis?* ..... 295.
Quæst. II. *Utrùm anima rationalis sit immortalis? Et ratio naturalis id non solùm suadeat, sed demonstret?* ..... 297.
Quæres. *Utrùm anima rationalis sit immortalis ex sui natura?* ..... 303.
Quæst. III. *Quænam sit essentia animæ rationalis?* . ibid.

Quæst. IV. *Utrùm operationes animæ rationalis realitèr ab ipsa distinguantur?* . . . . . 305.
Quæst. V. *Utrùm ideæ animæ rationalis sint ingenitæ, vel adventitiæ, & factitiæ?* . . . . . 308.
Quæst. VI. *Utrùm habitus supernaturales animæ rationalis sint aliquid realitèr ab ipsa distinctum, & in ea receptum?* . . . . . 311.

PHILOSOPHIÆ PARS TERTIA, SIVÉ ETHICA.

Præludium. . . . . . 316.

DISPUTATIO PRIMA.

De Bono, & Malo.

Quæst. I. *Quid sit Bonum, & Malum.* . . . . . ibid.
Quæst. II. *Utrùm voluntas nostra possit amare malum sub ratione mali?* . . . . . 318.
Quæst. III. *Quænam sit naturalis hominis felicitas?* 320.
Quæst. IV. *An ex duobus bonis sibi propositis possit voluntas eligere minus bonum, majori relicto?* . . . . . 324.

DISPUTATIO ULTIMA.

De animi nostri affectibus.

Quæst. unic. *Utrùm affectus boni sint, an mali?* . . 326.

PHILOSOPHIÆ PARS QUARTA, SEÚ PHYSICA.

Præfatio. . . . . . 328.

PHYSICÆ PARS PRIMA. SEÚ PHYSICA GENERALIS.

Disputatio Prima. De principiis corporis naturalis.

Quæst. I. *Quænam sint prima physica principia corporis naturalis?* . . . . . 330.
Quæst. II. *Utrùm materia prima ità sit purà potentia, ut nullum omninò actum includat?* . . . 348.
Quæst. III. *Utrùm materia prima possit existere sinè forma?* . . . . . 354.
Quæst. IV. *An omnes materiæ sint ejusdem speciei?* 357.
Quæst. V. *In quo formalitèr consistat materia prima?* 358.

Apen-

Apendix. *In qua quædam dubia de potentia materiæ expediuntur?* ..... 360.
Quæst. VI. *An, & quomodò materia prima appetat formas substantiales?* ..... 363.
Apendix. *Resolvuntur aliqua dubia circà materiam primam.* ..... 366.

DISPUTATIO SECUNDA.

De forma substantiali.

Quæst. I. *An omnes formæ substantiales educantur de potentia materiæ?* ..... 368.
Dubium incidens. *Quid dicendum de formis accidentalibus?* ..... 371.
Quæst. II. *An unica forma possit simùl plures informare materias?* ..... 372.
Quæst. III. *Utrùm plures formæ substantiales non subordinatæ possint esse simùl in eadem numero materia?* ..... 374.
Quæst. IV. *An in viventibus præter animam debeat concedi corporeitatis forma?* ..... 378.
Apendix. *De privatione, & unione.* ..... 387.

DISPUTATIO TERTIA.

De Elementis.

Quæst. I. *Utrùm Elementa obnoxia sint generationi, & corruptioni?* ..... 389.
Quæst. II. *Quomodò Elementa maneant in mixto?* .. 393.
Quæst. III. *Utrùm Elementa suis in locis constituta gravitent?* ..... 396.
Quæst. IV. *Quænam figura adscribenda sit particulis minimis singulorum elementorum?* .... 398.
Quæst. V. *Utrùm Aër gravis sit, & elasticus?* ... 401.
Quæst. VI. *An præter aërem crassiorem admittenda sit subtilissima ætherea substantia?* ..... 403.
Quæst. VII. *De effectibus ab aëris gravitate, & elaterio provenientibus.* ..... 405.
Quæst. VIII. *Utrùm Aqua sit elastica, ejusquè particulæ minimæ invicèm sibimet adhærescant?* 406.

Disputatio Quarta.

De Essentia Corporis naturalis, ejusquè integritate.

Quæst. I. *In quo constituenda sit essentia corporis?* 408.
Quæst. II. *Utrùm natura physicè considerata referatur ad principium activum, vel ad passivum?* . . . . . 411.
Quæst. III. *Utrùm continuum componatur ex partibus semper divisibilibus, an verò ex indivisibilibus?* . . . . . 414.
Apendix. *Ubi aliqua scitu digna circà continuum explicantur.* . . . . . 422.

Disputatio Quinta.

De affectionibus, seù qualitatibus corporis naturalis.

Quæst. I. *Utrùm ex Venerabili Eucharistiæ Sacramento ritè colligatur existentia accidentium absolutorum in sensu Peripatetico?* . . . . . 423.
Quæst. II. *De Calore, & Frigore.* . . . . . 430.
Quæst. III. *De raritate, & densitate, & quomodò fiant?* . . . . . 437.
Quæst. IV. *De humiditate, & siccitate; seù de fluiditate, & soliditate.* . . . . . 442.
Quæst. V. *Utrùm gravitas corporum oriatur à causa extrinseca, vel à principio intrinseco?* . . 446.
Apendix. *Ubi aliqua dubia de motu gravium, & levium resolvuntur.* . . . . . 449.

Disputatio Sexta.

De Composito Substantiali.

Quæst. I. *An Compositum Substantiale essentialitèr constituatur, tàm ex unione, quàm ex materia, & forma?* . . . . . 451.
Quæst. II. *An compositum substantiale distinguatur realitèr à suis partibus simùl sumptis, & unitis?* . . . . . 453.

Dis-

Disputatio Septima.

De Caussa in communi.

Quæst. I. *Quid, & quotuplex sit Caussa in communi?* 459.
Quæst. II. *Quid sit caussalitas, seù in quo formalitèr consistat ratio Caussæ in communi?* . . . 460.
Quæst. III. *An omnis Caussa debeat effectum præcedere, & esse perfectior illo?* . . . . . 462.
Quæst. IV. *An Caussa necessariò requirat existentiam ad caussandum?* . . . . . 464.
Quæst. V. *An Caussa essentialitèr connectatur cum effectu possibili?* . . . . . 466.
Quæst. VI. *An Caussæ possint esse ad invicèm caussæ?* . . . . . 470.
Quæst. VII. *A qua Caussa proveniat determinatio effectus quo ad speciem, & individuum?* . . . 471.
Quæst. VIII. *An idem numero effectus possit produci à pluribus caussis totalibus, & adæquatis?* . . . . . 473.

Disputatio Octava.

De Caussis in particulari.

Quæst. I. *Quid, & quotuplex sit caussa efficiens?* 476.
Quæst. II. *An Caussæ secundæ sint verè efficientes, & quid efficiant?* . . . . . 478.
Quæst. III. *Quid formalitèr sit caussalitas efficientis?* . . . . . 480.
Quæst. IV. *An substantia creata sit immediatè operativa?* . . . . . 482.
Quæst. V. *An in caussis creatis detur potentia obedientialis, & ad quid?* . . . . . 486.
Quæst. VI. *An Caussa creata possit à Deo elevari ad creandum?* . . . . . 488.
Quæst. VII. *Quomodò Caussa prima concurrat cum caussis secundis ad ipsarum effectus?* . . . . . 490.
Quæst. VIII. *Ubi aliqua dubia circà cæteras caussas resolvuntur?* . . . . . 498.

Dis-

Disputatio Nona.

De motu, actione, & passione.

Quæst. I. *Quid sit motus, & quies?* . . . . . 502.
Quæst. II. *Ad quæ prædicamenta detur per se motus?* . . . . . 504.
Quæst. III. *In qua cætera dubia circà motum examinantur?* . . . . . 505.
Quæst. IV. *Utrùm actio transiens subjectetur in agente, vel in passo?* . . . . . 508.

Disputatio Decima.

De Infinito.

Quæst. I. *Quid, & quotuplex sit infinitum?* . . . . . ibid.
Quæst. II. *An in creaturis possit dari aliquod infinitum cathegorematicum, vel saltim syncathegorematicum?* . . . . . 510.

Disputatio Undecima.

De loco, & tempore.

Quæst. I. *Quid sit locus, & in quo formaliter consistat?* . . . . . 516.
Quæst. II. *An idem numero corpus possit esse circumscriptivè in duobus locis?* . . . . . 520.
Quæst. III. *Continens plura dubia circà vacuum.* . . . . 524.
Quæst. ultima. *Ubi de tempore agimus.* . . . . . 526.

Physicæ secunda pars, quæ dicitur Physica particularis.

Disputatio Prima. De Mundo universim.

Quæst. unica. *Ubi omnia dubia circà Mundum resolvuntur.* . . . . . 530.

Disputatio Secunda.

De Cœlo, Cœlestibusquè Corporibus.

Quæst. I. *De Cœlorum Systemate; & an Tellus immota consistat in hac rerum universitate?* . . . . . 534.

Quæst. II. *In qua aliqua circà Cœlos resolvuntur dubia*. . . . . 540.
Quæst. III. *In qua de omnibus agitur Meteoris*. . . . 543.

Disputatio, & Quæst. ultima.

De Globo Terraqueo, Terrestribusquè Corporibus. . 546.

Physicæ pars Tertia, quæ de Corporibus viventibus agitur, et dicitur Animastica.

Disputatio Prima. De Essentia, multiplicitate, & potentiis Animæ ut sic.

Quæst. I. *Quid, & quotuplex sit Anima?* . . . . . 551.
Quæst. II. *In quo consistat ratio, seù conceptus vitæ in actu primo?* . . . . . 552.
Quæst. III. *Utrùm omnis anima sit simplex, & indivisibilis?* . . . . . 553.
Quæst. IV. *Quænam partes viventis informentur anima?* . . . . . 555.
Quæst. ultima. *In qua aliqua dubia circà potentias animæ examinantur*. . . . . 556.

Disputatio Secunda. De Anima Vegetativa.

Quæst. I. *Quid sit Anima Vegetativa, & quæ illius potentiæ?* . . . . . 558.
Quæst. II. *Utrùm in Plantis extet Anima Vegetativa, & cujusmodi illa sit?* . . . . . 559.
Quæst. III. *Ubi aliqua scitu digna de nutritione, & augmentatione resolvuntur*. . . . . 560.
Quæst. IV. *Sivè compendium in duos libros de Ortu, & Interitu, seù de Generatione, & Corruptione*. . . . . 561.

Disputatio Tertia.

De Anima Sensitiva.

Quæt. I. *Quid sit Anima Sensitiva, & quæ illius potentiæ?* . . . . . 564.
Quæst. II. *Quid, & quotuplex sit objectum sensibile?* . . . . . 565.
Quæst. III. *An sensibiles affectiones, seù qualitates sint in ipsis objectis, quales á nobis percipiuntur?* . . . . . 566.

Disputatio Quarta.

De Sensibus externis in particulari.

Quæst. I. *De Visu, & aliis ad cum attinentibus.* . 568.
Quæst. II. *De Auditu, & cæteris ad eum pertinentibus* . . . . . 571.
Quæst. III. *De Olfatu, & Odore* . . . . . 573.
Quæst. IV. *De Gustu, & Sapore* . . . . . 574.
Quæst. V. *De Tactu, & Tangibili* . . . . . 575.
Quæst. VI. *Solvuntur aliqua dubia de Sensibus externis* . . . . . 577.

Disputatio Quinta.

De Sensibus internis.

Quæst. I. *Resolvuntur plura dubia de Sensibus internis* . . . . . 580.
Quæst. II. *De appetitu sensitivo* . . . . . 584.
Quæst. III. *Resolvuntur aliqua dubia de habitibus naturalibus* . . . . . 586.

Disputatio Sexta.

De Brutorum Anima.

Quæst. unica. *Utrùm Bruta sint mera automata, an polleant Anima sensitiva; & utrùm ista sit materialis, an spiritualis?* . . . . . 588.

Disputatio Ultima.

De Anima rationali in ordine ad corpus.

Quæst. I. *Quædam dubia de Animæ rationalis informatione resolvuntur*..... 590.
Quæst. II. *De Potentia intellectiva, & ejus actibus*..... 594.
Quæst. III. *De Voluntate*..... 603.
Quæst. ultima. *De Anima rationali separata aliqua dubia proponuntur, & resolvuntur*.... 609.

De Anima rationali in ordine ad corpus.

Quæst. I. Quædam dubia de Anima rationalis informatione resolvuntur . . . . . 590.
Quæst. II. De Potentia intellectiva, & ejus actibus . . . . . 597.
Quæst. III. De Voluntate . . . . . 603.
Quæst. ultima. De Anima rationali separata dubia proponuntur, & resolvuntur . . . 609.